

PONTIFICIARUM CONSTITUTIONUM

SELECTARUM

EPITOME

PONTIFICIAE CONSTITUTIONES

IN BULLARIIS MAGNO ET ROMANO CONTENTAE

AC ALIUNDE DESUMPTAE

EX EPITOME

ALOYSII GUERRA S. T. D.

SELECTAE

EDITIO NOVISSIMA

ACCURANTE ILL.^{MO} ET REV.^{MO}

FR. JOANNE THOMA GHILARDI

ORDINIS PRAEDICATORUM

EPISCOPO MONREGALENSI



MONTEREGALI

EXCUDEBANT JOANNES ISSOGLIO ET SOC.

MDCCCLXX

PRAEFATIO

EPISCOPI EDITORIS



Dubio procul est, Bullarium magnum et Bullarium romanum esse veluti promptuarium, in quo iuris Canonici studiosis viris datum est adinvenire quidquid Summorum Pontificum sapientia pro Ecclesiae Christi regimine ab ipsiusmet constitutione usque modo decrevit. Utrumque Bullarium continet acta authentica rerum ad fidem, ad mores et ad disciplinam spectantium; est codex legum, quo regitur Ecclesia.

Nemo non videt quantum sit emolumenti, immo dicam, necessarium pollere notitia pontificiarum Constitutionum, et hoc praecipue tempore, quo canonicum studium maxime excolitur, vetusque disciplina et prisca instituta in usum passim revocantur, atque est omnium cordi antiquorum nostrorumque morum diligentem instituere comparationem.

Negotium sibi facesseret quicumque vellet tot pervolvere tomos, quibus constat utrumque Bullarium, quum de quaesita materia velit scire, quid apostolica Sedes statuerit; prae-

sertim, quum de eadem re Pontificum alii aliqua decreverint, alii postea immutaverint, alii restrinxerint, amplificarint alii: studiosus lector defatigetur oportet, et interdum operam in perquisitione incassum insumeret; quod si, praemonstrante indice, Constitutiones, quas quaeritat, repererit; nihilo tamen minus multum temporis ipsi est impendendum, ut integras Bullas legat, quae, ut fert Romanae Curiae stylus, plerumque longissimae sunt.

His praeiactis, quis non videt, omnium Ecclesiasticorum commodo studuisse *Aloysium Guerra* S. T. D. qui primum Venetiis anno MDCCLXXII edidit Pontificiarum Constitutionum Epitomen (a Leone I ad Clementem XIV scilicet ab anno 440 ad 1769) ab ipsomet Collectore ex Bullariis magno et romano ac aliunde depromptarum?

Quod vero attinet ad hanc novissimam editionem, ne opus excresceret in longum, utilius duxi ex eadem Epitome multis voluminibus in folio constante seligere nonnullas integras materies, utpote prae ceteris necessarias, scilicet quae continent Bullas *de re dogmatica et sacramentaria, de re disciplinari, de haeresibus et libris propositionibusque damnatis, de Conciliis oecumenicis, de Episcopis, de Canonicis, de Parochis, et de Clericis.* — Mihi cordi fuit providere correctioni et nitori huiusmet editionis, ad germanam lectionem restituendo non paucas Bullas. Insuper viro in Synopsi rerum concinnanda non parum exercito officium commisi perstringendi omnes Constitutiones a Pio VI ad Pium IX Pontificem Maximum f. r. editas, easque prelo mandare statui, si mihi vita comes fuerit,

et huic primo volumini favor tribuetur ab iis, quorum interest prae manibus habere concinnum promptuarium selectarum Constitutionum a primo pene Ecclesiae aevo ad nostra usque tempora. His positis conditionibus, alterum volumen, seu appendix typis procuderetur infra sex menses ad minimum. Haec habe, amice lector, fave et vale.

Datum die XVIII iulii, an. MDCCCLXX.

✠ Fr. JOANNES THOMAS Ord. Praed.

EPISCOPUS MONTISREGALIS.

PONTIFICIARUM CONSTITUTIONUM SELECTARUM EPITOME

—

DE THEOLOGICIS

—

I.

De Incarnationis Mysterio.

LEO I Episcopis per Palaestinam constitutis.

Incipit *Sollicitudinis meae etc.* (1).

Quia multi quae de Ss. Incarnationis Mysterio Leo scripserat, versa in graecum sermonem vel ob animi iniquitatem, vel quia erant male versa (ea scripta erant ad Flavianum Episcopum) perperam intelligebant; putavit esse muneris sui eadem clarius repetere, ne Patribus, qui Constantinopolitano Concilio interfuerant, et ad quos Flavianus ea legerat, tam male sentirent.

Damnat ergo Pontifex Nestorium, qui *credidit Virginem Mariam hominis tantummodo genitricem, ut aliam personam carnis, aliam faceret Deitatis.* Eutychetem item damnat, qui tertium Apollinaris dogma delegit, *ut negata humanae carnis, atque animae veritate, tamquam Dei Verbi Deitas ipsa se in carnem, animamque converterit; unde si ab Apollinaris perversitate desiscit, ne convincatur, Deitatem passibilem sentire, atque mortalem, et tamen Verbi Incarnati, idest, Verbi et carnis unam audet pronuntiare naturam.*

(1) Bullari Romani t. 1. p. 36. *Collectio Cocquelines.*

Haec veritatis mendacia concordibus Ss. Patrum testimoniis damnata sunt; et quidem merito. *Nam sicut negari non potest, quod Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, ita negari non potest, quod Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.* Quae reconciliatio fieri non potuisset nisi omnium caussam *mediator Dei et hominum suscepisset. In eo omnes sumus crucifixi, mortui, sepulti, omnes suscitati.*

Quamvis autem in uno Christo vero Dei Filio, Verbi et carnis una persona sit, et utraque essentia suas habeat actiones, intelligendum tamen est, *quod caro sine Verbo non agit, et quid sit, quod Verbum sine carnis non efficit, sine veritate carnis non diceret Joannes: ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi; sine potentia Verbi non diceret Pater, hic est Filius meus dilectus.* Sine Verbo Filius non diceret se aequalem Patri, sine veritate carnis non diceret Patrem se maiorem. Et licet in Christo una tantum persona fuerit, *nec divina humanis praeiudicabant, nec humana divinis.* Ergo in Christo nec sine nomine facta sunt divina, nec sine Deo facta sunt humana.

Tum sermonem suum convertit Leo ad eosdem Episcopos, eos obiurgans, quod ab his veritatibus recesserint; quod fidem, quam in baptismo professi sunt, depravaverint; hortaturque eos, ut quod fides docet teneant sincere; meminerint, Christum coram Patre confessurum esse, qui eum verum Deum et hominem coram hominibus confessi fuerint.

II.

De Divinitatis et Incarnationis Mysterio.

HORMISDA Justino Augusto.

Incipit *Inter ea, etc.* (1).

Ad quorumdam preces imperator Justinus interrogavit Pontificem de Divinitatis et Incarnationis mysterio. Cui respondet Hormisda; licet omnia iam sint decisa, et sic definita, ut nullus iam locum remaneat *diris sermonibus*, Nestorii et Eutychetis erroribus damnatis; nullaque

(1) B. R. t. I. p. 50, C. C.

dubitatio esse possit, quin Christus verus Deus, et verus homo fuerit, satis est, si imperator legat *Decreta Synodica*, et b. Leonis Papae convenientia fidei sacrae constituta. Eadem enim quae illi dixerunt, dicet et ipse.

Deum autem esse unum *testatur Legislator: audi Israel, Dominus Deus tuus unus est; et tamen tres sunt, qui testimonium dant in coelo, Pater, Verbum, et Spiritus, et hi tres unum sunt. Unum est sancta Trinitas, non multiplicatur numero, non crescit augumento, nec potest aut intelligentia comprehendi, aut hoc, quod Deus est, discretione seiungi.*

Quaedam autem propria sunt huic personae, quae nullo modo alii convenire possunt personae. *Proprium est Patris, ut generet Filium; proprium Filii, ut ex patre Patri nasceretur aequalis; proprium Spiritus Sancti, ut de Patre, et de Filio procederet sub una substantia Deitatis.*

Proprium etiam Filii, ut in plenitudine temporis Verbum caro fieret, et habitaret in nobis; et ut unitis sine aliqua confusione naturis, fieret Filius hominis, et nasceretur ex tempore hominis more, Matris vulvam natus non aperiens et Virginitatem Matris Deitatis virtute non solvens.

Et Verbum hoc caro factum non inducit in divinis quartam personam. Nam una et eadem est persona Deus et Homo, *ne inter corporis passiones Deus non esse crederetur, aut ne Deus tantum, non etiam homo.* Petrus respondens, *tu es Christus Filius Dei vivi*, docet, *Christum esse verum Deum;* Thomas dubitans, et postea loca clavorum videns, adorans quod non videbat testatur, *Christum fuisse verum hominem.*

Ad imperatorem convertit sermonem, et ait, haec satis esse, quoniam ad catholicum imperatorem loquitur; plura se dicturum, si cum haeretico disputationem instituisset.

D. 3. Kal. Apr. Valerio V. C. a. 521.



III.

Contra Theodorum Mopsuestiae Episcopum.

VIGILIUS dilecto Fratri Eutychio Constantinopolitano Archiepiscopo.

Incipit *Scandala quae, etc.* (1).

Dolet Vigilius, humani generis inimicùm scandala omnibus nota excitasse, et ab eo fuisse multos impulsos ad loquendum, et ad scribendum non tantum nomine suo, sed etiam Pontificis aliorumque, et conatum fuisse *cavillationibus, versutiis, et dolo malo* Pontificem *degentem in urbe règia* (Constantinopoli) *una cum Fratribus, et Coepiscopis, et aequali reverentia quatuor Synodos vindicantem, ab iis dividere.*

Sed quoniam lux vera Christus, *omni confusione a mente* Pontificis *remota*, Ecclesiae pacem restituit, Vigilius, *veritate investigata*, universos Fratres certiores facit, se *quatuor Sinodos, Nicaenam, Constantinopolitanam, Ephesinam primam, et Chalcedonensem una cum Fratribus suis in omnibus suscipere, ed devota mente venerari;* alienosque iudicare, qui *quae ab ipsis de sancta Fide definita sunt* non credunt, a *caetu Ecclesiae.*

His igitur litteris *manifestum* facit Vigilius Eutichio, *quae a se facta sunt.*

Notae sunt turbae *ob tria capitula, hoc est, de Theodoro olim Mopsuestiae Episcopo, eisque scriptis, quin etiam de scriptis Theodoreti, et de epistola, quae dicitur scripta ab Iba ad Marim Persam;* nota sunt, *quam diversa de illis tribus capitulis dicta, atque conscripta sunt.* Sed cum prudentia requirat, ut sedulo negotium quodlibet examinetur, *neque pudori esse debeat, si quae inveniuntur omissa ab initio, studio veritatis in publicum edantur;* id multo magis faciendum est *in ecclesiasticis disceptationibus.* Antiqui Patres huius rei nobis exemplo sunt. Augustinus certe, *qui in divinis scripturis claruit, romanae eloquentiae magister propria scripta retractavit, dicta sua correxit,* et ea quae omiserat, et postea reperit, addidit. Etiam Pontifex in controversia trium Capitulorum nunquam investigare destitit, quid de illis in scriptis Patrum in-

(1) *Ex Appendice ad P. de Marca de C. S. et I. p. 227. Typis Francoforti* a. 1708.

veniri posset: e quibus scriptis patet, sermones Theodori Mopsuestiae pleraque contraria rectae fidei continere, et doctrinis Patrum opponi.

Tum recenset Vigilius blasphemias, quas ipse Theodorus aperte effutiit; suntque haec:

I. *Alium esse Deum Verbum, alium Christum; Christum a passionibus animae, et concupiscentiis carnis vexatum, et paulatim a minoribus recedentem ad meliora per profectum operum pervenisse, et conversatione irreprehensibilem factum*;

II. Ut nudum hominem fuisse baptizatum in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti: per hoc baptisma accepisse gratiam, et adoptionem fuisse promeritum: *ad exemplum imaginis imperatoriae ob personam Dei Verbi Christum adorari; post resurrectionem immutabilem cogitationibus, et omnino impeccabilem factum*;

III. *Unionem Dei Verbi factam fuisse ad Christum, qualem Apostolus dixit de viro et muliere: « erunt duo in carne una »;* Non dedisse Apostolis, cum iis insufflasset, Spiritum Sanctum, licet dixisset illis, *accipite Spiritum Sanctum*;

IV. Confessionem, quam Thomas edidit attrectans manus et latus Domini post resurrectionem, cum dixit: *Dominus meus, et Deus meus*, non esse referendam ad Christum, qui sententia Theodori non est Deus, sed propter miracula resurrectionis stupentem Thomam laudasse Deum;

V. In interpretatione, quam ad Apostolorum Acta idem Theodorus scripsit, facit similem Christum Platoni, et Manichaeo, et Epicuro, et Marcioni; sicut enim ex eo quod quidam Platonis, quidam Epicuri etc. sequebantur sententias, dicti fuere Platonici et Epicurei, *eodem modo Christus dogma inveniens Christianos appellavit.* Cum tot sint, tamque graves Theodori errores, mirum nemini esse debet, si ad ea, quae in hac constitutione continentur, *devenit* Vigilius.

Quare condemnat, et anathematizat cum aliis omnibus haereticis Theodorum olim Mopsuestiae Episcopum, et impia eius scripta.

Damnat, et anathematizat Theodoreti scripta contra rectam fidem, et contra duodecim capita sancti Cyrilli, et contra Ephesinam Synodum primam, et quae scripsit pro defensione Theodori. et Nestorii.

Damnat, et anathematizat epistolam ad Marim Persam haereticum, *quae Christum Verbum, ex sancta Deipara et semper Virgine Maria incarnatum, hominem factum fuisse negat, nudum vero hominem ex ea natum, quem Templum vocat, ita ut ex hoc intelligatur, alium esse Deum Verbum, et alium Christum, praeterea calumniatur, sanctum Cyrillum, rectae fidei magistrum, ut haereticum, et similia Apollinario scripsisse,* Reprehendit primam Synodum Ephesinam, *quasi absque iudicio, et inquisitione Nestorium damnaverit; tum appellat capita duodecim sancti Cyrilli impia, et rectae fidei contraria.*

Ergo damnat, et anathematizat praedicta tria capitula, *scilicet impium Theodorum Mopsuestiae una cum eius scriptis, et quaecumque impie Theodoretus scripsit, atque etiam epistolam, quae dicitur ab Iba scripta fuisse qua superius dictae profanae blasphemiae comprehenduntur.*

Damnat, et anathematizat quiscumque crediderit, *ea capitula debere suscipi, aut defendi, vel conatus fuerit hanc praesentem condemnationem subvertere.*

Quoscumque vero, qui rectam fidem servantes a dictis Synodis praedicatam, memorata tria capitula condemnaverunt, vel etiam condemnant, Fratres, et Consacerdotes esse definit.

Praesentis vero scripti definitione evacuat quae a se, aut ab aliis ad defensionem praedictorum trium Capitulorum facta sunt. Nefas enim esset credere, praedictas blasphemias e praedictis quatuor synodis fuisse approbatas, *aut ab una ipsarum susceptas fuisse*, aut admissas, *quae similia sentiunt, et sequuntur.* Nam luce meridiana clarius est, neminem, *de quo suspicio esset, a sancta Synodo Chalcedonensi admissum esse, nisi qui reiecisset superius comprehensas blasphemias.*

Data ante sextum idus decembris, imperii Domini nostri Justiniani aeterni Augusti anno vigesimo septimo, post consulatum Basilii viri clarissimi anno duodecimo.

Archiepiscopus Eutychius respondit his Vigilii litteris, se quoque suscipere quatuor synodos, et haereses ab iis profligatas damnare, et quae pro fide illae statuerunt, decreveruntque, suscipere. Licet enim praedictae quatuor synodi diversis temporibus habitae fuerint, *tamen unam, eamdemque confessionem fidei servaverunt.*

IV.

De eodem argumento.

VIGILIUS Eutychio et Episcopis sub eo constitutis.

Incipit *Repletum est, etc.* (1).

Gaudium suum praedictis Patriarchae et Episcopis significat Vigilius, quod pacem Deus Ecclesiae suae reddiderit.

Laetatur etiam, quod ea quae scripserat, umanimiter susceperunt, et confessionem factam a se inviolabiliter servaturi sint.

Tum eos laudat, quod eadem, ac ipse, ac sancti Patres, et omnis retro antiquitas senserunt, sentiant, et confiteantur. Eosque hortatur, ut in hac confessione persistant.

Tum annuit, *ut de tribus capitibus, de quibus quaestio nata est, facto regulari conventu, servata aequitate, mediis sacrosanctis Evangeliis collatio cum unitis Fratribus habeatur, et finis detur placitus Deo, et conveniens his, quae a sanctis quatuor sunt definita conciliis.*

Datum VIII. Idus ianuarii imperii Domini Justiniani perpetui Augusti anno XXVII, post consulatum Basilii viri clarissimi anno XII.

V.

Exponit suam opinionem de visione Dei, retractaque si quid aliter dixit.

JOANNES XXII ad p. r. m.

Incipit *Ne super, etc.* (2).

Accusatus fuerat Joannes in eam abiisse opinionem, ut crederet, visionem, quam dicunt Dei, differri animabus justis jam igne Purgatorii purgatis usque ad extremum generalis iudicii diem, ut scilicet una

(1) Ex eod. p. 238.

(2) Bullarii Magni p. 3. vel t. 9. p. 178.

cum suis corporibus, quae fuerant instrumenta exercendarum virtutum, in caelum eodem tempore beandae irent.

Exponit ergo his litteris Pontifex, quae sit in hac re opinio sua.

Credit igitur, et profitetur, animas a corpore separatas esse *in Coelo Coelorum, et in Paradiso cum Christo, et divinam essentiam clare, in quantum status, et conditio animae separatae patitur, videre.*

Si quicquam secus dixit, praedicavit, scripsit, non vult esse dictum, scriptum, et praedicatum, et ea tantum approbat a se dicta praedicata, et scripta, non tantum in hac materia, sed in quacumque alia, quae sint consona sacris litteris, doctrinae Ecclesiae, bonis moribus.

Subjicitque omnia a se dicta, praedicta, et scripta, in quocumque statu fuerit, *determinationi Ecclesiae, et suorum successorum.*

Nulli ergo etc. Si quis etc.

D. Avenione III. Id. Dec. P. a. XIX. a. D. 1335.

VI.

Deciditur quaestio de visione Dei.

BENEDICTUS XII ad p. r. m.

Incipit *Benedictus Deus etc.* (1).

Cum praedecessor Joannes morte impeditus non potuisset decidere quaestionem inter theologos subortam, agitatamque *De visione Dei*, eam definit Benedictus.

Ait ergo, omnes animas, quae decesserunt justae ante mortem Christi, et post mortem Christi decedentes justas, aut purgatas per ignem in Purgatorio, aut parvulos post baptisma *videre divinam essentiam visione intuitiva, et etiam faciali, nulla mediante creatura in ratione obiecti visi se habente: sed divina essentia immediate se nude, et clare, et aperte eis ostendente; et sic videntes divina eadem essentia frui.*

Et ex hac visione animas, quae decesserunt, et decedent justae, *esse vere beatas, et habere vitam, et requiem aeternam; et per hanc vi-*

(1) B. M. t. 1. p. 217. B. R. t. 3. p. 2. p. 213. C. C.

sionem divinae essentiae, eiusque fruitionem actus fidei, et spei evacuari, prout fides et spes sunt virtutes theologicae.

Et postquam inchoata fuerit in eis haec visio, et fruitio, duraturam usque ad diem judicii, et ex tunc usque in sempiternum.

Animas autem decentes *in peccato mortali actuali* descendere ad inferna; et in die iudicii omnes homines ante tribunal Christi cum suis corporibus comparituros, ut referat unusquisque *propria corporis*, prout gessit, sive bonum, sive malum.

Contra has definitiones sentientes haeretici censebuntur.

Nulli ergo etc. Si quis etc.

De Avenione IV. Kal. Febr. P. a. 11. a. D. 1336.

VII.

Imponitur silentium quaestioni de sanguine Christi.

PIUS II ad f. r. m.

Incipit *Ineffabili summi etc.* (1).

Satore zizaniae operante, lis erat orta, magnoque animorum aestu agitabatur Praedicatores inter, et Franciscanos de sanguine Jesu Christi. Alii enim opinabantur in tridno passionis fuisse illum a Divinitate separatum, alii contrarium sentiebant.

Ne ulterius progrederentur irae, providit Pius, qui iubet et illis, et istis, et quibuscumque aliis, ut huic quaestioni supersedeant, donec fuerit aliquid certi a S. Sede decisum.

Non parentibus excommunicationis poenam non tollendam nisi per Romanum Pontificem minitatur; praecipitque eos S. Sedi denunciari.

Vetat, quemquam dici haereticum, si huic, aut illi opinioni adhuc contrarius extiterit.

Hortatur demum Fratres Praedicatores, et Minores ad mutuum inter se amorem.

D. Anconae Kal. Aug. P. a. VI. a. D. 1464.

(1) B. M. t. 1. p. 380 B. R. t. 3. p. 3. p. 116. C. C.

DE BAPTISMO

—

I.

Tempora dandi baptisma.

LEO I diversis Episcopis per Siciliam constitutis.

Incipit *Divinis praeceptis, etc.* (2).

Factus certior Pontifex, Episcopi Siciliae recedere ab apostolica traditione, et conferre baptisma pluribus in die Epiphaniae, quam in die Paschatis, vel Pentecostes, eos his litteris monet, ne a veteri Ecclesiae consuetudine recedant. Christus enim etiam in sacramentis instituentis ordinem quemdam secutus est, sicut secutus est in creatione rerum. Ad haec mirum conveniunt caeremoniae in baptismo adhibitae cum mysterio Paschatis. Christus, ut deleret peccata, mortuus est, homo ante baptismum censetur mortuus, per tres dies corporis Christi in sepulcro moram significat trina baptizati in aquam immersio, elevatio baptizati ab aqua significat Christi a sepulcro, et a morte resurrectionem.

Etiam collatio baptismatis miro congruit cum mysterio diei Pentecostes. Spiritus Sanctus in forma columbae super Christum baptizatum apparuit; quod visibiliter Spiritus Sanctus descendens super Apostolos in die Pentecostes egit, operatur intus in baptizatis, iis habitus fidei, spei, charitatis infundens. Scimus ex Actorum 2. in die Pentecostes Petrum tria milia hominum baptizasse. Romana Ecclesia haec duo tempora praefixit, non exludens alia, si necessitas gravis urgeat, hoc Sacramentum conferendi. Praeterea baptismum debet praecedere ieiunium, et exorcimus. Jam haec praecedunt in Paschate, et Pentecoste: exorcimus solemnis aquae, Quadragesimale jejunium.

Neque quisquam dicat, ideo se conferre baptisma in die Epiphaniae, quia Christus eo die a Joanne fuit baptizatus; nam hoc certum omnino

(2) B. R. 1. 1. p. 37. C. C.

non est, deinde multum intercedit inter baptisma Joannis, et baptisma Christi, illud gratiam non conferet, hoc conferebat.

Mandat demum iis, ut tres ex ipsis ad diem tertium Kalend. Octob. quotannis Romam veniant ad concilium, qui statum illarum Ecclesiarum deferent.

D. XII. Kal. Nov. Alypio, et Ardabure VV. CC. Coss. a. 447.

II.

De tempore conferendi baptisma, et de modo confitendi.

LEO I Episcopis per Campaniam, Samnium, et Picenium constitutis.

Incipit *Magna indignatione, etc.* (1).

Sciens Leo, Episcopos praedictarum regionum conferre baptisma praeter consuetudinem Ecclesiae aliis temporibus, quam in Paschate, et Pentecoste, eos admonet, ut admonuit superioribus litteris Episcopos Siciliae, ne praeter ea tempora, necessitate excepta, baptizent.

Abusum etiam tollit a quibusdam Episcopis permissum et aliquando iniunctum, ut poenitentes, legerent publice libellum suorum peccatorum omnium; *cum reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicari confessione secreta.*

D. Pridie Non. Mar. Recimero Coss. a. 459.

(1) B. R. t. 1. pag. 46. C. C.



III.

Servi redeuntes ex captivitate, ignorantes, num sint baptizati, sunt baptizandi; haeretici revertentes ad fidem nequaquam baptizandi sunt.

LEO I Leoni Episcopo Ravennati.

Incipit *Frequenter quidem etc.* (1).

Significat Pontifex Ravennati Episcopo, in nuperrima synodo examinatam fuisse quaestionem, utrum redeuntes ex captivitate servi ignorantes, se esse baptizatos, neque aliis testantibus vel hoc, vel illud, sint baptizandi. Cum enim hi venditi sint in tenera aetate, facile oblivisci possunt; emptores autem rati eos esse baptizatos, nolunt in gravem errorem incidere, ut eos rebaptizent. Decrevit sinodus, ut captivi hi nescientes, se esse baptizatos, et de quorum ablutione nullus est testis, essent baptizandi. Nulla enim iniuria fit baptismo, si animarum saluti hoc modo consulitur. *Ne vereamur ergo his salutis januam aperire, quam numquam ante docentur ingressi.*

Quod si ad unitatem fidei aliquis ab haereticis baptizatus veniat, ne rebaptizetur, *sed hoc tantum, quod ibi defuit, conferatur, ut per episcopalem manus impositionem virtutem Spiritus Sancti consequatur.*

D. IX. Kal. Nov. Consulatu Martiani Augusti. a. 451.

IV.

Abusus introductos in administrationem baptismatis tollit Felix.

FELIX III universis Episcopis per diversas ecclesias constitutis.

Incipit *Qualiter in Africanis etc.* (2).

Abusus, qui in administrationem sacramenti baptismatis in Africa irrepserant, volens Pontifex tollere haec decernit. Episcopi inquirant,

(1) B. R. t. 1. p. 43. C. C.
(2) B. R. t. 1. p. 51.

utrum sponte, an coacte baptizati fuerint rebaptizati, et minorem poenitentiam injungat per vim rebaptizatis, majorem aliis; utrum vere doleant, utrum ex corde velint ad Ecclesiam redire.

Episcopi, et Clerici, qui se rebaptizare fecerunt, per totam vitam poenitentiam agant. Si enim *ad secundam tinctionem* venerunt, argumentum hoc est, eos Christum denegasse, et se professos esse paganos.

Baptizatis iterum sponte haec praescribit facienda Nicaena Synodus, quae servari mandat Pontifex, *si eos ex corde poeniteat, tribus annis inter audientes sint; septem annis subiaceant inter poenitentes manibus sacerdotum; duobus aliis oblationes modis omnibus non sinantur offerre.* Si intra id tempus aegrotent ad mortem, viaticum non negetur. Puberibus ob ignorantiam *aliquandiu sub manus impositione retentis communio non denegetur.* Idem dicatur et de catechumenis. Baptizatis denuo per vim imponatur poenitentia per tres annos. Baptizati, vel rebaptizati extra Ecclesiam non adscribantur ecclesiasticae militiae. Nemo demum aut Episcopus, aut presbyter poenitentem suscipiat, nisi ejus, *cujus sub manu positus fuit*, testimonium, aut litteras ostendat.

D. Id. Mar. Dynamio, et Sipsidio VV. CC. Coss. a. 488.

V.

De baptismate infantium, et adultorum Judeorum.

BENEDICTUS XIV Archiepiscopo Tarsensi Vices-Gerenti.

Incipit *Postremo mense etc.* (1).

Occasionem edendae huic constitutioni dedit quidam de plebe, qui ingressus domum cujusdam Hebraei, omnibus insciis, baptizavit tres filios adhuc tenellos.

Vices-Gerens eum punivit, et quid de caetero agendum sit, Pontifex hic decernit.

Constitutionis autem duo sunt capita, in uno quaerit, et exponit quid agendum circa baptisma dandum infantibus, in altero de baptismo

(1) B. M. t. 17. pag. 310.

adultorum agit. Materiam de baptismo infantium subdividit, et haec sunt subdivisionis capita.

I. An sine consensu genitorum infantes possint baptizari?

II. An sint quidam casus, in quibus possit id fieri?

III. An baptisma datum infantibus, in quibus casibus non licet, sit validum?

IV. Quid agendum, cum jam constat, eos esse baptizatos?

V. Quomodo probandum sit baptisma fuisse collatum?

I. Ad primum respondet Pontifex cum auctoritate D. Thomae in quodlibet, 2. a. 7. in 2. 2. q. 10. a. 12, qui ait hunc usum nunquam fuisse in Ecclesia, ut infantes baptizentur, invitis, et insciis parentibus. Infantes enim cum usu rationis careant, parentes gerere debent eorum vices (Scotus tamen ait, principes, infantibus iudaeis posse decernere, ut baptisma conferatur.). Neque prodest exemplum Mathathiae, qui iussit omnes incircumcisos circumcidi. Circumcidi enim jussit solos Hebraeos.

II. Ad secundum respondet, duo sunt casus, in quibus licet infantes absque consensu parentum baptizare, si sint in extremo morbi periculo, et si sint a genitoribus projecti, et destituti. Exemplis, auctoritatibus probat in articulo mortis infantes baptizari posse; sicut probat posse expositos, et projectos.

Tum descendit ad ostendum, quinam intelligantur projecti, derelicti, expositi; nempe qui sunt destituti omni auxilio, subsidio, et prostant in publico.

Potest baptizari infans de consensu tutoris, si pater jam catholicus effectus, licet mater dissentiat, illum baptizandum offerat; potest etiam, si mater baptizata illum offerat, invito genitore, etiam, si avus paternus offerat, genitoribus dissentientibus; et si pater dicat, velle baptizari se, et pueros suos quos instruendos ad hoc tradat, quamvis a suo proposito recedat, sunt baptizandi.

Sunt etiam infideles, qui pueros suos baptizandos tradunt non ut christiani fiant, sed ut liberentur a quibusdam morbis. Ita fiebat tempore s. Augustini; et Congregatio S. Officii statuit an. 1525. ne Sacerdotes eos infantes fictitie baptizarent.

III. Ad tertinm respondet; validus quidem est baptlsmus collatus in casibus vetitis his infantibus: ita D. Thomas: sed non tamen est licite collatus, nisi saltem adsit consensus interpretativus parentum. Durandus, quem tamen nemo sequitur, etiam invalidom putat. Validitatem comprobat quoque Congregatio S. Officii.

IV. Ad quartum descendit Pontifex subdivisionis caput; et inhaerens decreto Concilii Toletani *In can. Judaeo, disp.* 26. q. 7. ait Benedictns, hos pueros illicite baptizatos non esse restituendos genitoribus, sed alendos apud christianos in catholica fide.

V. Ad quintum in can. *placuit* deciditnr ut in collatione baptismi, et consecratione ecclesiae stetur testimonio unius.

Caeterum puniendi sunt baptizantes ita Haebreos, et infideles, ad arbitrium judicis. Hi enim baptizantes suut plerumque laici, vel mulieres.

Ita exposita prima parte propositae divisionis, venit ad partem secundam Benedictus, in qua agit de baptismate adultorum Judaeorum.

Ac ut ordine procedat, nixus auctoritate Sacrae Congregationis habitae an. 1639. statuit, *aetatem legitimam regulariter censeri completo septennio;* tunc posse iufantem petentem baptisma, invitis parentibus, baptizari.

Quod si dnbium sit, an usus rationis sit in eo perfectus, removeatur a parentibus, et differatur baptismus. Ita faciendum esse, pluribus probat Pontifex.

Tum fuse exquirit, num Adrianus, qui approbavit baptismum datum Saxonibus adultis jussu Caroli Magni bene egerit, an non. Bene egit, respondet Benedictus; Saxones enim dixerant, se velle esse christianos, et sub ditione Caroli erant, licet postea a proposito deficere vellent, et baptismum recusarint. Praetera Saxones victi erant armis a Carolo.

Haebraeis autem invitis baptismus dari non potest, quia volentes sub hoc, sub illo degunt principe.

His omnibus ita praemissis venit Pontifex ad propositum a Vices-Gerente casum.

Inter eos baptizatos a quodam in domo cuiusdam Hebraei erat puer annorum decem. Jam puer hic erat interrogandus, utrum vellet baptizari, ut posset baptisma dici etiam licitum, et satis erat, si infans

fuisset assensus. Quoties enim aliquis petit baptisma, et in insaniam decidit, vi primae intentionis etiam insanus potest baptizari.

Multa disserit Pontifex hoc loco de intentione, de opinione Caterini, de opinione aliorum theologorum intentionem expressam, vel tacitam requirentium. Explicatque quod Innocentius III. in decretali *majores de baptismo* inquit, qui minis commotus consentit, accipere characterem; qui per vim, non accipere.

Et hinc movet aliam quaestionem Pontifex; quid agendum, si quis post acceptum baptisma dicat, se non habuisse intentionem illud accipiendi?

Judex examinet, neque stet dictis huius, tum eum hortetur, ut quod male suscepit, bene suscepisse velit. Si nolit, amandetur.

In animo erat Pontifici hic finem disquisitioni facere, sed cum nonnulla dubia eidem fuerint proposita, putat sui muneris esse illa solvere.

I. Primum quaeritur: aliquis Haebraeus dat indicium velle se baptizari, *quandonam hujusmodi denunciatio certa minimeque dubia habenda sit?*

Respondet Pontifex, non esse standum testimonio unius; quamquam etiam testis unus potest sufficere, modo sit gravis; advertendum etiam, num hi testes sint mares an foeminae, quod probat decreto Congregationis S. Officii an. 1727. confirmato a Benedicto XIII.

II. Quaeritur, quid agendum, si sponsus christianus offerat sponsam ad baptismum?

Respondet Pontifex. Mos est ut si sponsus ad fidem veniat, et offerat sponsam, illa evocetur, et in domum catechumenorum per quadraginta dies retineatur.

Clamant Judaei, id fieri a christianis inconsulte nescientibus, an sponsalia sin recte facta, necne. Nam interdum accidit, ut aliquis Hebraeus miser captus amore alicuius Hebreae divitis, quam numquam in Judaismo adiunxisset in matrimonium, in matrimonium illam ducat, ad baptismum illam evocando.

Examinat propterea Pontifex ritum contrahendi sponsalia inter Hebraeos, qui est, ut parente, utriusque partis scripturam conficiant, ita ut mulier nesciat interdum nisi post scripturam, cui sit desponsata; et praeterea requiritur consensus partium coram Rabbino.

Interdum vir scribit mulieri, mulier viro, et ex epistolis colligitur consensus partium.

Ergo si sponsus vocet sponsam ita desponsatam, tunc iuxta ritum Ecclesiae evocetur, et inter cathecumenos per quadraginta dies retineatur. Si vir scripturam non ostendit, si consensus parentum probari non possit, ac proinde sponsalia nulla esse facta constet, ne evocetur iactata sponsa.

D. Romae apud S. M. Mai. Die XXVIII. Febr. P. a. VII a. D. 1747.

VI.

Avia iudaea potest offerre nepotem ad baptisma, filio praemortuo.

BENEDICTUS XIV ad Petrum Hieronymum Guglielmi
Congregationis S. Officii Assessorem.

Incipit *Probe te, etc.* (1).

Quia in praecedenti constitutione proxima non quaesiverat Pontifex an avia neophyta, dissentientibus matre, et tutoribus, posset offerre nepotes ad baptisma, hoc quaerit in hac Const. nuperrimus enim erat casus.

Quidam Judaeus decedens duos filios reliquerat, et uxorem gravidam quam simul cum quibusdam Judaeis reliquerat tutricem. Erat superstes avia paterna, quae iam amplexata erat religionem catholicam, quae offerre nepotes baptismo volebat, adherentibus eius proposito patruo, et amita paterna, iam christianam religionem professis.

Totus ergo Pontifex in eo est, ut quaerat,

I. Utrum avia potestatem offerendi nepotes habeat.

II. Utrum ea oblatio sit acceptanda, matre, et tutoribus dissentientibus.

(1) B. M. t. 18. p. 247.

I. Quoad primum videtur avia id efficere non posse, cum nullum ius paternum habeat in filios filii sui, ac proinde oblatio accipienda non esse. Antiquitus solebant genitores offerre statui clericali, vel monachali filios; et filii accrescentes eum statum amplexabantur; quaedam affert Pontifex ad id probandum: mos hic perduravit usque ad Caelestinum III qui decrevit, ut pueri oblati, cum ad annos discretionis pervenissent, interrogarentur, num vellent Clerici, vel Monachi fieri; subsequentes Pontifices annum certum designaverunt, antequam profiteri nemo religionem aliquam posset; idem dicendum de sponsalibus factis a genitoribus nomine filiorum suorum impuberum. Ideo autem oblatio haec facta a parentibus valet, quia filius, dum est impubes, censetur non habere aliam voluntatem, nisi voluntatem patris.

Multa affert Pontifex de patria potestate apud Hebraeos graecos, et Romanos. Ergo nemo iure potest, nisi pater, offerre filios, ut docet D. Thomas Quodl. 4. quaest. 12 a. 33 et in his oblationibus voluntatis matris aut nulla, aut exigua ratio haberi solet. Multo ergo minor ratio haberi debet aviae, quae minorem anctoritatem in nepotes habet.

Argumentatur etiam a pari Pontifex.

Infantes infidelium, invitis parentibus, baptizari nequeunt, et solus pater potest offerre filios baptizandos, etiam renuente matre: idem potest facere avus paternus habens potestatem ob mortem patris in nepotes, dissentiente avia; sed etiam tutores possunt ob potestatem paternam in se transfusam; et nemo, nisi iis assentientibus, potest illos offerre.

Infantes Hebraeorum in mortis periculo, aut obiecti a genitoribus baptizari possunt: ita domini possunt offerre filios servorum suorum infidelium.

Neque ideo colligi potest, posse etiam filios Hebraeorum baptizari genitoribus invitis, quia sint servi; sunt enim servi civiles, non poenales, ut sunt infideles, qui domi meae serviunt.

Ex his argumentis ita propositis duo colligit Benedictus.

I. Jus offerendi filios esse tantum iuris paternis; 2. Aviam paternam quae est expers huius potestatis, hoc ius non habere.

Haec movebant Pontificem, ut assereret, aviam paternam non posse offerre nepotes.

Sed cum legisset, decrevisse Toletanum Concilium IV, ut quoties mater hebraea converteretur ad fidem, non autem pater, filii sequerentur partem conversam, cum favor fidei alicui iuri unitus praevalere debeat etiam iuribus patris: praeterea ius competere matri offerendi filias ad monasterium, ut docet D. Gregorius in epistolam ad Bonifacium, ait Pontifex, se his rationibus vicisse obstaculum patriae potestatis, et facilius proinde posse hinc probari, ius offerendi nepotes competere etiam aviae paternae.

Nam in *L. Appellatione ff. de verb. signific. nomine parentum non tantum pater, sed et avus, et proavus, et omnes superiores continentur, sed et mater, et avia, et proavia continentur*, et avia admittitur ad tutelam nepotum aliis mulieribus explosis praeter matrem.

At potest opponi, tutelam primo mandare matri, deinde aviae, ac proinde assensum matris in hoc casu exquirendum.

Sed hoc intelligendum est civiliter, non cum avia est catholica, mater hebraea; tunc enim huic est praeferenda illa, ut ostendit Bossius, Cardinalis de Luca, et alii.

At tutores testamentarii repellunt tutores legitimos; hoc autem in casu dati sunt a patre tutores.

Non semper tutores legitimi excluduntur a testamentariis; non excluduntur legitimi, si testamentarii sint suspecti, ut sunt hi in casu nostro, a tutela suscipienda.

De avia exempla desunt, de avo habetur exemplum sub Gregorio XIII qui avus obtulit nepotem, invita matre, et oblatio acceptata fuit.

Jam in iis, quae spectant ad religionem, id favor pertinet et ad aviam respectu matris.

Restat evellendus scrupulus, qui superesse adhuc potest, quomodo ius matris, quod dicitur naturale, in educatione filii possit usurpari ab avia.

Sed hoc ius naturale cedit iuri religionis, quod est in avia. Ita cessit ius naturale matris iuri religionis, quod avus habeat in exemplo superius adducto.

Nam aliud est ius originem a natura ducens, aliud lex naturae, quae aliquid iubet.

Jus a natura datum superatur iure gentium: ita invitis parentibus infidelium captivis, baptizantur filii; multo ergo magis hoc ius datum a natura superabitur iure religionis.

Praeterea etiamsi haec sententia esset dubia, tamen cum agatur de religione, pro religione est decidendum.

II. Ergo oblatio ab avia nepotum facta est acceptanda.

D. Romae apud S. M. Maiorem die XV. Dec. P. a. XII a. D. 1751.

VII.

De cognatione in hoc sacramento contracta.

PIUS V ad p. r. m.

Incipit *Cum illius, etc.* (1).

Mota fuerant dubia circa cognationem spiritalem, quae contrahitur in hoc sacramento.

Sed Pius declarat praeter personas a Concilio Tridentino nominatas, hoc est, *inter baptizatum, et illius patrem, et matrem, nec non baptizantem, et baptizatum, baptizatique patrem, et matrem, inter suscipientes et susceptum, susceptique patrem, et matrem*, inter alias personas tam ex parte suscipientis, quam baptizantis, et suscepti nullam aliam dari spiritalem cognationem. N. O. *Nulli ergo etc.*

D. Romae apud S. Petrum IV. Kal. Dec. P. a. 1. a. D. 1566.

(1) B. M. t. 1. p. 207. B. R. t. 4. p. 2. p. 310. C. C.



DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS

I.

Permittitur Indiarum Episcopis succus quidam pro balsamo adhibendus in sacro chrismate.

PIUS V ad p. r. m.

Incipit *Digna reddimur, etc.* (1).

Cum in Indiis non possent Episcopi reperire balsamum, quo possent sacrum chrisma conficere, esset autem *succus quidam mira odoris fragrantia, et ad sananda vulnera admodum conducens, qui communiter habetur pro vero balsamo*, Episcopi earum partium supplicarunt Pio, ut liceret sibi adhibere liquorem hunc pro balsamo requisito in confectione sacri chrismatis.

Id illis permittit Pius, quoniam succus ille eas qualitates habet, quae significantur a sacramentis, in quibus hoc chrisma adhibetur. N. O.

D. Romae apud S. Petrum die II aug. P. a. VI a. D. 1571.

II.

Episcopi Portugalliae, et Algarbiorum possint conficere chrisma cum balsamo orientali

SIXTUS V ad f. r. m.

Incipit. *Cum Balsamum, etc.* (2).

Romana Ecclesia sempre consuevit conficere sacrum chrisma cum balsamo Vallis Hierico. Sed cum a Turcis arbores liquorem illum producentes pene omnes rescissae fuissent, fortasse in odium christiani nominis, factum erat rarissimum.

(1) B. R. t. 4. p. 3. p. 174. C. C.
(2) B. R. t. 5. p. 1. p. 228. C. C.

Permittit itaque Sixtus Portugalliae, et Algarbiorum Episcopis ob summam difficultatem balsamum huiusmodi inveniendi, uti in conficiendo chrismate balsamo orientali, praecipue cum nulla sit ecclesiastica traditio, vel iussio, quae velit, balsamum Vallis Hierico esse de necessitate adhibendum, sed satis sit, si Episcopus balsamo utatur.

Ita egerunt Pius IV, Gregorius XIII, qui Episcopis Brasiliae permiserunt uti Brasiliae balsamo. N. O.

D. Romae apud S. Petrum die XXX. Ap. P. a. V. a. D. 1590.

DE SACRAMENTO POENITENTIAE

—

I.

Damnatio errorum Joannis de Polliaco de hoc sacramento.

JOANNES XXII Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis etc.

Incipit *Vas electionis, etc.* (1).

Hos errores disseminabat Joannes de Polliaco sacrae theologiae doctor in praedicationibus, et in scholis.

I. *Confessi Fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confessiones, tenentur iterum peccata, quae confessi fuerant, confiteri proprio sacerdoti.*

II. *Quod stante statuto* Omnis utriusque sexus, *edito in concilio generali, Romanus Pontifex non potest facere, quin parochiani teneantur confiteri omnia peccata sua semel in anno proprio sacerdoti, quem dicit esse parochialem curatum; immo nec Deus posset hoc facere, quia ut dicebat, implicat contradictionem.*

III. *Quod Papa non potest (dare) generalem potestatem audiendi confessiones, immo nec Deus quin confessus habenti generalem licentiam, te-*

(1) B. M. p. 3. vel t. 9. p. 163.

neatur iterum eadem peccata confiteri proprio sacerdoti, quem dicit esse ut praemittitur, parochialem sacerdotem.

Hos articulos licet doceret praedictus doctor, tamen aiebat se paratum esse illos impugnare, si S. Sedes illos censura dignos iudicaret; immo iam eos revocavit, auditis contrariis rationibus.

Ne tamen decipiant incautorum animos, eos Pontifex proscribit, vetans eos credi, et defendi.

Mandat Ordinariis, ne permittant, eos in suis dioecesibus doceri.

D. Avenioni VIII. Kal. Aug. P. a. V. a. D. 1321.

II.

Proscriptio propositionum allatarum in defensionem praedictorum errorum.

ALEXANDER V Patriarchis, Episcopis etc.

Incipit *Regnans in excelsis, etc.* (1).

Damnatas a Joanne propositiones nonnulli tamen volebant defendere et alios errores addebant.

I. Dicebant, damnationem factam a Joanne nullam esse, quia tunc erat haereticus (vide Theologica, *ne super*).

II. *Confessio Fratribus admissis facta est dubitabilis, et incerta.*

At cum agitur de salute, tenendum est certum, et dimittendum incertum, proinde peccant mortaliter, qui confitentur Fratribus, cum in incerto ponant salutem suam.

III. *Quamvis Fratres admissi habeant auctoritatem absolvendi, et audiendi confessiones, tamen populus non babet potestatem accedendi ad Mendicantes admissos sine licentia proprii sacerdotis; et Fratres petentes privilegia pro confessionibus audiendis, et sepulturis habendis sunt in peccato mortali, et excommunicati; et Romani Pontifices talia privilegia concedentes Mendicantibus, aut iisdem confirmantes sunt in peccato mortali, et excommunicati.*

(1) B. M. p. 3. vol. I. 9. p. 221.

IV. *Fratres non sunt, aut fuerunt pastores, sed fures, et latrones, et lupi. Sacerdos curatus dans licentiam Mendicantibus audiendi confessiones magis dispensat cum statuto* omnis utriusque fexus, *quam Papa Fratribus dans licentiam iuxta formam decretalis* Dudum.

Pontifex examinandos dedit hos articulos, inventosque peiores prioribus damnatis ab Joanne XXII proscribit, et vetat eos doceri, et defendi, et mandat Ecclesiae Praelatis ut in defendentes eos, et docentes procedant secundum canones.

D. Pisis IV. Id. oct. P. a I. a. D. 1409.

III.

Alii errores (qui non apponuntur) damnantur.

EUGENIUS IV Patriarchis, Archiepiscopis, etc.

Incipit *Gregis nobis, etc.* (1).

Quamvis errores Joannis de Polliaco et a Joanne XXII et ab Alexandro V fuerant proscripti, tamen novi errores subnascebantur identidem praeter damnatos ab Alexandro V, qui tamen coincidunt cum damnatis.

Itaque Eugenius mandat Episcopis, ut hos errores defendi vetent. Contumacesque per censuras ecelesiasticas coerceant. *Nulli ergo etc.*

D. Romae apud S. Petrum XVII Kal. feb. P. a. XVI a. D. 1446.

(1) B. R. t. 3. p. 3. p. 53. C. C.



IV.

Propositiones Petri de Osma sub censuris ecclesiasticis interdicuntur.

SIXTUS IV ad p. r. m.

Incipit *Licet ea, etc.* (1).

In Salmanticensi Universitate quidam Petrus de Osma cum quibusdam sociis has defendebat propositiones.

I. *Confessionem peccatorum in specie ex universalis Ecclesiae realiter statuto, non divino iure compertam fuisse.*

II. *Peccata mortalia quoad culpam, et poenam alterius saeculi absque confessione, sola cordis contritione, pravas vero cogitationes sola displicentia deleri.*

III. *Quod confessio secreta sit, necessario non exigi.*

IV. *Non peracta poenitentia confitentes absolvi non debere.*

V. *Romanum Pontificem Purgatorii poenas remittere, et super his, quae universalis Ecclesia statuit, dispensare non posse.*

VI. *Sacramentum Poenitentiae quantum ad collationem gratiae, naturae, non autem institutionis novi aut veteris testamenti existere.*

VII. Et alias, quas *ob enormitatem* silentio praetermittit Pontifex.

Sixtus, his auditis, Archiepiscopo Toletano negotium dedit, ut inquireret.

Archiepiscopus, coactis multis doctis viris, detexit virus harum propositionum, convicit Petrum de Osma, qui abjuravit, et sequaces.

Quod factum approbat Pontifex, easque propositiones proscribit, jubetque poenas ecclesiasticas tamquam haereticis infligi iis; qui eas crediderint, et defenderint, et publicari sententiam damnationis harum propositionum simul cum abjuratione Petri. N. O. *Nulli ergo etc.*

D. Romae apud S. Petrum V. Id. Aug. P. a. VIII. a. D. 1478.

(1) B. M. t. 1. p. 416. B. R. t. 3. p. 3. p. 171. C. C.

V.

Fieri confessio non potest inter absentes poenitentem, et confessarium.

CLEMENS VIII.

Incipit *Sanctissimus in Christo*, *etc.* (1).

Examinatam in Congregatione Cardinalium Sacrae Inquisitionis hanc propositionem,

Num liceat per litteras, seu internuncium confessario absenti peccata confiteri, et ab eo absente obtinere absolutionem?

Eadem Sacra Congregatio damnat ut falsam, temerariam, et scandalosam.

Ac proinde qui eam defenderit, excommunicationis poenam a solo Pontifice solvendae incursurum esse denuntiat.

Indict. XV. Die XIX. Julii P. a. XI. a. D. 1602.

VI.

In sollicitantes ad turpia in confessione.

PIUS IV Archiepiscopo Hispalensi in Hispania haereticae pravitatis Inquisitori Generali.

Incipit *Cum sicut, etc.* (2).

Factus certior ex multorum relatione Pontifex, sacerdotes quosdam in Hispaniis abuti confessionis sacramento, et mulieres poenitentes in confessione sollicitare ad turpia.

Inquisitori Generali mandat, ut hos inquirat, vel inquirere faciat, et in eos, ut in haereticos procedat.

Et juxta gravitatem delicti eos puniat, etiam, si opus fuerit, degradet, et judicio saeculari tradat. N. O. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud S. Petrum Die XIV. Ap. P. a. II. a. D. 1561.

(1) B. M. t. 3. p. 150. B. R. t. 5. p. 2. p. 460. C. C.
(2) B. M. t. 2. p. 48. B. R. t. 4. p. 2. p. 37. C. C.

VII.

Explicatio praedictae constitutionis de sollicitatione.

GREGORIUS XV ad p. r. m.

Incipit *Universi Dominici, etc.* (1).

Approbata Constitutione Pii V, quae est proxima praecedens, praeceptaque ejus inviolabili observantia, ne dubium enasci possit quandonam procedendum sit contra hos confessarios sacerdotes saeculares, vel regulares exemptos, et non exemptos *sollicitantes ad inhonesta sive cum aliis quomodolibet peragenda in actu sacramentalis confessionis, sive antea, vel post, immediate, seu occasione seu praetextu confessionis, etiam confessione non sequuta, in confessionario, vel loco ad confessiones audiendas electo simulantes audire confessionem, habentes inhonestos sermones* ab inquisitione puniendos decernit.

Et praecipit Cardinalibus Inqnisitoribns, ne sinant hoc crimen impnnitum *ob probationum defectum, cum difficilis sit probatio.*

Confessores scientes, aliquas fuisse sollicitatas a confessoribus, eas moneat, ut Inquisitori nomen sollicitantis deferant. N. O.

D. Romae apud S. M. Maj. II. Kal. Sept. P. a. II. a. D. 1622.

VIII.

Confirmatio praedictarum constitutionum: poenitentibus falso accusantibus confessores absolutio negetur: complices scelerum ne admittantur ad confessionem.

BENEDICTUS XIV ad p. r. m.

Incipit *Sacramentum Poenitentiae, etc.* (2).

Ne Sacramentum Poenitentiae a Christo Domino institutum, ut tanqnam tabula eriperet a naufragio fideles, converteretur in fidelium exitium ab ejus ministris, mnlta praecaverunt Pontifices, praecipue Gre-

(1) B. M. t. 3. p. 488. B. R. t. 5. p. 5. p. 54. C. C.

(2) B. M. t. 16. p. 32.

gorius XV, multa Cougregatio S. Officii, multas propositiones circa eam damnavit Alexander VII.

Ii, qui in ruinam Christi fidelium tam salubrem medicinam convertunt, sunt confessarii ad turpia, et inhonesta poenitentes suos sollicitantes.

Contra hos igitur Benedictus praedicta omnia confirmat, et mandat Inquisitionibus, et Ordinariis, ut nullo habito respectu inquirant in hos confessarios saeculares, vel regulares, qui vel in confessionalibus, vel aliis in locis ad confessiones excipiendas destinatis id peragunt.

Mandat etiam confessariis, ut si aliquis poenitens sollicitatus ad eos accedat, obligent ad denunciandos sollicitantes, et absolutionem ei denegent, si id facere recuset.

Quia vero accidere potest, ut quidam mali homines aliquem bonum ministrum tamquam sollicitantem denuncient falso, vult iis denegari absolutionem extra periculum mortis, eam soli Pontifici reservans.

Ad hoc autem, quantum fieri potest praecavendum inhibet cuicumque confessario, licet approbatus sit, et gaudeat exemptionibus, et privilegiis ne complices harum turpium rerum ad confessiones admittat, nullam declarans futuram datam absolutionem, nisi imminens, et urgens adsit necessitas.

Aliter faciens incurrat ipso facto excommunicationem soli Romano Pontifici reservatam absolvendam. N. O.

Ordinarii jubentur in approbatione confessariorum confessariis haec omnia nota facere. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud S. M. Maj. Kal. Junii P. a. I. a. D. 1741.

IX.

Dubitatione exortae ad partem ultimam praecedentis constitutionis de socio scelerum solvuntur.

BENEDICTUS XIV ad p. r. m.

Incipit *Apostolici muneris*, *etc.* (1).

Cum ex praecedenti constitutione, in ea parte, in qua vetat Pontifex, confessarium socio sui sceleris contra sextum praeceptum impertiri

(1) B. M. t. 16. p. 279.

posse absolutionem, *nisi in casu necessitatis, hoc est in mortis articulo*, dubitationes essent ortae, sui muneris putat esse eas solvere.

Eam ergo constitutionem rursus confirmat, et ait, si periculum mortis non adsit, sacerdotem hunc non posse absolvere socium sui criminis, et si adsit alius sacerdos, debere hunc, non illum audiri morientis confessionem; et si ingesserit ut audiat confessionem, valide quidem morientem esse absolutum; presbyterum autem non debere effugere poenas jam statutas.

Ulterius si adsit infamia, scandalum, si veniet alius sacerdos ad audiendam confessionem morientis, hic sacerdos socius non possit confessionem audire, sciat autem, se graviter deliquisse, qui exposuit morientem gravi peccandi periculo.

D. Romae apud S. M. Mai. Die VIII. Feb. P. a. V. a. D. 1745.

Apponitur et decretum generalis Inquisitionis, quo iubetur ut hanc Benedicti constitutio publicetur ab Ordinariis, et semel in anno feria quinta post octavam Assumptionis B. M. Virginis legatur apud Regulares in capitulo vel refectorio.

5. Aug. a. 1745.

X.

Ne exquirantur a confessario socii criminis a poenitente.

BENEDICTUS XIV Archiepiscopis, Episcopis regnorum Portugalliae, et Algarbiorum.

Incipit *Suprema omnium, etc.* (1).

Introductus fuerat in regna Portugalliae, et Algarbiorum abusus pessimus a quibusdam confessariis, putantibus se bene agere, et volentibus etiam damnabilem opinionem defendere, scilicet a poenitentibus etiam sub minis denegandae absolutionis exquirendi et sciendi socios eorum criminum.

(1) B. M. t. 16. p. 305.

Hinc falso zelo commoti hi confessarii hos socios, quorum nomina, et habitationem inquirebant, corrigebant. Hinc odium summum in confessionem, quae adeo religiose sacramentale observare debet silentium, enascebatur.

Opposuerant sese huic malo duo Cardinales, supremus Inquisitor, et Patriarcha Lisbonensis; sed doctores quidam perversis scriptis ausi sunt tam pravam opinionem tutari.

Quam Pontifex volens tollere funditus, eam, ut scandalosam, ut iniuriosam famae proximi, ut tendentem ad violationem sacramentalis sigilli damnat.

Et Episcopos eorum regnorum monet, ut ecclesiastica remedia adhibeant contra hos confessarios ita agentes.

D. Romae apud S. M. Mai. Die VII. Jul. P. a. V. a. D. 1745.

XI.

Poena excommunicationis non absolvendae nisi a R. Pontifice infligitur sacerdotibus detorquentibus in alium sensum praedictam constitutionem.

BENEDICTUS XIV ad. f. r. m.

Incipit *Ubi primum, etc.* (1).

Morem introductum in regna Portugalliae, et Algarbiorum sciendi socios dilectorum a poenitentibus, narrat Benedictus, et quam constitutionem ediderit (quae est proxime superior, quam inserit et in hanc) affert, quam confirmat.

In hac autem constitutione poenam excommunicationis latae sententiae non absolvendae nisi a Romano Pontifice et in mortis articulo minatur iis, qui audebunt detorquere sensum praedictae constitutionis, et praxim defendere; et sub praecepto strictae obedientiae omnibus confessariis utriusque cleri iniungit, ut eam observent.

(1) B. M. t. 17. p. 29.

Tum contra delinquentes doctores, male interpretantes eam, procedendi modum praescribit Inquisitoribns fidei, iubens, ut scientes aliquem confessarium ita agere, denuntient.

Quod si actus hic fuerit *imprudens, et simplex* in confessario nullaeque adsint circumstantiae, ex quibus appareat, ex malitia egisse confessarium, pnniatur ab Ordinariis: et ita decernit observari ab omnibus haec. N. O. *Nulli ergo, etc.*

D. in arce Gandulphi IV. Non. Junii P. a. VI. a. D. 1746.

XII.

Confirmatio praedictarum constitutionum de socio.

BENEDICTUS XIV ad p. r. m.

Incipit *Ad erudiendam, etc.* (1).

Tertio confirmat Benedictus primas litteras editas contra confessarios exquirentes socios delictornm a poenitentibus. Nimium enim cordi est Pontifici, ut abusus circa hoc sacramentum tollantur, cum iam satis per se hoc sacramentnm sit grave, etiam si non addatur timor fractionis sigillis.

Et praefatas litteras ad universos, et singulos confessarios utriusqne cleri extendit. N. O. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud S. M. Mai. IV. Kal. Oct. P. a. VIII. a. D. 1746.

XIII.

Poenitentes requisiti a confessariis de sociis, confess. denuntient Inquisitoribus, et Inquisitores in eos procedant.

BENEDICTUS XIV ad f. r. m.

Incipit *Apostolici ministerii, etc.* (2).

Repetit Benedictus, quae ediderit decreta contra confessarios exqnirentes a poenitentibus nomina, et habitationem sociorum, quod malum erat praecipue in Portugalliae, et Algarbiorum regnis.

(1) B. M. t. 17. p. 87.
(2) B. M. t. 18. p. 56.

Ut hoc malum funditus evellat haec decernit ulterius, ut omnes, exceptis poenitentibus in caussa propria, denuntient hos confessarios Inquisitioni.

Ubi fuerit delinquens sacerdos denuntiatus, procurator Ordinarii de more in Tribunali Inquisitionis assistens, si crediderit causae cognitionem spectare ad Ordinarium, afferat scriptas rationes intra tempus constitutum, et controversia *de pertinentia* caussae examinetur in ipso tribunali Inquisitionis, et in edenda sententia iustitiae tantum habeatur ratio, et ut decisum fuerint vel ab Inquisitione, vel ab Ordinario, fiat processus.

Hasque litteras perpetuo valituras decernit. N. O. *Nulli ergo.*

D. Romae apud S. M. Mai. V. Id. Dec. P. a. X. a. D. 1749.

XIV.

Opinionem quorumdam sacerdotum non probatorum ab Ordinariis, se posse audire confessiones vigore Bullae Cruciatae damnat Innocentius.

INNOCENTIUS XII ad p. r. m. M.

Incipit *Cum sicut, etc.* (2).

Praetextu Bullae Cruciatae, quamvis Concilium Tridentinum noluerat, quemquam nisi approbatum ab Ordinariis audire confessiones, multi regulares, et saeculares sacerdotes non approbati eas audiebant, dicentes, id sibi licere vigore eius bullae.

Hanc opinionem ut falsam, erroneam, temerariam et in praxi perniciosam damnat Innocentius.

Eamque defendere, et propugnare sub poena excommunicationis ab ipso Pontifice absolvendae cuicumque vetat.

Vultque observari decreta eiusdem concilii, et Pontificum constitutiones iubentium, nullum sacerdotem, qui non sit approbatus ab Ordinariis, confessiones audire posse. N. O. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud S. M. Mai. Die XIX. Ap. P. a. IX. a. D. 1700.

(2) B. M. p. 6. vel t. 12. p. 342. B. R. t. 9. p. 533. C. C.

XV.

Neque ex vi Bullae Cruciatae, neque cuiuslibet indulti sacerdos non approbatus potest eligi in confessarium.

BENEDICTUS XIV ad p. r. m.

Incipit *Apostolica indulta*, *etc.* (1).

Proscripta fuit ab Innocentio XII propositio posse gaudentes indulto eligendi sibi confessarium, eligere quemcumque etiam non approbatum ab Ordinario; quod decrevit et Benedictus XIII.

Sed cum Innocentius locutus sit de indulto Bullae Cruciatae, Benedictus de quolibet indulto, Pontifex, hic ne controversiae suboriantur, decidit,

Id intelligendum esse de indultis, et de Bulla Cruciatae.

Nam sicut Bulla Cruciatae dat privilegium eligendi sibi confessarium, ita dant et alia indulta; sicut ergo Bulla Cruciatae intelligenda est de electione confessarii approbati, ita itelligenda sunt etiam alia indulta de electione confessarii, sed qui sit ab Ordinario approbatus.

Ceterum sicut in indultis non comprehenduntur omnes saeculares sed solum ii, qui sunt expressi, idem dicendum et de Regularibus, qui nisi exprimantur in iis indultis, confessarium eligere sibi nequeunt.

In Bulla certe Cruciatae non reperiuntur expressi Regulares, ac proinde vi eius non possunt sibi eligere confessarium, a quo absolvantur a casibus reservatis, sicut possunt eligere laici.

Et ita haec privilegia vult esse intelligenda Pontifex. N. O. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud S. M. Mai. Non. Aug. P. a. IV. a. D. 1744.

Alia ad Poenitentiam attinentia reperies in art. de Parochis.

(1) B. M. t. 16. p. 204.



DE MATRIMONIO

—

I.

Graduum propinquitatis distinctio civilis non est sequenda in matrimonio, sed distinctio canonica.

ALEXANDER II.

Incipit *Ad Sedem, etc.* (1).

Nova enumeratio graduum propinquitatis a quibusdam *ignaris sacrorum canonum, quos incaestuosos* appellat Pontifex, fuerat introducta, ita ut tota perverteretur ab Ecclesia, et a sacris canonibus observata ad ineunda matrimonia graduum distinctio.

I. *Novo, et inaudito errore affirmabant hi, quod germani fratres, vel sorores inter se sint in secunda generatione; filii, vel filiae eorum in quarta, nepotes, vel neptes in sexta; in quo gradu dicunt deinceps viros et mulieres inter se posse nuptialia iura contrahere.*

II. Ut hunc errorem adstruerent, producebant leges Justiniani de successionibus consanguineorum, in quibus fratres numerantur in secundo gradu, filii in quarto, nepotes in sexto.

III. Ergo Pontifex ad rem tanti momenti examinandam concilium coegit, *quo vocatis Episcopis, et clericis, et iudicibus diversarum provinciarum distincte invenit ob aliam, atque aliam causam, alteram legum fieri, alteram canonum computationem.*

IV. In legibus civilibus quaeritur ius successionis ad quos extendatur, ita ut etiam ad gradum decimum aliquando perviat haereditas; in sacris canonibus duae respiciuntur personae ex diversis ortae stipitibus, quae inter se legitime uniri possint.

V. Jam in iure civili, ut inquit Justinianus, *quaelibet persona gradum adiicit*; non ita in iure canonico. Non tamen in gradu sexto defi-

(1) B. R. t. 2. p. 2. C. C.

nit imperator, sed usque ad decimum ius succedendi extendit. Errat ergo qui putat in matrimonio contrahendo sequendam esse hanc legem nam si matrimonium non est contrahendum inter consanguineos, iam qui sunt in gradu sexto civili, sunt adhuc consanguinei; ius enim haereditatis extenditur usque ad gradum decimum; quod argumento est, non esse intelligendos gradus civiles eo modo, quo isti intelligunt, ac proinde in contrahendo matrimonio sequendam esse regulam canonicam quae gradum septimum praescribit licitum, qui gradus gradui decimo civili correspondet; in civilibus definiuntur in octavo, et decimo qui in canonico sunt in sexto, et septimo.

VI. Jam interdum hac computandi ratione usi sunt Pontifices, ut D. Gregorius, cum scripsit Augustino Anglorum Episcopo; *Necesse est, ut iam in tertia, vel quarta generatione copulatio fidelium licenter sibi coniungi debeat; nam a secunda omnino debent abstinere. In his verbis aperte monstratur, filios, et filias in secunda generatione computari.* Quod privilegium concessit Pontifex peculialiter Anglis. Nam a Messanae praesule Pontifex interrogatus, num in Sicilia id liceret, respondit, hoc se concessisse Anglis, *ne bonum, quod coeperant, metuendo austeriora desererent;* at in Sicilia non licere.

VII. *Sunt quidam, qui non a fratribus, sed a filiis eorum, id est vel patruelibus, vel consobrinis genealogiam numerare incipiunt; quia fratres sunt quidam, unde coeteri existunt.* Sed hi quoque cum non progrediantur ultra sextam generationem, sunt in errore. *Ultima enim generatio, si initium sumatur numerandi a fratribus, septima invenitur; si a filiis, sexta.*

VIII. Ergo monet Alexander Episcopus, ut antiquam in Ecclesia numerandi genealogias sequantur rationem, et omnes doceant hanc sequendam. *Si quis enim aliter in nuptiis celebrandis numerare contenderit, primum pro sua temeritate coelesti poena plectetur, postmodum vero gladio perpetui anathematis noverit se iugulandum.* a. 1063.

II.

De mulieribus nuptis alteris in captivitate suorum virorum: de edentibus cibos idolis immolatos: de iterantibus baptisma Aquilejensi Episcopo consulenti resp. Leo.

LEO I Nicetae Aquileiensi Episcopo.

Incipit ***Regressus ad nos***, *etc.* (1).

Exardescente in Italia bello, multi fuerant abducti ab hostibus in captivitatem. Coniuges multae vel putantes viros suos iam mortuos apud hostes, vel nunquam a captivitate in patria redituros, vel coactae necessitate alendi natos suos, aliis nupserant. Rerum facie mutata multi viri in patriam redierunt, inveneruntque coninges suas iam aliis nuptas. Ne in re tam gravi erraret Episcopus, consuluit Pontificem; qui respondet; hoc pro firmo tenendum *a Deo uniri mulierem viro, hominem separare non posse quod Deus coniunxit, recuperandum ab unoquoque, quod proprium est.* Nam si res amissas per bellum dominus recuperare potest, bello finito, multo magis vir poterit repetere uxorem. Quod si aliquae mulieres captae amore posteriorum virorum nolint primos viros accipere, iis ita flagitantibus; *merito sunt notandae, ita ut etiam ecclesiastica communione priventur.*

Respondet postea ad alia quaesita Pontifex; captivos vescentes cibis diis immolatis purgandos esse poenitentia; leviorem dandam iis, qui metu id egerunt.

Iterantes baptismum vel coactos metu, vel errore traductos poenitentiam agere debere duraturam ad iudicium Episcopi.

Baptizatis ab haereticis solam invocationem Spiritus Sanctis, id est impositionem manuum ab Episcopo faciendam. Mandat eidem ut haec communicet cum suis comprovincialibus Episcopis.

D. XII. Kal. Apr. Maiorano Augusto 1. Coff.

(1) B. R. t. 1. p. 15, C. C.

III.

Judicium purgationis permittendum uxori criminatae.

GREGORIUS VII Uberti Genuensi Episcopi.

Incipit *Intelligentes errorem, etc.* (1).

Amaldus quidam genuensis a patre suo coactus fuerat relinquere uxorem suam *de fornicatione falso criminatam*, nec eam subire volebat iudicium *purgationis*, quod mulier exposcebat.

Videbatur Episcopus consentire cum Amaldo.

Ergo Pontifex eum monet, ut iudicium purgationis permittat mulieri et si ab obiecto crimine se purgarit, ne patiatur virum ab uxore separari.

Si Amaldi pater se se opposuerit, ecclesiasticis poenis coerceat illum.

Romam *quam citius* eum invitat.

Data Laterani, quarto Kalendas Martii, Indictione XII a. 1074.

IV.

De tollendis libidinum generibus, et abortibus; de non tenendis infantibus in lecto a genitoribus; de celebratione Missae cum vino.

ALEXANDER III Hispalensi Archiepiscopo, et suffraganeis eius.

Incipit *Vice Beati, etc.* (2).

I. Commonet Alexander Hispalensem Archiepiscopum, ut tollat de medio sui gregis abortus, quos data opera et mulieres, et corruptores procurant.

II. Incestuosam libidinem.

III. Cum iumentis coniunctionem.

(1) B. R. t. 2. p. 27. C. C.

(2) B. M. p. 3. vel t. 9. p. 26. B. R. t. 2. p. 410 C. C.

I. Procurantes abortum vere homicidae sunt, ut ait s. Augustinus, et si Dominus vetat in terram iactare semen, multo gravius est crimen eius, *qui non abhoret proprium natum interficere*.

II. Incestum autem adeo abhorret Ecclesia, ut voluerit Concilium Ilerdense, incestuosos arceri a communione Ss. Eucharistiae.

III. Coniunctionem cum brutis animalibus ita semper Deus est detestatus, ut iusserit per Moysen interfici animalia ipsa, quibuscum facta est coniunctio, ut memoria penitus tanti facinoris aboleatur.

IV. Hos omnes abortum procurantes, cum matre, filia, sorore, consobrina, nepte agentes, cum iumentis coeuntes, Episcopi Romam mittant, nisi sint infirmi, vel senes, *ut in sudore vultus sui, et viarum labore superni iudicis iram evadant.*

V. Qui tenentes secum natos in lecto genitores suffocant, si sint baptizzati, per triennium poenitentiam agant, si non sint baptizati, per quinquennium, si nutrix, vel alii eos suffocaverint, poenitentiam non agant, *si tamen eos non furiosae, sed congruenti custodiae ipsos se crediderint tradidisse.*

VI. Ut non permittant iuiri matrimonia sine sacerdotali benedictione; ex quo illicita fiunt coniugia, et divortia inter legitimas personas.

VII. Vult etiam ut pravum morem evellant Episcopi quorumdam sacerdotum celebrandi *cum faece sicca vini, et panis micis in eo* tinctis cum Christus et panem, et vinum consecrarit.

Datum Tuscul. V. Id. Septembris an. 1170.

V.

Responsio ad duo quaesita Episcopi Cenomanensis.

URBANUS III Cenomanensi Episcopo.

Incipit *Cum in Apostolica, etc.* (1).

Lis pendebat coram Cenomanensi Episcopo de divortio inter villicum, et uxorem eius.

(1) B. R. t. 3. p. 1. p. 24. C. C.

Finxit quodam die villicus, emanasse ab Episcopo sententiam de divortio, et aliam mulierem huius falsificationis insciam sibi copulavit.

Interim delegati a S. Sede iudices sententiam de divortio proferunt.

Quaerit Episcopus, uum hi, quorum consensum de matrimonio iam habuit, debeant coniuncti permauere?

Respondet Urbauus, eos debere permanere, imposita tameu prius poenitentia, qua durante a caruali copula abstineaut.

Requisivit Episcopus, num filius, qui spopondit, se ducturum in uxorem aliquam, si genitor suus consenserit, genitori non consentiente possit cogi ad eam ducendam, an nou?

Pontifex respondet, cogi non posse; quia promissio nou est de praesenti, et quia hic consensus est conditionatus ad arbitrium patris. a. 1186.

VI.

De non danda cautione a iudicibus mulieri de viro.

PAULUS III M. P.

Incipit *Cum sicut*, *etc.* (1).

Mulieres quaedam volentes ad libitum vivere, nec ferre virorum suorum reprehensiones, fingebant, se velle solvere matrimonium, aut nulla alia ratione velle se cum illis vivere, nisi sibi dent cautionem de non molestando se.

Assumebantur autem a mulieribus ii fideiussores, a quibus ipsae amabantur.

Progressu temporis sub quovis contentionis praetextu cautionem a maritis postulabant, quam cum ipsi dare non possent, carceribus mancipabantur, et quandoque demandabantur ad triremes.

Cognita versutia harum mulierum, Pontifex inhibet cuique iudici, instantias huiusmodi mulierum quarumcumque a maritis postulantium aut summam pecuniae, aut fideiussionem nullo modo admitti.

(1) B. M. t. 1. p. 723. B. R. t. 4. p. 1. p. 151 C. C.

Nec lites earum contra maritos nullatenus cognosci, nisi ipsae prius apud aliquam mulierem honestam, vel in monasterium s. Marthae se contulerint.

Vicarius Pontificis assignatur executor. N. O.

P. etc. Ita M. a. D. 1536.

VII.

In exprimendis gradibus satis est si remotior exprimatur.

PIUS V M. P.

Incipit *Sanctissimus in Christo, etc.* (1).

Gregorius XI et Clemens VI statuerant, *in quibuscumque dispensationibus pro matrimoniis mulieres inter et viros contractis, aut contrahendis invicem diversis prohibitis consanguinitatis, et affinitatis, aut mixtis ex communi, seu ab eodem stipite surgentibus, dummodo primum quoquo modo non attingant, gradibus coniunctos, ut gradus remotior ostendatur, ac ob id sufficiat remotiorem tantum gradum exprimere, obtentis tamen postea super proqinquitate litteris declaratoriis.*

Hoc approbat Pius, et revocat, quod decreverat Pius IV ut non solum exprimeretur gradus remotior, sed etiam propinquior. P. M. P. I.

DIE XX aug. P. a. I. a. D. 1566.

VIII.

Coniunctis cum aliqua cognatione spirituali ante Concilium Tridentinum non est opus apostolica dispensatione.

PIUS V M. P.

Incipit *Sanctissimus in Christo*, *etc.* (2).

Concilium Tridentinum cum exposuisset impedimenta cognationis spiritualis in matrimonio, dubitabatur, an qui erant coniuncti ante illud

(1) Ib. p. 206 Ib. p. 311 C. C.

(2) B. M. t. 2. p. 206. B. R. t. 4. p. 2. p. 310 C. C

concilium cum ea cognatione spirituali absque apostolica dispensatione, deberent post concilium petere dispensationem.

Pontifex declarat, non esse opus alia dispensatioue pro matrimoniis iam contractis ante concilium, necessariam esse pro contrahendis.

Rursus declarante concilio, affinitatem, quae ex fornicatione contrahitnr, debere attendi in illis, qui primo, vel secundo gradu affinitatis coniunguntnr, dubitabatur, an matrimonia inita in ulteriori affinitalis gradu ante concilium, dirimi debeant post concilinm.

Decernit Pins, ea matrimonia sic contracta non esse dirimenda. P. M. P. I.

Die XX aug. P. a. I. a. D. 1566.

IX.

Post Tridentinum Concilium matrimonia possunt iniri in gradibus affinitatis ex fornicatione, (Excipe gradus primum, et secundum).

PIUS V ad p. r. m.

Incipit *Ad Romanum*, *etc.* (1).

Ambigebatur, an licet Concilinm Tridentinnm vetuerit matrimonia inita in aliquo gradu affinitatis ex fornicatione dirimi (praeter primum, et secundum) contrahi tamen possent de caetero.

Respondet Pius, exceptis illis primo, et secundo gradibus, libere, et licite in alius gradibus posse matrimonia contrahi. *Nulli ergo etc.*

D. Romae apud S. Petrum IV Kal. P. a. I. a. D. 1566.

(1) Ib. p. 207. Ib. C. C. 312. C. C.

X.

Impedimentum publicae honestatis quando valeat ex decreto Tridentini Concilii

PIUS V ad p. r. m.

Incipit *Ad Romanum*, *etc.* (1).

Dubitabant nonnulli, an impedimentum publicae honestatis (de quo in Concilio Tridentino sess. 24, c. 3.) de futuris tantum sponsalibus, an etiam de matrimoniis contractis de praesenti, non tamen consummatis deberet intelligi.

Pontifex declarat, decreta *concilii esse intelligenda*, *et procedere in sponsalibus de futuro dumtaxat, non autem in matrimonio sic contracto. Sed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis casibus, et gradibus, quibus de iure veteri ante praedictum concilii decretum, introductum erat.* N. O. *Nulli ergo etc.*

D. Romae apud S. Petrum Kal. iul. P. a. III. a. D. 1568.

XI.

Ministri Poenitentiariae pro obtinendis dispensationibus veritatem exprimant

PIUS V M. P.

Incipit *Cum sicut etc.* (2).

Falsitates interdum exponebantur Poenitentiariae, ut matrimoniorum dispensationes haberentur.

Pius huiusmodi abusibus obviare cupiens, mandat, ut procuratores Poenitentiariae, sollicitatores, scriptores etc. veritatem quoad *substantialia*, *et qualitates exprimendas* vere narrent; secus facientes poenam falsi incurrant, et puniantur. P. M. P. I.

Die V. Dec. P. a. I. a. D. 1566.

(1) Ib. p. 275. B. R. t. 4. p. 3. p. 18. C. C.
(2) Ib. p. 113. B. R. t. 4. p. 2. p. 324. C. C.

XII.

Idem decernit Benedictus.

BENEDICTUS XIV ad p. r. m.

Incipit *Ad Apostolicae, etc.* (1).

Urget eamdem materiam matrimonialem Benedictus, et quia nonnulli putabant, non esse necessariam minutam expositionem circumstantiarum exprimendam in supplici libello ad obtinendas dispensationes, nec earum verificationem, decernit necessariam omnino esse utramque.

Si enim preces sint falsae, nulla est gratia. Inter has circumstantias exprimendum est periculum vitae immens. Ita decrevit etiam Pius V, ut in constitutione proxime praecedenti.

Jubet, ut litterarum apostolicarum super dispensationibus his verificatio delata cum libello supplice conveniat; datque Datario, et Prodatario facultatem citandi reos, illosque tamquam falsos puniendi, si exposita in petitionibus non verificentur.

In esponendis demum gradibus propinquitatis dilucide, et aperte omnia exponantur, ne haesitatio in exequendis apostolicis litteris executoribus suboriatur. *N. O. Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud S. M. Maiorem V. Cal. Mar. P. a. II. a. D. 1742.

XII.

Dispensationes matrimoniales post factum,
ut facilius impetrentur, matrimonium non debent concedi.

PAULUS IV ad p. r. m.

Incipit *Ab ea, etc.* (2).

Multi scientes, se esse in secundo consanguinitatis, vel affinitatis gradu ut facilius apostolicam dispensationem impetrarent, coibant ante matrimonium, postea vero eam postulabant, impetrabantque.

(1) B. M. t. 16. p. 73.
(2) B. R. t. 4. p. 1. p. 327. C. C.

Vetat Paulus dari has dispensationes post initum matrimonium subdole, *etiamsi proles subsequuta fuerit;* sed solum dandas *ex caussa urgentissima pro bono publico, et a iure considerata per Pontificem tantum, iubet.*

Non O. Nulli ergo, etc.

D. Romae apud S. Petrum V. Id. Dec. P. a. 1. a. D. 1555.

XIV.

Viri separati viventes impudice, parentes exponentes filias, deflorator patrem vel tutorem defloratae in carcerem detrudens, morte efficiantur.

SIXTUS V ad p. r. m.

Incipit *Ad compescendam, etc.* (1).

Contra viros obtinentes ab iudice separationem thori, et impudice viventes, aut contra uxores, quae separato thoro, quaestum corporis faciunt, aut quae aufugerunt a loco illis a iudice designato, impudiceque vivunt, poenam mortis denuntiat Sixtus.

Illi item eadem poena iubetur infligenda, qui, ut defloret virginem, sub aliquo praetextu, patrem, vel tutorem in carcerem detrudit;

Pari modo puniri mandat parentes exponentes, et inducentes filias suas ad inhonestatem.

Monentur coniugatae ut pudice vivant; quia iisdem poenis subiacebunt. N. O. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud S. Petrum III. Kal. Nov. P. a. II. a. D. 1586.

(1) Ib. p. 601. B. R. t. 1. p. 4. p. 267. C. C.



XV.

Poena mortis infligenda incestuosis.

SIXTUS V ad p. r. m. M. P.

Incipit *Volentes quantum, etc.* (1).

Contra incestuosos est haec constitutio.

Poena ultimi supplicii iis infligitur, qui aut matrem, aut sororem germanam etiamsi quaestum corporis faciant, cognoverint.

Quae quidem poena extenditur et ad fautores, et consiliarios. F. M. P.

D. Romae apud S. Petrum Non. Ap. P. a. II. a. D. 1587.

XVI.

Matrimonia cum eunuchis,
et spadonibus non permittantur.

SIXTUS V Episcopo Novariensi
in regnis Hispaniarum S. Sedis Nuntio.

Incipit *Cum frequenter, etc.* (2).

Plura matrimonia fiebant in Hispaniis a mulieribus inscientibus cum eunuchis, et spadonibus, quae deinde lites pro separatione faciebant.

Nuntio interroganti Pontificem, quid de his matrimoniis iudicare deberet, Sixtus respondet, non esse illa de caetero permittenda, utpote contraria canonicis sanctionibus, et naturae matrimonii.

Facta autem, si vivant eunuchus et mulier separatim, quin commisceantur, rata sint; si in eodem thalamo sint, et luxuriae incumbant irritentur. N. O.

D. Romae apud S. Marcum Die XXVII. Jun. P. a. III. a. D. 1587

(1) Ib. p. 620. Ib. p. 294. C. C.
(2) Ib. p. 634. Ib. p. 319. C. C.

XVII.

Poena homicidii imponenda abortum procurantibus, et excommunicatio maior.

SIXTUS V ad p. r. m.

Incipit *Efformator perditissimorum*, *etc.* (1).

Abortus crimine fuse execrato, poena homicidii imponitur iis, qui abortum procurant, aut labores uxoribus suis praegnantibus nimias imponendo, aut potionibus, et medicamiuibus, vel quocumque alio modo, sive per se, sivo per alios.

Si clerici sint huius sceleris participes, fautores, et consiliari, suspendantur, beneficiis priventur, degradentur, et curiae saeculari tradantur.

Insuper iisdem poenis puniantur, qui sterilitatem suarum uxorum procurant; et etiam poenae ecclesiasticae infligantur, excommunicationis maioris, a qua absolvi non possint nisi a Romano Pontifice, neque in iubilaeo, neque in anno sancto a sacerdote. N. O. *Nulli ergo*, *etc.*

D. Romae in Monte Quirinali IV. Kal. Nov. P. a. IV. a. D. 1588.

XVIII.

Mitigatio Sixti bullae quoad excommunicationem.

GREGORIUS XIV ad p. r. m.

Incipit *Sedes Apstolica*, *etc.* (1).

Moderatur Gregorius . poenam excommunicationis latam a Sixto V in procurantes abortum, dans cuicumque sacerdoti habenti ab Ordinario licentiam horum casuum absolvendorum, facultatem absolvendi reos huiusmodi in foro tantum conscientiae.

Idquo facit ad evitanda maiora mala. N. O.

D. Romae in Monte Quirinali prid. Kal. Junii P. a. I. a. D. 1591.

(1) Ib. p. 702. B. R. t. 5. p. 1. p. 25. C. C.
(2) Ib. p. 766. Ib. p. 279. C. C.

XIX.

Poenae in nubentes mentito nomime, uxore vivente.

URBANUS VIII ad p. r. m.

Incipit *Magnum in Christo, etc.* (1).

Poenas eorum, qui mentito nomine, vivente adhuc uxore, aliam ducunt, hic statuit Pontifex; nempe ut ad vitam damnentur ad triremes; si quis idoneus non sint, fustigatus per urbem perpetuo carceri damnetur.

Si iniquitates aliae circumstent, alias poenas iudices adiiciant pro sua prudentia.

D. Romae apud S. M. Mai. Die XX iun. P. a. VIV. a. D. 1637.

XX.

De modo examinandi testes de libertate alicuius volentis nubere.

CLEMENS X. Decretum.

Incipit *Cum alias, etc.* (2).

Ut omnis aditus intercludatur iis, qui vivente adhuc uxore volunt transire ad secundas nuptias, Congregatio Cardinalium super haeretica pravitate interrogatorium edidit, iuxta quod deberent examinari testes in cancellariis Episcoporum circa statum volentium nubere liberum, vel non liberum.

Admoneantur testes de gravitate iuramenti in primis.

Tum interrogentur de nomine, patria contraentium, etc.; admittantur pro testibus potius consanguinei, quam extranei; magis credatur civibus, quam estraneis, excludantur a testimonio vagi, et milites.

Parochi non faciant publicationes in ecclesiis pro matrimonio, nisi certiorato Ordinario a quo habeat authenticam.

Cancellarii contravenientes severe puniantur.

Die XXI. Aug. a. 1670.

(1) B. M. 3. 4. p. 52. app. B. R. 1. 6. p. 2. p. 103. C. C

(2) B. M. 1. 6. p. 313. B. R. t. 7. p. 46. C. C.

XXI.

De poena lenonum, et lenarum.

PAULUS IV M. P.

Incipit *Sanctissimum D. N., etc.* (1).

Lenones, qui subduxerint puellam, aut puerum, et prostituerint, privati quavis dignitate, puniantur iuxta leges per iudices saeculares.

Lenones *circa masculorum prostitutionem* versantes, et lenae circa prostitutionem puellarum, et viventes de eorum lucris ultimo supplicio afficiantur.

Qui corruperint puerum, aut puellam, capitali poena plectantur; si non corruperint, sed instruxerint, in insulam deportentur.

Extra hos casus lenones, et lenae fustibus per urbem plectantur.

Domini domus si scientes locaverint, vel admoniti eos non eiecerint, domos amittant, et ducatorum auri mille poenam persolvant.

Haec constitutio per proclama liget omnes in Statu Ecclesiastico. D. a. 1559.

XXII.

Catholici Capitanei non possunt cogi ab Episcopo s. Salvatoris ad praestandum in eius manibus iuramentum pro dispensationibus matrimonialibus.

INNOCENTIUS X ad f. r. m.

Incipit *Expone nobis, etc.* (2).

Volebat Episcopus s. Salvatoris catholicos Capitaneos in provincia de Pernambuco ad Curiam episcopalem accedere ut darent ibi iuramentum in causis dispensationum matrimonialium.

(1) P. M. t. 3. p. 840.
(2) B. R. t. 6. p. 3. p. 22. C. C.

Quod cum esset iis nimis grave ob distantiam locorum, et periculosum, decernit Innocentius, eos ad id cogi non posse; sed satis esse si in manu personae ecclesiasticae ad id deputatae illud praestent. N. O.

D. Romae apud S. Petrum, die XVII. febr. P. a. I. a. D. 1645.

XXIII.

Nuncius Poloniae derogare possit circa formam contrahendi matrimonia dispensata.

ALEXANDER VII Nuncio in Polonia.

Incipit *Hodie per alias, etc.* (1).

Inter alias facultates datas Nuncio Poloniae haec quoque erat, ut posset dispensare super matrimoniis *in 2 et 3 gradu simul, vel in tertio simplici, aut duplici, vel in 3 et 4 simul, aut etiam in 4 simplici, vel duplici consanguinitatis, et affinitatis, et ut matrimonium de novo contraheretur servata forma Tridentini Concilii.*

Quia vero fieri potest, ut hoc effici non possit interdum sine scandalo, dat facultatem Nuncio, ut in hoc derogare possit per se, vel per alios huic formae, scilicet assistendo vel per se, vel deputando confessarium sponsae, vel sponsi ut assistat *cum duobus testibus, si haberi poterunt.* N. O.

D. Romae apud S. M. Mai. Die X. Nov. P. a. III. a. D. 1657.

XXIV.

Episcopi Poloniae suorum curialium nimiam facilitatem in dirimendis matrimoniis coerceant.

BENEDICTUS XIV Archiepiscopis, et Episcopis Poloniae.

Incipit *Matrimonii perpetuum, etc.* (2).

Audiens Benedictus, facillime in Polonia matrimonia dissolvi, *perinde ac si neque lege naturae, neque divino iure, neque evangelii praeceptis* ,

(1) B. R. t. 6. p. 4. p. 198. C. C.

(2) B. M. t. 16. p. 26.

neque canonicis sanctionibus inita essent, scribit ad Poloniae Praelatos.

Se non posse temperare a lacrimys scientem, virum, et mulierem per dissolutionem matrimonii transire ad secundas, ad tertias, et etiam ad quartas nuptias.

Culpam harum dissolutionum confert in curias episcopales prudenter Benedictus.

Hortatur igitur Pontifex eos Antistites, ut curialium nimiam facilitatem dissolvendorum matrimoniorum coerceant, et reputent incuriae horum ministrorum se rationem Deo reddituros.

D. Romae apud S. M. Mai. Die XI. Ap. P. a. I. a D. 1741.

XXV.

Observantia sacrorum canonum in matrimoniis praescribitur Episcopis.

BENEDICTUS XIV ad p. r. m.

Incipit *Nimium licentiam*, *etc.* (1).

Ad eosdem Poloniae Episcopos scriptae sunt hae litterae apostolicae de dissolutione matrimoniorum nimis facili in eo regno.

Dolet igitur Benedictus, quamvis lege proposuerit (v. infra) observandas super occultis matrimoniis, quamvis formam iudiciorum matrimonialium reformaverit, quamvis deputaverit iudices idoneos ad has causas dirimendas, eludi adhuc has provisiones in regno Poloniae.

Conveniunt enim inter se coniuges, ut emanata una sententia iudicis vel pro, vel contra virum v. g. vir non appellet; pacta quadam pecuniae quantitate parti non appellanti.

Haec mala autumat Pontifex nasci ex eo quod in Polonia male matrimonia, et inordinate contrahantur. Saepe enim, dum matrimonium initur, abest parochus, et cuilibet presbytero committitur assistentia, aliquando fit coram aliquo sacerdote, inscio parocho, saepissime di-

(1) B. M. t. 16. p. 160.

spensatur super denuntiationibus faciendis in respectivis parochiis viri et mulieris.

Hinc mirum non est, si aliquod progressu temporis detegatur impedimentum, cuius vi solvatur matrimonium, quod fuisset impedimentum detectum, si antequam matrimonium fieret, publicationes fuissent factae.

Ad haec mala avertenda, primum sub poena excommunicationis reservatae Romano Pontifici damnat haec pacta; tum leges a se statutas circa appellationes confirmat; deinde Episcopis iniungit, ut canonum decreta circa celebrationem matrimoniorum observari faciant, neque facile dispensare velint a publicationibus faciendis.

Parochis autem mandat, ut semper matrimoniis assistant, et ipsi consensum sponsorum accipiant, et antequam eos uniant, videant an aliquod sit impedimentum; neque praetermittant inter Missarum solemnia publicationes facere.

Ordinariis praeterea mandat, ne matrimoniorum assistentia delegent aliis presbyteris, sed iubeant proprios parochos assistere.

Demum eos admonet, observatores legum futuros subditos, si tales noverint Praelatos suos.

Nuncio itidem Apostolico in eo regno inhibet dispensationem super denuntiationibus dare.

In fine minatur Episcopis, se graviora remedia adhibiturum.

Pro dissolutione enim matrimoniorum in regno Poloniae statuet tres sententias uniformes esse debere, in prima instantia ad Episcopum, in secunda ad Metropolitanum, in tertia ad Congregationem Cardinalium super Concilio Tridentino. N. O.

Hoc tantum remedium ultimum ingerit tamquam salutare, ut bonos ministros, et integros in curia eligant.

D. Romae apud S. M. Mai. Die XVIII. Mai. P. a. III. a. D. 1743.

XXVI.

De concessione, et executione dispensationum apostolicarum super impedimentis matrimonii.

BENEDICTUS XIV ad Primatem, Archiepiscopos, et Episcopos Poloniae.

Incipit *Magnae vobis*, *etc.* (1).

Per Poloniam disseminatus fuerat rumor, per Pontificem *sublata fuisse impedimenta canonica matrimonio legitime, aut valide obeundo obsistentia*, *licet contrahentium alter*, *vel etiam uterque haereticam sectam aperte profiteatur.* Quam calumniam refutare muneris ducit esse sui Pontifex, quod facit hac constitutione.

Ut igitur eam confutet, ostendit consuetudinem perpetuam Ecclesiae circa matrimonium haereticorum, a qua consuetudine numquam S. Sedes descivit. Ita Urbanus VIII. a. 1624 de his matrimoniis ait in litteris apostolicis de die XXX. mens. dec.: *Licet probe teneamus Catholicorum cum haereticis matrimonia omnino fugienda esse, et quantum in nobis est a Catholica Ecclesia procul arcere intendamus.* Æque aperte loquitur Clemens XI in litteris datis die XXV iunii a. 1706 et in aliis die XXIII iulii a. 1707. Ita fecit et Benedictns, ut dicetur.

Et quoties a S. Sede datur dispensatio contrahendi haec matrimonia, vel super aliquo impedimento, adiicitur semper clausula *abiurata prius haeresi*; immo Innocentius X statuit, ne haec dispensatio daretur, nisi per authenticum documentum constaret, contrahentem partem abiurasse; ita etiam iussit Clemens XI. Archiepiscopo Meclinensi a. 1710 observandum.

Fuere quidem datae aliquae huiusmodi dispensationes, sed rarissimae, inter Principes tantum, at cum clausula, ut nascitura proles in catholica fide aleretur.

Quod si aliqua circumstantia occulata fuit Sedi Apostolicae pro impetratione dispensationis, Ordinario tamen datur facultas litteras apostolicas non exequendi, si ipse sciat, hanc circumstantiam praeter-

(1) B. M. t. 17. p. 230.

missam. Ita Alexander III Archiepiscopo Ravennae praescripsit, ut est in Cod. Decret. I. *Si quando de rescriptis.*

In supplicatione porrigenda S. Sedi pro dispensatione ita solet apponi, *cupiunt oratores*, *orthodoxae fidei vere cultores etc.* Quare si Ordinarii sciant, contrahentes esse haereticos, non debent eos coniungere, cum illa clausula principe studio addita sit, *modo sint catholici*; sed expeditae fuerunt quaedam litterae apostolicae super aetate puellae, quae nondum annum duodecimum, quae est aetas apta at matrimonium expleverat, absque hac clausula *modo sint etc.* Et addita fuit illa, *quia malitia aetatem suppleat*; et ideo abolita ea non fuit clausula, *dummodo*, qua spectat ad Ordinarios Romam scribere in libello supplici, cuius fidei contrahentes sint. Sedes Apostolica ad clausulam malitiae rescripsit Ordinario, ut se informet, *num vera sit malitia supra aetatem.*

Quae cum ita sint, iubet Benedictus, ut etiamsi per aliquam falsitatem obtentae sint litterae apostolicae, ipsi tamen Ordinarii invigilent, an vera exposita sint Sedi Apostolicae, et tunc litteras exequantur, an falsa, et eas suspendant, et falsos hos rumores depellant.

D. Romae apud S. Petrum Die XXIX iunii P. a. VIII. a. D. 1748.

XXVII.

Altera epistola de concessione et executione litterarum apostolicarum

BENEDICTUS XIV Ad Primatem, Archiepiscopos, et Episcopos Poloniae.

Incipit *Ad tua, etc.* (1).

Quidam Poloniae Episcopus *duobus lutheranis coniugibus*, *qui in secundo affinitatis gradu inter se coniuncti erant*, *ineundi se matrimonii facultatem dedit, asserens se fecisse id generali potestate*, sibi, ut Episcopo *in remotis* agenti, a Sede Apostolica concessa.

Sed hanc facultatem nemini dedit Ap. Sedes, et si etiam data fuisset, non tamen extenditur ad haereticos.

(1) B. M. t. 17. p. 272.

Nam facultates, quae dantur Europae Episcopis, qui in dominiis principum catholicorum degunt, in haec verba conceptae sunt', *dispensandi in tertio, et quarto simplici, et mixto tantum cum pauperibus in contrahendis; in contractis vero cum haereticis conversis etiam in secundo simplici, et mixto, dummodo nullo modo attingat primum gradum, et in his casibus prolem susceptam declarandi legitimam.*

Praeterea in licentia data ab Episcopo praetermittitur, *facultatem fuisse datam ab Apostolica Sede*, quae clausula praetermissa facultatem nullam redit.

Ulterius dispensatio conceditur in matrimoniis contractis, non in contrahendis, ut erat hoc.

Quidquod concessa fuit dispensatio, quin praecesserit abiuratio, quae ad dispensationem impetrandam necessario requiritur?

Neque quicquam prodest quod allegavit Episcopus, hos coniuges dedisse fidem, amplectendi religionem catholicam; nam etiamsi ab hac fide deficiant, puniri in iis regionibus, in quibus permissum est haereticis suo modo vivere, non possunt.

Nulla ergo declaretur dispensatio, irritumque proinde matrimonium est.

Demum Pontifex monet Episcopos, ut facultates sibi datas a S. Sede attente considerent, nec quicquam agant, quod in iis non contineatur.

D. Romae apud S. M. Mai. Die VIII. Aug. P. a. VIII. a. D. 1748.

XXVIII.

Provisiones, ne facile matrimonia dissolvantur.

BENEDICTUS XIV ad p. r. m.

Incipit *Dei miseratione*, *etc.* (1).

Matrimonia, quorum indissolubilitatem Christus ipse testatus est illis verbis quod *Deus coniunxit*, *homo non separet*, cum scivisset Pontifex

(1) B. M. p. 16. p. 58.

in quibusdam curiis episcopalibus facile dissolvi, hanc edit constitutionum, ut abusum huuc contra sacramenti institutum, contra ecclesiasticas sanctiones, contra ecclesiasticam disciplinam introductum, prorsus tollat.

Multas autem autumat Pontifex esse posse causas huius abusus.

I. Vel quia nullus adest iudex, ad quem in secunda instantia appelletur.

II. Vel quia si adest, insta de caussa appellari nequit; *deputati enim a Sede Apost. vel ob inscitiam, vel ob malam voluntatem proclives sunt ad matrimonia solvenda, et ex quacumque levi causa ea invalidant.*

III. Vel id accidit ex parte coniugum; una enim tantum pars comparet; proinde, altera non comparente, nec contradicente, iudex matrimonium solvit.

IV. Vel dissoluto matrimonio nulla pars appellat ad alium iudicem.

V. Vel couiuges specie sunt discordes, iutus tamen gaudent illud esse dissolutum.

VI. Vel quia pars, quae stabat contra dissolutionum, dissolutione audita, ne se immergat iu longissimas lites, voluntatem mutat.

VII. Vel non appellant, quia pecuniam non habent ad appellationem.

Providet egregie Pontifex his omnibus, et primum quoad Judices ait, se providisse, cum iussit Episcopis, ut una cum Capitulo nominent iudices aptos, et doctos, et integros.

Hac in constitutione iubet, ut in singulis dioecesibus eligatur aliquis si fieri potest Ecclesiasticus, qui sit defensor matrimoniorum, data Episcopo facultate eum removendi et alium substituendi, si causa subest. Huius officium erit defendere validitatem matrimonii, comparere coram iudice, data sententia contra validitatem, appellare etc. Et ideo det iuramentum, se omnia integre, casteque praestiturum: si pro validitate data sit sententia, defensor matrimonii non appellet.

Quod coniuges vult, ut post primam sententiam prolatam neuter sponsus nubat, nubens incurrat poenas in polygamos denuntiatas.

Si detur appellatio vel ad Metropolitanum, vel ad Nuncium S. Sedis,

vel ad viciniorem Episcopum, defensor, qui erit destinandus ab ipso iudice appellato, praestet omnia, quae diximus praestanda a defensore primo.

Tunc liceat nubere, cum duplex sententia conformis pronuntiata fuerit, dummodo aliquod impedimentum aliquis coniux non habeat, et modo aliqnid non detegatur, qnod causam in pristinum dedncat.

Huic porro defensori merces (si modo nolit in Dei reverentiam agere) vel a parte validitatem volente, vel a iudice primae, vel secundae, vel tertiae instantiae decernatur, a quo sit solvenda.

Quod si iudices sint commissarii, Episcopus ex mulctis eam solvat. Idem servari vult in Romana Curia, in qua eligetnr defensor a Congregatione Cardinalium Tridentini Concilii interpretum.

Neqne in curia unica sententia valeat pro dissolutione.

Quia tamen saepe accidit, ut a Sacra Congregatione petatnr dispensatio matrimonii rati, non consummati; tamen vult, Pontifex ut deinceps libellns supplex porrigatnr ipsi Pontifici cum tota facti clara, et sincera expositione, ut ipse Pontifex possit decernere, utrum concedenda sit, an non. Quod si libellus remittitur ad aliquam Congregationem examinandus, Congregatio nihil possit decidere, sed tantum consulere.

Et harum litterarum valorem vnlt esse perpetuum. N. O. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud S. M. Mai. III. Non. Nov. P. a. III. a. D. 1744.

XXIX.

Provisiones pro matrimonii conscientiae.

BENEDICTUS XIV Patriarchis, Primatibus, etc.

Incipit *Satis nobis, etc.* (1).

Tridentina Synodus inhaerens vestigiis Synodi Lateranensis sub Innocentio III celebratae iussit, per tres dies festos a parocho proprio, vel a dnobus, si sponsi sint ex duabus parochiis, fieri publicationes,

(1) B. M. t. 16. p. 53.

iniungens cuique ad denuntiandum, si sciret canonicum aliquod impedimentum; tum a parocho, vel ab alio sacerdote de licentia parochi, vel Ordinarii coram duobus, vel tribus testibus accipi nubentium consensum; et a parocho exscribi matrimonia in libro speciali.

Sed mos invaluit, ut vel extra Ecclesiam, vel in ea ianuis clausis solo parocho interveniente cum duobus testibus ad id vocatis fiant nullis praemissis publicationibus; haec matrimonia appellantur conscientiae. Ex quibus matrimoniis multa, et magna peccata nasci possunt. Nam fieri potest, ut haec nupta secundo iam fuerit cognita, vivente adhuc prima uxore; fieri potest, ut prima uxore ita occulte nupta, adhuc vivente, alia ducatur.

Utcumque sit, inter ita nubentes ut plurimum est separatio habitationis, quod est contra institutum sacramenti: *adhaerebit homo uxori suae*; vel mulier, vel vir, vel uterque in causa esse possunt, cur sinistra iudicia fiant a circumvicinis ignaris huius matrimonii sic contracti.

Etiam damna non levia oriuntur in prolem, quae relinquitur cupiditatibus suis rapienda, cum neque parentis, quem raro videt, neque matris, utpote sexus debilis timorem habeat; evenit interdum, ut filiifamilias gaudentes beneficiis simplicibus, et pensionibus ecclesiasticis, insciis parentibus nubant, et fruentur ita bona ecclesiastica iam nupti.

Ad haec igitur omnia inconvenientia tollenda mandat Pontifex omnibus Ecclesiae Praelatis, ne sint faciles in concedendis dispensationibus super publicatione, ne permittant tam facile secreto matrimonia iniri.

Optimum igitur erit factu, si Episcopi postulantium dispensationem a publicationibus qualitates inquirant, an sint sui iuris, sint liberi, sint filii familias; an habitum clericalem gestent; esset enim crimen magnum Episcopi, si praeberet occasionem filiis inobedientiae parentibus.

Caveant autem, ne sacerdotem extraneum eligant ad praesidendum mutuo consensui.

Quod si contingat interdum dari has dispensationes, sacerdos, qui matrimonio asistit, det documentum Episcopo huius initi matrimonii, temporis, loci, testium; et hic liber matrimoniorum sic contractorum obsignatus sigillo retineatur in cancellaria episcopali.

Nata proles quam citissime baptizetur, et quia nomina horum infantium babptizatorum non exponuntur parocho, patres baptizatorum denuntient Episcopis tempus nativitatis, baptismi, nomina, etc. quae omnia in libro baptizatorum natorum ex occultis matrimoniis describantur, qui tenebitur sub sigillis in eadem cancellaria.

Si quis haec facere negliget, publicet Episcopus occultum matrimonium.

Iubentur etiam Episcopi, partibus postulantibus fieri secrete matrimonium, haec omnia strictim exposita in hac constitutione enuntiare observanda, et praecipue curam habendam circa baptismum infantium, et nomina, ortum, fidem baptismi Episcopis offerenda.

Caeterum ea fides, quae habetur libris in paroeciis existentibus respectu matrimoniorum, et baptismorum, habeatur in quolibet tribunali, etiam his existentibus in cancellariis episcopalibus.

D. Romae apud S. M. Mai. Die XVII Nov. P. a. II. a. D. 1741.

XXX.

De matrimoniis in Belgio, utroque contrahente haeretico, vel alterutro.

BENEDICTUS XIV. Declaratio.

Incipit *Matrimonia quae*, *etc.* (1).

Diu, multumque disceptatum fuit, an matrimonia, quae in Foederatorum Ordinum dominio in Belgio contrahuntur, sive inter haereticos ex utraque parte, sive haereticum virum ex una parte et catholicam foeminam ex alia, aut viceversa, non servata Tridentini Concilii forma valida habenda sint, necne.

Cum nec Episcopi, nec Missionarii scirent, quid esset agendum, confugerunt ad Clementem XII qui rem omnem detulit ad Sacram Concilii Tridentini Congregationem, quae iussit thehologos praestantiores urbis proponere, quid sentirent.

(1) Ib. p. 52.

Dum res examinatur, moritur Clemens, et in longa sex mensium Ecclesiae viduitate omnino rei agendae supersedetur. Evectus ad pontificatum doctissimus Cardinalis Prosper Lambertinus Archiepiscopus Bononiensis statim haec decrevit.

Matrimonia celebrata inter haereticos eo loco, non servata Concilii Tridentini forma, licet interdum Congregatio responderit esse invalidanda; cum nihil tamen a S. Sede praefinitum sit, declarat Benedictus, matrimonium ita contractum esse validum; adeoque, si nullum aliud canonicum impedimentum adsit, si utraque pars catholicam fidem amplectatur, novum consensum mutuum a parocho non esse requirendum. Si autem una tantum pars ab haeresi discedat, neutra possit ad novas nuptias transire, quamdiu superstes erit altera.

Matrimonia porro inita inter haereticam partem, et catholicam absque forma eiusdem concilii, licet haec coniugia semper detestata fuerit Ecclesia, et saniores Antistites poenas proposuerint ea contrahentibus, valida declarat Benedictus. Admonet tamen catholicam partem, ut tanti sceleris poenitentiam agat et conetur, in eius expiationem reducere ad gremium Ecclesiae haereticam partem.

Idem sentiendum de matrimoniis contractis in regionibus extra fines Belgii Confoederati, in arcibus nimirum, quae dicuntur *la Barriera*.

Nihil hic statuit Pontifex de coniugiis quae contrahuntur a natis in regionibus principum catholicorum, qui in Belgio Confoederato domicilium habent; nihil de iis, quae sunt a natis in Belgio, sed habitantibus in regionibus principum catholicorum, volens ut de iis sentiatur iuxta canonica iuris communis principia, et resolutiones a Sacra Congregatione iam saepius editas.

Die IV Nov. a. D. 1741.

XXXI.

In matrimoniis initis in Belgio inter catholicos coram magistratu civili, vel ministro haeretico, forma Concilii Tridentini non servata, interdicitur coniugalis copula, donec ea celebrentur iuxta formam praedicti concilii.

BENEDICTUS XIV Simoni a S. Josepho Carmelitae excalceato.

Incipit *Redditae sunt, etc.* (1).

Distractae erant in Belgio Missionariorum sententiae, utrum deberent approbare matrimoniorum initum inter catholicos eo loci hoc modo: iuxta leges patrias se sistunt ante *Magistellum* haereticum, aut ante magistratum civilem, et coram eo consensu edito matrimonium consummabant, postea parum solliciti illud contrahere ritu catholico.

Quaesierunt ergo a Pontifice, an consensus hic editus coram haeretico magistratu sufficere posset ad matrimonium legitime contrahendum.

Respondet Pontifex, licet quorumdam theologorum ea sit opinio, ut velint matrimonium consistere in mutuo consensu, quam opinionem Pontifex *relinquit in medio*, tamen ubi receptum est Concilium Tridentinum, quod iubet matrimonium debere contrahi coram alterutro contrahentium parocho vel coram sacerdote vices parochi agente, et coram duobus testibus sess. 24. c. 1. de reform. matrimon. Oecumenica synodus eos scilicet contrahentes, (sunt verba concilii) *ad sic contrahendum inhabiles reddit, et huiusmodi contractus irritos esse decernit.* Cum ergo in Belgio concilium sit receptum, consensus editus coram civili magistratu, licet sit satis ad contractum matrimonii, tamen ad valorem sacramenti, quod est matrimonium, non sufficit.

Jubentur ergo Missionarii id inculcare iis Catholicis, qui sunt in Belgio, et hanc epistolam ostendere Pastori Leicensi, cuius scriptum super hac controversia Pontifex legit.

D. Romae apud C. M. Mai. Die XVII Sept. P. a. VII. a. D. 1746.

(1) B. M. t. 18. p. 313.

XXXII.

Confirmatio decreti Congregationis Concilii super matrimoniis contractis ab iis, qui domicilium transferunt.

URBANUS VIII ad f. r. m.

Incipit *Exponi nobis*, *etc.* (1).

Archiepiscopus Coloniensis haec dubia super matrimoniis proposuit Cardinalium Congregationi super Concilio:

I. *An incolae tam masculi, quam foeminae loci, in quo Concilium Tridentinum promulgatum fuit, et acceptatum, transeuntes per locum, ubi non est acceptatum, retinentes idem domicilium, valide possint in isto loco matrimonium contrahere sine parocho, et testibus?*

II. *Quid, si praedicti incolae masculi et foemine solo animo contrahendi matrimonio sine parocho, et testibus eo se transferant, habitationem non mutantes?*

III. *Quid, si eo transferant habitationem hoc solum animo, ut ibi ita nubant?*

Sacra Congregatio respondit.

Ad I. et ad II. *Non esse ligitimum matrimonium inter sic se transferentes, et transeuntes cum fraude.*

Ad. III. *Si domicilium vere transferunt, matrimonium esse validum.*

Pontifex, cuius confirmatio petita fuit, decretum ratum habet. N. O.

D. Romae apud S. M. Mai. Die XIV. Aug. P. a. V. a, D. 1627.

(1) B. R. t. 6. p. 1. p. 79. C. C.

XXXIII.

Responsio epistolae Archiepiscopi Goani interrogantis, quid agendum de matrimoniis initis a mutantibus domicilium.

BENEDICTUS XIV Archiepiscopo Goano.

Incipit *Paucis abhinc*, *etc.* (2).

Scripserat Pontifici Archiepiscopus Goanus quosdam dioecesanos suos, spretis Tridentini Concilii decretis de matrimonio ineundo coram proprio parocho, se conferre Sundam, ubi aderat Missionarius, aientes se ibi domicilium vella figere, et matrimonio cum assistentia huius Missionarii contracto, in patriam redibant.

Dubitabatur proinde, an haec matrimonia essent valida, seclusis iam impedimentis aliis omnibus; alii *cum Sanchez l.* 3. *de matrim. disp.* 18. *quaest.* 4. *a num.* 27. ea valida putabant, ibi enim acceptatum in hac parte concilium non est, alii putabant invalida, quia per fraudem facta.

Ad tollendas controversias has rogat Archiepiscopus Benedictum, ut decernat haec matrimonia esse invalida, sicut declaraverat Urbanus VIII constitutione proxime praecedenti.

Tum eum rogat, ut sicut antecessori suo, sibi ad decennium facultatem condendi privata oratoria concedat. Goa 16. Decembris 1754.

Quatuor annos post (nam tot annos post litteras Archiepiscopi Benedictus acceperat) ei respondet,

Sanchium quidem, nonnullosque alios ita sensisse, sed multo plures, quos recenset Pontifex, in contrariam abiisse sententiam.

Post emanatum decretum Sacrae Congregationis Concilii ad dubia Archiepiscopi Coloniensis, confirmatum ab Urbano VIII haec matrimonia nemo valida putat; sunt enim facta vel in fraudem, ut fugiantur formae a Concilio Trid. praescriptae, vel in contemptum, quasi essent illae superfluae.

Certe Sacra Congregatio semper invalida esse censuit postea matrimonia eiusmodi.

(2) P. M p. 19. ap. all. p. 27.

Ut autem clarior evadat res, exponit cum Fagnano, et cum Natali Alexandro, ut dicatur quasi domicilium aliquis in loco aliquo habere, requiri saltem spatium unius mensis, ut ibi, ubi vult contrahere matrimonium, moretur, ita ut sit cognitus; quantum autem temporis post nuptias initas nupti morari ibi debeant, nec theologi nec canonistae praescribunt.

Qui primus publicationes matrimoniorum invexit, ut dignoscerentur impedimenta, fuit Odo de Soliaco Parisiensis Antistes, qui vixit sub saeculi XIII initium, qui laudabilis mos ad alias Galliae dioeceses permeavit: haec denuntiationes dicebantur *Bannum.*

Innocentius III morem publicandi matrimonia *in Concilio Lateranensi IV propagavit ad universam Ecclesiam;* quem postea Tridentinum Concilium confirmavit, et praescripsit, quarum publicationum omissio licet matrimonium non invalidet, tamen *culpa gravi non caret*; ac proinde iubetur interessens matrimonio parochus publicationes requirere, si aliquis ex contrahentibus sit ex aliena paroecia, quod Concilium Aquens confirmatum a Sixto V, a. 1585, decrevit, et Rituale Romanum iniungit, multoque ante hoc iussum fuerat in secunda Collectione Decretalium *Cap. primo, de Clandestina desponsatione.*

Ex his igitur efficitur, debere Missionarium Sundae his matrimoniis assistentem requirere publicationes a nubentibus, quas si non habent, ne assistat.

Optimum autem erit factu, si Archiepiscopus, postquam uniti Sundae redierint in patriam, horum matrimoniorum publicationes fieri mandet ad revelanda impedimenta, si quae erant. Sic paulatim abolebitur usus migrandi Sundam.

Tum transit Pontifex ad loquendum de matrimoniis clandestinis, de quibus adeo disputatum est in Concilio Tridentino inter eos Patres, alios volentes ea aboleri, alios ea defendentes.

Qui nolebant ea tolli, aiebant, Ecclesiam ea abrogare non posse, cum enim mutuus consensus matrimonium efficiat, etiam clandestina, quae per expressum mutuum consensum fiunt, debere esse, et censeri vere matrimonia, nec ab alio immutari posse, nisi ab institutore. Sed, ut

colligitur ex D. Thoma, quodlibet: 5. q. 8. art. 15. ad primum, reponebant alii, cum possit Ecclesia non immutare formam, et materiam sacramentorum, sed conditiones apponere, quod etiam concedit Petrus Franciscus Couraver ad Historiam Concilii Tridentini Pauli Sarpii, cur non potuit conditionem hanc apponere etiam sacramento matrimonii ut debeat fieri in facie Ecclesiae, hoc est coram parocho?

Reddit autem rationem Benedictus, cur Ecclesia, haec matrimonia sustinerit. Multi enim etiam habentes uxorem promovebantur ad ordines, ad beneficia promovebantur.

Oppositores reponebant, horum connubiorum irritationem exasperaturam haereticorum animos; illegitima enim declarabatur per haec matrimonia suscepta proles. Sed cum adiecerint prudentissime Patres, *post dies triginta a die publicationis robur* habere debere hoc decretum; in iis locis, ubi matrimoniorum horum usus erat, nemo decretum publicasset, atque ita suscepta proles numquam illegitima fuisset declarata.

Sed quomodo constabit in his, illisque locis acceptatum fuisse concilium? ex diutina nimirum observatione eius decretorum.

Dat. Archiepiscopo facultatem ad annos decem circa oratoria privata, qualem eius antecessor habebat.

D. Romae apud S. M. Mai. Die XIX. Mar. P. a. VIII. a. D. 1758.

XXXIV.

Confirmatio Urbani decreti praecedentis.

BENEDICTUS XIV.

Incipit *Cum venerabilis, etc.* (1).

Confirmat Benedictus Urbani supra relatam constitutionem super Archiepiscopi Coloniensis dubiis.

Vultque huius Decreti exempla a se subscripta in actis Congregationis Concilii, et in archivio secreto Vaticani reponi.

D. Romae apud S. M. Mai. Die XIX. Mar. P. a. VIII. a. D. 1758.

(1) Ib. p. 33.

XXXV.

Super abusu libelli repudii conversorum a iudaismo ad fidem catholicam.

BENEDICTUS XIV ad p. r. m.

Incipit *Apostolici ministerii*, *etc.* (1).

Multi Hebraei (ita relatum fuerat Pontifici) eiurantes iudaismum, baptismoque suscepto, redibant in vicum, seu *Ghetto*, et ibi coram rabbino, iuxta quod praescripserat Moyses, libellum repudii uxoribus suis in iudaica perfidia remanentibus dabant, ut possent aliis nubere; quod repudium, testante Christo, Moyses Hebraeis dederat in duritiam cordis.

Vetat hunc morem Judaeis ad catholicam fidem conversis Benedictus, et vult de caetero, ut uxores interpellant, eas interrogent, an velint amplecti catholicam religionem; iis nolentibus, possunt christianas uxores christiano ritu ducere.

Quaerit deinde Pontifex quandonam censeri debeat solutum matrimonium cum Haebrea? Et approbat eam responsionem, quam Congregatio Concilii Tridentini sequitur in praxi, scilicet cum vir nubit alii christianae foeminae.

Secus aliquem facientem vult Pontifex puniri, tamquam iudaizantem. Quod dicitur de viro, intellige etiam de uxore. N. O. *Nulli ergo etc.* D. Romae apud S. M. Mai. XVI. Kal. Oct. P. a. VIII. a. D. 1747.

(1) B. M. t. 17. p. 186.

Ita disputat Benedictus de viro; nunc de muliere, de qua inquirendum est, an iure canonico, aut consuetudine Ecclesiae aliquid sancitum sit.

Iam ius canonicum cultus disparitatem inter impedimenta dirimentia non collocat, sed Ecclesiae mos hoc observavit, ut irrita putet matrimonia inter cultores diversarum sectarum inita. Ita Bellarminus, Natalis Alexander, Estius, et alii; modo tamen aliquis contrahentium sit baptizatus, ut est haeretica baptizata in nostro casu; nam baptismus ab haeretici, collatus, cum rite sit collatus, efficit, ut illam suscipiens evadat membrum Ecclesiae; licet ob errorem careat communione Ecclesiae. Ita clerici mali, et perduelles, quia fuerunt clerici, et subditi, semper subduntur canonibus, et Principibus; ergo ex consuetudine Ecclesiae matrimonium contractum inter Iudaeum, et haereticam est irritum.

Diversa porro est ratio matrimoniorum initorum in Belgio inter catholicos, et haereticas, vel viceversa. Iam an. 1741. Pontifex id decidit; nam ibi est haec consuetudo, ut ibi haec matrimonia non sint irrita; quae ratio militat etiam pro matrimoniis initis inter Sinenses, et Iaponenses, super quibus facile datur dispensatio.

Restat ergo, ut concludatur, hoc matrimonium post susceptum baptisma, et eiuratam haeresim esse iterandum.

D. Romae apud S. M. Mai. Die IX. Febr. P. a. IX. a. D. 1749.

XXXVII.

Cum neopytis in Loco Pio cathecumenorum Venetiis ad fidem conversis dispensatur super interpellatione prioris coniugis in infidelitate relicti, ut possint nubere fideli.

BENEDICTUS XIV Martino Innico Archiepiscopo Chalcedonensi Sedis Ap. Nuncio in Dominio Venetiarum.

Incipit *In suprema, etc.* (1).

Venetiis est Locus Pius ab usque anno 1557 *fundatus a tribus generibus virorum dissimilibus Regularium, Nobilium, Civium*, cui semper

(1) B. M. t. 16. p. 276.

debet praesse patriarcha. Eum gubernant priores, et gubernatores. Dicitur cathechumenorum Locus; in eum accipientur infideles, iudaei, utriusque sexus.

Per plures annos edoceutur catholicam religionem, tum in eodem loco baptizantur, et iuxta eorum ingenium iu aliquo negotio, vel arte collocantur; mulieres vero vel nubunt, vel ibi morantur.

Iam hae mulieres (idem intellige de viris) cum sint nuptae gentili ritu, interdum vel non habent, quo invitent viros suos ad catholicam fidem, vel si invitant, venire recusant.

Priores ergo, et gubernatores rogarunt Pontificem, ut provideret super his; non enim posset Pium Locum tot personas alere, et possent eas decenter collocare.

Mandat igitur Pontifex Nuncio suo, ut quoties videt fieri non posse, ut nuntius mittatur ad maritum, vel maritus invitatus venire renuat, dispenset super matrimonio; ita ut hae mulieres nuptae gentili ritu, servata forma Concilii Tridentini possint nubere, etiamsi vir venire ad fidem recusans sese opposuerit, immo si catholicus fiat postea prior maritus, matrimonium iam factum cum alio, antequam maritus converteretur, rescindi non possit. N. O.

D. Romae apud S. M. Mai. Die XVI. Janu. P. a. V. a. D. 1745.

XXXVIII.

Super nullitate matrimonii Violantis Josephae Henriquez de Almada, et Francisci de Assis Sanchez de Baena.

BENEDICTUS XIV ad p. r. m.

Incipit *Etsi matrimonialis*, *etc.* (1).

Validitas matrimonii inter Violantem Josepham Henriquez de Almada nobilem puellam Lisboneusem, et Ludovicum Franciscum de Assis Sanchez de Baena Ordinis Jesu Christi Commendatarium saepe discussa in Congregatione super Concilio, fuerat approbata, et confirmata a Pon-

(1) B. M. t. 19. p. 181.

tifice; sed adductis novis documentis matrimonium fuit declaratum irritum, ac proinde dissolvendum; praecipue quod super impedimento duplicis quarti gradus consanguinitatis *haud satis, atque idonee per apostolicas litteras in dispensatione fuerat derogatum.*

Sed quoniam haec Congregationis sententia non sufficit, ut partes possint libere contrahere matrimonium cum aliis, quoniam alia sententia uniformis requiritur, iuxta quod ipse Benedictus statuerat, volens Pontifex parcere supradictos litigantes impensis, rationemque habens temporis multi, quod ad has caussas requiritur, decernit matrimonium hoc esse invalidum, ac proindo partes esse liberas.

Vultque decretum edi, et habere perpetuam firmitatem. N. O.

D. Romae apud S. M. Mai. Die XXX. Sept. P. a. XVI. a. D. 1755.

Apponitur decretum pontificium.

Initio statim enarrat Benedictus, quae in constitutione exposuerat, de sententia Sacrae Congregationis pro validitate matrimonii; de nova deductione super dispensatione consanguinitatis, do sententia emanata a Congregatione contra validitatem, dispensatione apostolica considerata.

Rursus exponit Pontifex, quare dispenset, ne ulterius agatur haec caussa.

Jam tria fuere discussa in hac caussa:

I. An fuerit necessaria nova dispensatio a Pontifice super impedimento duplicis quarti gradus consanguinitatis, cum Clemens XII dispensaverit tantum ab impedimento tertii, et quarti gradus.

II. An nova dispensatio data fuerit, cum Violantes ignorabat hanc duplicitatem gradus.

III. An tempore expeditionis Brevis Violantes ignoraverit hanc duplicitatem.

I. Jam, quod spectat ad primum, omnes doctores innixi decretis Pontificiis docent, necessariam esse ad validitatem matrimonii expositionem duplicitatis gradus. Pontifex multas auctoritates ad hoc probandum affert.

II. Jam Ludovicus novam dispensationem postulaverat, ne ex dissolutione matrimonii scandalum oriretur. Jam in brevi dispensatio dabatur,

quin imponeretur nova exactio consensus a Violante, quae credebatur hanc duplicitatem ignorare, quod apparet ex verbis Brevis, *ut gratia remaneret in suo robore, si Violantes post concessionem dispensationis ignoraret duplicitatem.* Quae apposita conditio revera est in radice matrimonii.

III. Violantes porro et ante concessionem et tempore concessionis iam non ignorabat hoc impedimentum, *et parabat omnia necessaria pro instauranda nullitate in vim novi impedimenti, cui per primum breve non fuerat derogatum, ut demonstratum fuit ex documentis, et testibus omni exceptione maioribus.* Ergo etc.

D. apud S. M. Mai. Die 27. Sep. 1755.

DE LEGITIMATIONIBUS.

I.

Legitimatio filii, et filiae Philippi Galliae regis.

INNOCENTIUS III Archiepiscopis,
Episcopis per regnum Franciae constitutis.

Incipit *Apostolica Sedes, etc.* (1).

Ab Ingeburge regina rex Philippus Galliae unum tantum susceperat puerum.

Cum illa divortium postea fecit ob quosdam probationes affinitatis exhibitas, quas ipse credidit esse veras. Caussam deciderat Legatus Apostolicus Episcopus Rhemensis.

Ergo duxit aliam uxorem, ex qua habuit filium unum, et filiam.

Interim S. Sedes *ob iudiciarium ordinem non servatum* sententiam revocavit, iussitque regem rursus accipere Ingeburgem, et aliam dimittere.

Ita rex egit; ut tamen consuleret posteritati suae, supplicavit Pontifici, ut filium secundum, et filiam letigimaret.

(1) B. R. t. 3. p. 1. p. 104. C. C.

Quod hic facit Pontifex, mandans Galliae Episcopis, ut tamquam filium legitimum hunc secundum haberi curent ab omnibus, publicentque hoc Pontificis decretum.

Datum Anagniae IV. Non. Novemb. P. a. IV. a. 1201.

XL.

Bastardi possunt legitimari absque praeiudicio venientium ab intestato.

PAULUS III ad p. r. m.

Incipit *Romani Pontificis, etc.* (1).

Collegium scriptorum Archivii inter alia privilegia ab Julio II, a quo fuerat institutum, obtinuerat, ut posset legitimare bastardos, manseres et nothos cum quibusdam clausulis.

Progressu temporis multos legitimavit, *etiam stantibus legitimis, absque tamen praeiudicio venientium ad intestato.*

Nunc de his legitimationibus dubitabatur praecipue a legitimis *de illegitimo consensu patrum;* qui legitimi dicebant faciendas esse legitimationes tunc, cum nulli sint naturales filii legitimi.

Pont. eidem Coll. privilegium confirmat legitimandi quoscumque etiamsi filii legitimi sint, *semper tamen absque praeiudicio venientium ab intestato.*

Et ita iudices indicare praecipit. N. O. *Nulli ergo etc.*

D. Romae apud S. Petrum Prid. Kal. Nov. P. a. IV. a. D. 1537.

XLI.

Et absque praeiudicio vocatorum ad fideicommissa.

PIUS V ad p. r. m.

Incipit *Quamvis a Sede, etc.* (2).

In praeiudicium legitimorum, et vocatorum ex testamento ad fideicommissa nonnulli fuere legitimati; ex quo lites non parvae, nec paucae orta sunt.

(1) B. M. t. 1. p. 274. B. R. t. 4. p. 1. p. 152. C. C.
(2) B. M. t. 2. p. 64. B. R. t. 4. p. 2. p. 100. C. C.

Ne amplius moveantur, iis omnibus, quibus per praedecessores Pontifices fuerat permissum legitimare, vetat in posterum has legitimationes facere in praeiudicium fidei commissorum, et voluntatum testatorum Pius.

N. O. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud S. Petrum Kal. Jaun. P. a. III. a. D. 1562.

XLII.

De bonis adquisitis ex beneficiis ecclesiasticis disponi non potest in favorem illegitimorum.

PIUS V ad p. r. m.

Incipit *Quae ordini, etc.* (1).

Sicut Pius IV inhibuit fieri legitimationes in praeiudicium legitimorum, ita Pius hic vetat facere testamenta quibuscumque cuiuscumque dignitatis de bonis acquisitis ex beneficiis ecclesiasticis, ac de aliis rebus proprio labore partis ex toto, vel in parte in favorem illegitimorum, vel legitimatorum suorum, vel extraneorum.

Et qui habent facultatem de his bonis libere testandi, iis abrogatur.

Item qui legitimandi habent privilegium, eo spoliantur. Quin immo decernit, ut nihil possit alicui legari sub conditione, ut det partem aliquam illegitimis.

Bona ecclesiastica feudalia deficientibus legitimis ad ecclesiam devolvantur. N. O. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud S. Petrum VI. Kal. Febr. P. a. VI. a. D. 1571.

(1) Ib. p. 346. B. R. t. 4. p. 3. p. 152. C. C.

XLIII.

Neque de bonis patrimonialibus pro filiis suis.

PIUS V ad p. r. m.

Incipit *Ad Romanum, etc.* (1).

Occasione cuiusdam litis inter nepotem, et inter filium illegitimum cuiusdam presbyteri super successione patrui, et patris respective ad bona patrimonialia Pontifex generice decidit,

Neque de bonis patrimonialibus posse Ecclesiasticos testari in favorem illegitimorum suorum, vel alienorum.

Atque ita iudicari ab omnibus vult. N. O.

D. Romae apud S. Petrum Die V. Martii P. a. VII. a D. 1572.

XLIV.

Rescriptio quaestioni, an filii procreati ex adulterio legitimentur per subsequens matrimonium.

BENEDICTUS XIV Archiepiscopo S. Dominici in insula Hispaniola.

Incipit *Redditae nobis, etc.* (2).

Respondet Benedictus, ut ipse ait, non ut Pontifex, sed ut privatus doctor cuidam proposito casui ab Archiepiscopo S. Dominici in insula Hispaniola. Casus est hic.

Vir quidam nobilis uxoratus rem habuit cum libera nobili, et duos filios ex ea procreavit. Defuncta uxore, duxit hanc; alter horum filiorum mortem obierat, et natus erat procul dubio uxore prima vivente; alter, qui incertum est, an sit natus, aut conceptus prima uxore vivente vivit. Jam dubitatur, an illegittimi, an legitimi habendi sint, an per subsequens matrimonium censendi sint legitimati hi filii?

(2) B. M. t. 2. p. 318. Ib. p. 145. C. C.

(2) B. M. t. 16. p. 260.

Respondet Pontifex, hanc esse universalem iuris regulam, filios natos ante matrimonium letigimari per matrimonium subsequens modo copula fuerit inter liberum, et liberam; non autem ubi alter parentum ligatus est matrimonio: de primo ergo filio decisa res est.

Ardua est decisio secundi, contraria inter se opinantibus doctoribus aliis aientibus considerandum esse conceptum, aliis partum.

Sed in dubiis semper decidendum est in favorem prolis. Quare filius secundus est legitimatus. Jam quoad primum filium natum, uxore prima vivente neque per subsequens matrimonium est legitimatus. Ita Alexander III. in c. *Tanta.*

Repetere poterat Archiepiscopus, ita Alexandrum decidisse, quia ea aetate vigebat opinio, virum cum adultera, mortua uxore prima, non posse contrahere matrimonium.

Sed, reponit Benedictus, opiniones communes non ita esse parvi faciendas; sed suspicari qui potest, eam Alexandri decisionem esse mutilatam; scimus enim multa mutilata allata fuisse a Gratiano, multa esse ita in decretalibus, in Sexto, in Clementinis, iussu Pontificum ablata, multa in testibus Digestorum, et Codicis.

Quidquod caput Alexandri *tanta* concordat cum capite *significasti* Innocentii III idem decernentis? Comparat hic Benedictus decisionem Alexandri cum decisione Innocentii, et casus ab utroque Pontifice expositus idem est ac propositus ab Archiepiscopo.

Reponet fortasse Archiepiscopus, ita decidit Alexander, quia supposuit hoc esse impedimentum dirimens.

Sed addit Benedictus, non agi ibi de adulterio, ut impedimento dirimente, sed de machinatione, quam struxerat adultera marito; et tunc adulterium coniunctum cum machinatione est impedimentum dirimens. Hoc in exposito casu haec machinatio non est.

Opponit Archipiscopus, veteri disciplina matrimonium inter adulterum, et adulteram fuisse vetitum.

Sed negat D. Augustinus, qui can. denique 31. q. 1. ait, *denique mortuo viro cum quo verum connubium fuit, potest connubium cum quo praecessit adulterium.* Non igitur veteri disciplina id erat vetitum, et

ita iudicatum fuit saeculi XII consuetudine; ita ait idem laudatus Innocentius, se sequi formam canonicam, dum decidit inter adulteros concedi posse matrimonium.

Sed aiebat Archiepiscopus, Coelestinus III declaravit nulla matrimonia inter adulteros.

Sed eius decreti causa haec fuit; quidam admonitus, ne vivent uxore cum famula adulterium haberet, noluit desistere. Mortua uxore, cum eam ducere vellet, Pontifex vetuit, in obstinationis poenam (a).

Multa alia argumenta fuere adducta ab Archiepiscopo, quae dissolvuntur a Pontifice, qui reprehendit molli brachio Archiepiscopum, quod desumpserit haec ab Iusto Henningio Bohemero in opere de iure ecclesiastico Protestantium t. 2. p. 287. et SS. et legat eius opus ad impugnandas catholicorum sententias, non ad eas defendendas.

D. Romae apud S. M. Mai. Die V. Dec. P. a. V. a. D. 17'4.

XLV.

Excommunicatur Fulco Andegavensis, quod non servarit divortium illegitimi matrimonii filiae suae, aliaque patrarit.

HONORIUS II clericis Turonensis Ecclesiae.

Incipit *Sicut boni, etc.* (1).

Excommunicationem in Fulconem Comitem Andegavensem latam a Legato Pontificio,

I. Eo quod *divortium illegitimi matrimonii filiae suae, et Guillelmi filii comitis iudicatum a Cardinali S. Sedis Legato non servavit.*

II. Et quia nuntios eiusdem Legati *per duas septimanas* in carcere detinuit, eorum barbas, et capillos adussit, et litteras Legati *in conspectu hominum sub die cremare praesumpsit.*

(a) *Ita Hadrianus V. infra Const.* 46, *n.* 1.

(1) B. M. p. 3. vel t. 9. p. 16. B. R. t. 4. p. 194. C. C.

III. Et interdictum ab eodem Legato in terras comitis latum confirmat Pontifex *usque ad condignam satisfactionem.*

Datum Laterani Prid. Idus, Aprilis, a. 1123.

XLVI.

Comes Gaufredus excommunicatur, quod pellicem habeat, vivente uxore; natique hinc filii excluduntur ab hereditate.

HADRIANUS IV Berengario Narbonensi Archiepiscopo, et Apostolicae Sedis Legato, Hartaldo Helenensi Episcopo, Baronibus etc.

Incipit *Quae a praedecessoribus*, *etc.* (1).

Pro eo quod legitima uxore dimissa, non est veritus Comes Rauscinonensis Gaufredus *adulteram* sibi matrimonio cupulare, excommunicatus ab Eugenio III fuerat.

I. Quia autem perdurabat in suo crimine, Eugenii sententiam confirmat Hadrianus. Si enim, *mortua uxore*, *ei non licuisset ducere in uxorem*, *quam antea adulterio polluisset*, multo minus ei licet pellicem habere, uxore vivente.

II. Decernit etiam Pontifex, ut filii ex hoc concubitu damnato nati, qui spurii sunt, nihil ex hereditate paterna habere praesumant, qui si praesumpserint, erunt excommunicati. a. 1157.

(1) Ib. p. 20.



APPENDIX

—

XLVII.

De matrimonii mixtis non permittendis.

CLEMENS XIII Episcopo Argentoratensi.

Incipit *Quantopere a connubiis* (1).

Quum in Alsatia illud agi comperisset Pontifex, ut imposterum licitum esset coniugia contrahere catholicos inter et haereticos.

Sanctitas Sua docet catholicam Ecclesiam ab huiusmodi matrimoniis semper abhorruisse; mater siquidem acatholica soboli suae propria religionis errores semper insinuare curabit, et contra si mater quidem catholica sit, pater autem haereticus non minora, imo et maiora damna redundabunt ob maiorem illius in familiam auctoritatem. Frustra igitur omne catholicorum studium ad haec impedienda matrimonia usque adhuc adhibitum fuisset, quoties in posterum licitum foret ad illorum celebrationem procedere.

Idcirco Argentoratensem Episcopum hortatur, ut mixtis matrimoniis totis viribus obsistat.

Dat. Romae apud S. M. Mai. die 16 novemb. 1763.

VLVIII.

De matrimoniis mixtis.

CLEMENS XIII ad Archiepiscopum Mechliniensem.

Incipit *Nos .... ea, quae etc* (2).

Quum quidam catholicus Bruxellensis matrimonium in Hollandia contraxisset cum muliere acatholica, ibi domicilium habente, quaesitum fuerat a S. Sede, utrum huiusmodi matrimonium sine praesentia parochi contractum validum fuerit, nec ne:

(1) B. R. typ. C. Ap. 1835, v. 1. p. 101.
(2) Th. C. C. Migne, 1840, t. 25. p. 684.

Pontifex respondit, hoc matrimonium, nisi aliquod aliud intersit impedimentum, etsi illicitum, pro valido tamen habendum esse propter haec, quae sequuntur momenta.

Quum certum sit, mulierem in Holandia natam, ibique degentem non teneri ad ea servanda, quae de matrimoniis coram proprio parocho contrahendis a Tridentino sancita sunt, liquido patet, mulieris privilegium viro cum illa contrahenti communicari debere, etsi ipse natus sit inter catholicos, ibique domicilium habuerit, ubi Tridentini lex viget.

Monet tamen Pontifex catholico imponendam esse salutarem poenitentiam ad commissum crimen luendum, et veniam ad Deo impetrandam; item ipsi mandandum esse, ut, quantum in se erit, uxori suae ad catholicam fidem convertendae det operam, curetque omnino, ut suscipiendi a se liberi in catholica religione instituantur, ac educentur

Dat. Romae apud. S. M. Mai. 15 maii 1767.

XLIX.

Declaratio Pii PP. VII. circa questionem.

« Quis in Hollandia censendus sit parochus proprius »
« in ordine ad matrimonium ibidem contrahendum »(1).

Quum duo catholici ex paroecia de Zwol matrimonium celebrassent coram parocho districtus Sallandiae absque permissu pastoris domicilii contrahentium, nempe pastoris de Zwol, quaesitum fuerat a S. Sede:

1.° Quis reputandus sit proprius parochus catholicorum variorum Hollandiae districtuum, coram quo, vel de licentia cuius debeant catholici inter se matrimonium contrahere?

2.° Quid dicendum de matrimonio a duobus catholicis de Zwol contracto coram pastore districtus Sallandiae absque permissu pastoris de Zwol, ubi contrahentes conservaverant, et semper conservaverunt domicilium?

Sanctitas Sua de consilio Cardinalium generalium inquisitorum respondit:

(1) Ib. t. 25. p. 684.

Ad primum: parochum proprium catholicorum in Hollandia commorantium, ibique matrimonium inter se contrahere volentium esse pastorem, vel compastorem illius civitatis vel loci, in quo alteruter ex contrahentibus domicilium, vel quasi domicilium habet; ideoque nonnisi coram illo, vel coram alio sacerdote de illius licentia valide posse matrimonium copulari.

Ad secundum: matrimonium coram pastore Sallandiae, prout in casu contractum, fuisse et esse nullum.

Dat. Romae die 17 maii 1804.

L.

De matrimoniis mixtis in Belgio etc.

PIUS VI ad Cardinalem Archiepiscopum Mehliniensem.

Incipit *Exequendo nunc . . . . etc* (1).

Exponit Pontifex sibi recedendum non esse a praedecessorum sententia et ecclesiastica disciplina, quae non adprobant matrimonia inter partes utrimque haereticas, vel inter catholicam unam et haereticam alteram, idque multo minus in casu, quo dispensatione in aliquo gradu opus sit.

Quod si non obstante monitione ad avocandam partem catholicam ab illicito matrimonio, matrimonium tamen infallibiliter secuturum praevideatur, poterit tunc parochus catholicus materialem suam praesentiam exhibere, dummodo:

1.° Non assistat tali matrimonio in loco sacro, nec sacris vestibus indutus, neque recitet super contrahentes ullas preces, et nullomodo ipsis benedicat.

2.° Ut exigat a contrahente haeretico declarationem in scriptis iuramento firmatam coram duobus testibus ab ipsis pariter subscriptam, qua pars haeretica se obliget ad permittendum comparti usum liberum religionis catholicae, et ad educandos in eadem omnes liberos nascituros absque ulla sexus distinctione.

(1) Ib. t. 25, p. 691.

3.° Ipse contrahens catholicus declarationem edat a se, et duobus testibus subscriptam, in qua cum iuramento promittat, non tantum se numquam recessurum a religione catholica, sed et educaturum in ipsa omnem prolem nascituram, et procuraturum se efficaciter conversionem alterius contrahentis acatholici.

Demum concedit, ut pars catholica, quae cum haeretico contraxit possit deinceps ad sacramenta admitti, dummodo se poeniteat peccaminosae suae coniunctionis, scandalum aliis fidelibus datum pro viribus reparet, et ea omnia sincere promittat, quae superius n. 3 statuta sunt.

Dat. Romae apud S. M. Mai 13 iulii 1782.

LI.

De potestate Ecclesiae statuendi impedimenta matrimonium dirimentia, in iisque dispensandi

PIUS VI ad Archiepiscopum Trevirensem

Incipit *Post factum tibi, etc.* (1).

Contra pseudo-politicorum et canonistarum placita autumantium non posse Ecclesiam iure proprio impedimenta statuere matrimonium dirimentia, et posse quemlibet Episcopum iure proprio in quolibet impedimento dispensare statuit Pontifex.

1. Ecclesiam auctoritate constituendi impedimenta matrimonium dirimentia a Christo Domino donatam fuisse, idque argumentis ex traditione, et praesertim ex Tridentino desumptis confirmat.

2. Ecclesiam hac ipsa auctoritate a primis saeculis ad haec usque tempora semper usam fuisse.

Quoad Episcoporum auctoritatem super matrimonii impedimenta demonstrat idem Pontifex: fidei dogma esse Episcoporum auctoritatem subiectam esse Romani Pontificis auctoritati, ideoque non posse Episco-

(1) Ib. t. 25, p. 689.

pos iure proprio dispensare in generalibus Ecclesiae legibus sine expressa, vel tacita saltem concessione Pontificis.

Dat. Romae die 2 februarii 1782.

LII.

De potestate Ecclesiae iudicium ferendi in causis matrimonialibus.

PIUS VI ad Episcopum Motulensem

Incipit *Deessemus Nos, etc.* (1).

Quum Episcopus Motulensis tamquam *regius Delegatus* in gradu appellationis sententiam tulisset de nullitate cuiusdam matrimonii iam cognita, et iudicata per curiam archiepiscopalem neapolitanam:

Pontifex hanc agendi rationem improbat, simulque declarat ius pronuntiandi circa validitatem vel nullitatem matrimonii a Christo Domino ad sacramenti dignitatem evecti ad solos iudices ecclesiasticos pertinere, neque posse iudices laicos, eorumque delegatos de iis etiam causis cognoscere, quas *meri facti* appellant.

Itaque sententiam ab Episcopo Motulensi tamquam *regio Delegato* latam, irritam renuntiat:

1. Ob defectum iurisdictionis, quia *iudex delegatus* non habet, nec habere potest auctoritatem maiorem quam *delegantis*, ideoque, quemadmodum irrita fuisset sententia, quam laicus iudex *delegans* pronuntiasset, utpote carens omni spirituali iurisdictione, ita aeque irrita, et nanis sit oportet sententia iudicis *delegati*, cum nemo transferre in alium possit maiorem, quam ipse habeat iurisdictionem.

2. Ob contemptum hierarchiae, quia simplex Episcopus non potest cognoscere de causa iam iudicata ab Archiepiscopo. Revera causa appellationis ad iudicem *superiorem* devolvi semper debet, nequaquam ad *inferiorem*, neque a iudice *inferiori* cognosci debet sine delegatione eius *superioris iudicis*, cui delata est appellatio.

Dat. Romae die 16 septembris 1788.

(1) Ib. t. 25, p. 694.

LIII.

De solutione matrimonii per malitiosam coniugis desertionem.

PIUS VI ad Archiepiscopum Pragensem.

Incipit *Gravissimam matrimonii casus quaestionem* (1).

In regno Borrussiae vir acatholicus, deserta uxore catholica, plures annos sic abfuit, ut ubi terrarum degeret sciri nequaquam potuerit. Edicto regio praestituta ei dies fuit, qua, nisi rediisset, malitiosus desertor esset declarandus. Elapso termino, cum non rediisset, lata est sententia regia, qua ille malitiosus desertor est declaratus, simulque matrimonii vinculum secundum leges regias dissolutum.

Interim mulier coram parocho acatholico secundas nuptias inivit, quae postea expiandae conscientiae causa ad archiepiscopale consistorium confugit, petens, ut novum istud matrimonium Ecclesiae auctoritate ratihaberetur.

Proposito itaque dubio, num per malitiosam coniugis, prout in casu, disertionem matrimonium dissolveretur:

Pontifex, confutatis contra sentientium argumentis, respondit, et declaravit non dissolvi, nullaque ratione posse secundum coniugium ratihaberi.

Dat. Romae 11 iulii 1789.

LIV.

De quaestione an matrimonium ob adulterium per civilem potestatem dissolvi possit.

PIUS VI ad Episcopum Agriensem.

Incipit *Litteris tuis, etc.* (2).

Post initum coniugium inter contrahentes lutheranos, mulier catholicam fidem publice amplexa fuerat.

(1) Ib. t. 25, p. 701.
(2) Ib. t. 25, p. 703.

Postmodum intentata per virum actione in nxorem velut adulterii ream, index vi legis caesareae solutum matrimonii vinculum declaravit. Tum mulier aliud cum viro catholico matrimonium inire cupiens proprinm parochum catholicum adiit, a quo cum reiecta fuisset iniqna petitio, accersitus est Helveticae Confessionis minister, qui concupitas nnptias conciliare non dubitavit. Exinde vir et mulier, veluti coniuges simul degentes, prolem ex attentato illo coniugio susceperunt.

Itaque per Episcopum Agriensem proposita fuerant S. Sedi seqnentia dubia, seu argnmenta, quae pro validitate huius secnndi coniugii militant, nempe:

1. Eo qnod plures censeant matrimonium in ratione civilis contractus — Verum et legitimnm matrimonium esse, quin coniuges sacramentnm suscipiant, aut perficiant:

2. Eo quod acatholici, dum im matrimonium coelescnnt, sacramentum suscipere, seu perficere nec possint, nec velint.

3. Eo quod Calviniani explicite, Lntherani autem implicite sub illa conditione famosa « *donec in honestate permanseris* » contrahant, alioquin irritum faciant matrimonium.

S. Pontifex respondit:

Ad primum matrimoninm tum in statu natnrae, tum postea quam ad sacramenti dignitatem evectum fuit, sic divinitus institutum esse, ut secum afferat perpetuum, indissolubilemque nexum, qui proinde nnlla civili lege solvi queat. Esto igitur, quod infideles matrimonium contrahentes verum et legitimum matrimonium contrahant in ratione civilis contractus, in christianis tamen, licet haereticis, ratio sacramenti a contractu seiungi neqnit, ideoque neutro in casu potest dissolvi.

Ad secnndum: acatholicos, dum sub certis conditionibus contrahunt, illicite quidem, sed valide contrahere.

Ad tertium: conditionem illam expressam, vel mente retentam *donec in honestate permanseris* esse contrariam substantiae matrimonii, ideoque irritam, prout disserte tradit Benedictus XIV de Synodo dioecesana lib. 13, cap. 22.

Dat. Romae die 11 inlii 1789.

LV.

De matrimonio coram parocho intruso, et magistratu civili.

PIUS VI ad Episcopos Gallicanos.

Ex Instructione incipiente *Laudabilem* (1).

Sequentes difficultates circa matrimonium S. Sedi ab Episcopis Gallicanis propositae fuerant, nempe:

1. Si catholicus matrimonium a se contractum parocho intruso declaret, vel si matrimonium, eiusdem impetrata venia, coram catholico sacerdote celebret, videri possit intrusus pro legitimo parocho probare?

2. Si matrimonii a se iam contracti civili magistratui declarationem emittens, videatur catholicus suam fidem eiurare, atque ad eterodoxorum partes transire, ut eorum privilegio frui possit?

Nam acatholicis dumtaxat edictum regium mensis novembris anni 1787 concessit, ut sua matrimonia civili magistratui si ipsi denuntiarent, civilibus effectibus illa gauderent.

Sanctitas Sua de consilio selectae Cardinalium Congregationis respondit:

Ad primum: non debere fideles, qui matrimonio iuncti fuerint a parocho legitimo, intruso se sistere, ut ab eo ritu quovis sacro et religioso rursus matrimonio coniungantur. Item: neque ab eo veniam petere, qua possint ab alio sacerdote matrimonii sacramento copulari. Etenim intrusus non est parochus legitimus, neque ullum habet titulum seu verum, seu coloratum.

Ad secundum: Non licere fidelibus declarationem edere matrimonii iam contracti coram magistratu civili, si forte adstringantur aliam iniquissimam declarationem facere; se scilicet haud esse catholicos. Item fidelibus permittendum non esse, ut praedictam declarationem coram civili magistratu emittant, si ob istam catholici pro acatholicis habean-

(1) Ib. t. 25, p. 685.

tur, tum quia edicti verba heterodoxos tantum expresse comprehendunt tum quia publica hominum opinione pro hetherodoxis reputantur omnes qui civili magistratui sua matrimonia declarant.

Dat. Romae ex aedib. Quir. 26 septemb. 1791.

Subscript. F. X. Card. de Zelada.

LVI.

De matrimonio celebrando coram officiali civili.

PIUS VI ad Episc. Lucionensem.

Incipit *Sollicitudo omnium Ecclesiarum* (1).

Quum Conventus Nationalis regni Galliarum decretum edidisset matrimonia imposterum celebrari debere coram Municipalitate, idest coram officiali a Municipalitate delecto, quae quidem matrimonia a praedicto officiali recipienda essent coram quatuor testibus praevia declaratione a futuris coniugibus emittenda sub hac forma verborum: « Declaro me » sumere N. N. in matrimonium; » qua declaratione vicissim a duobus coniugibus facta, ab officiali publico pronunciandum esset, eos in nomine legis coniunctos fore;

Quumque forma pro coniugiis ineundis a Concilio Tridentino praescripta in ea parte, quae respicit parochi praesentiam a maiori parte fidelium dioecesis Lucionensis observari non posset propter legitimorum parochorum deficientiam, propositum fuit S. Sedi dubium de validitate horum matrimoniorum coram Municipalitate, et quatuor testibus initorum propter haec, quae sequuntur momenta:

1. Quia pro certo statui non poterat Tridentini decretum quod legitur Sess. 24 de reformat. matrim. cap. 1. publicatum reapse fuisse in singulis Galliarum Ecclesiis, quam quidem publicationis formam expresse requirit Tridentinum, ut post 30 dies a publicatione facta, incipiat obligare. 2. Quia etiam posita publicatione Conc. Trid. non idcirco

(1) Ib. t. 25, p. 687.

nulla, ac irrita censeri deberent matrimonia sine parochi praesentia celebrata iis in locis, in quibus parochi praesentia haberi non possit. 3. Quia pluries resolutum fuit a S. Congregatione satisfieri menti Concilii Tridentini celebrando matrimonium coram testibus, ubi parochi praesentia haberi nequeat.

Selecta Cardinalium Congregatio pro diversis quaestionibus propositis a clero regni Galliarum respondit:

I. Quum certo constet in Ecclesiis Galliarum iam usu receptum esse, ut matrimonia celebrentur coram parocho et duobus vel tribus testibus tamquam in executionem decreti Concilii Tridentini, hoc satis esse debere, ut praesumatur facta eiusdem decreti publicatio.

II. Debere fideles abstinere a contrahendo matrimonio coram Municipalitate, ne ulla schismatis contagione polluantur. Etenim, quum officiales Municipalitatis praescriptum a Conventu Nationali iuramentum emiserint, tamquam schismatici, aut ad minus tamquam schismatis fautores iure merito habendi sunt.

III. Debere fideles contrahere matrimonium coram testibus, et quidem, quoad fieri possit, catholicis, priusquam Municipalitati se sistant, ut praescriptam a Nationali Conventu declarationem faciant. Quae quidem matrimonia sine Parochi praesentia, si nil aliud obsit, et valida, et licita erunt.

IV. Nihil obstare, quominus fideles, ut civilibus potiantur effectibus, praescriptam a Nationali Conventu declarationem faciant, illud semper prae oculis habentes nullum ab ipsis tunc contrahi matrimonium, sed actum mere civilem exerceri.

Dat. Romae ex aedib. Vaticanis die 28 maii 1793.

Subscript: F. X. Card. de Zelada.

LVII.

De irritis et clandestinis matrimoniis in Gallia initis, nec non de sacramentis, et ecclesiastica sepultura horum reis concedendis vel denegandis.

PIUS VI ad Episcopum Genevensem (1).

Quaesitum fuerat a S. Sede, quomodo sese gerere deberent pastores in publica sacramentorum administratione, et christiana sepultura erga laicos:

1. Qui divortiorum legibus freti, obtentaque a magistratu sententia, compartem reliquerunt, sive novas nuptias attentarint, sive non?

2. Qui irritis matrimoniis iuncti in adulterino, vel saltem fornicario perseverarent consortio?

Sanctitas Sua de consilio selectae Cardinalium Congregationis respondit:

Ad primum: Non esse absolvendos, nec ad sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittendos, nisi errorem eiurent, et ad legitimum redeant consortium, dimissa alia coniuge, quatenus alias nuptias inire attentaverint.

Ad secundum: Eos, qui irritis matrimoniis iuncti in adulterino perseverant consortio cogendos esse poenis spiritualibus, ut ad legitimam redeant coniugem. Eos autem, qui irritis matrimoniis, ut supra, iuncti in fornicario consortio perseverant separandos esse, et quatenus impedimentum proveniat ex iure tantum ecclesiastico, quaerendam esse canonicam dispensationem.

Item quaesitum fuerat, quid de iis sentiendum, qui ad parochum, aut superiorem legitimum nullatenus, aut non nisi difficillime recurrere valentes, nec alium adire quam parochum iuramenti, aut schismaticae communionis reum, alii coram extraneo sacerdote celebrarunt, alii coram saeculari magistratu.

Eadem Sanctitas sua respondit:

(1) Ib. t. 25, p. 687.

Huiusmodi matrimonia valida esse, quoties duo saltem adfuerint testes monendos tamen esse, contrahentes 1. ut consulant conscientiae suae; eo quod matrimonia contracta coram schismaticis, vel schismati adhaerentibus sint illicita: 2. Ut a Parocho legitimo recipiant benedictionem, quatenus fieri possit citra periculum.

Quoties autem duo saltem testes minime adfuerint, esse invalida et ideo revalidanda.

Matrimonia demum contracta coram saeculari magistratu, aut estraneo sacerdote, cum nullum alium possint contrahentes adire nisi parochum iuramenti, aut schismaticae communionis reum, validum pariter esse, quoties duo saltem testes praesentes fuerint: monendos tamen esse coniuges, ut conscientiae suae, ut supra, consulant.

Dat. Romae ex aedib. Vatican. 5 octob. 1793.

LVIII.

De benedictione nuptiali, nec non de matrimoniis coram parocho intruso.

PIUS VI ad Episcopos Gallicanos (1).

Quaesitum fuerat a S. Sede:

1. Utrum pro matrimonii celebratione conveniat benedictionem recipere a quocumque sacerdote catholico, dum talis haberi potest, supposito quod proprii Parochi praesentia nullatenus, aut non sine periculo obtineri possit?

2. Utrum conveniat, ut benedictio nuptialis suppleatur, quoties matrimonium celebratum fuerit absque benedictione sacerdotis, qui tunc haberi non poterat?

3. Utrum matrimonia contracta coram parocho intruso, dum praesentia proprii parochi, vel alterius sacerdotis de parochi, vel Ordinarii licentia haberi poterat, valida sint, nec ne?

(1) Ib. t. 25, p. 686.

Sanctitas Sua de consilio selectae Cardinalium Congregationis pro negotiis Ecclesiae Gallicanae respondit:

Ad primum: Convenire.

Ad secundum: Fideles hortandos esse ut, cum copiam sacerdotis habere possunt, ab eo benedictionem petant, qui tamen illis declarabit huiusmodi benedictionem ad validitatem matrimonii minime pertinere.

Ad tertium: Huiusmodi matrimonia nulla esse propter impedimentum clandestinitatis. Consultius tamen esse in casibus particularibus ad Sedem Apostolicam recurrere, quae modo magis opportuno providebit.

Dat. Romae 22 aprilis 1795.

LIX.

Instructio Cardinalis Caprara Legati a latere in Galliis circa revalidationem matrimoniorum nulliter initorum.

De mandato S. Pontificis Pii PP. VII.

Incipit: *Undique accipimus* (1).

Quum in Gallia innumera connubia existerent nulliter contracta in turbulentissima illa rerum tempestate, cumque pars una saepe saepius renueret in faciem Ecclesiae sese sistere ad coniugium suum ratum, validumque coram Deo reddendum, quamvis pars altera recte disposita id vellet, ac satageret:

De mandato S. Pontificis Pii PP. VII Cardinalis a Latere in Galliis hanc Archiepiscopis et Episcopis impertitus est instructionem, nempe:

1.ª *Instructionis Pars.*

Quoad matrimonii renovationem si uterque contrahens recte disponatur.

1. Qui civiliter tantum, vel coram extraneo sacerdote duobus praesentibus testibus, vel dumtaxat coram duobus testibus contraxerunt, dum proprii parochi praesentia haberi non poterat, moneantur de

(1) Ib. t. 25, p. 704

validitate matrimonii, et tantummodo hortentur, ut benedictionem nuptialem a proprio parocho recipiant.

2. Qui matrimonium contraxerunt cum aliquo impedimento dirimento absquo legitima dispensatione, matrimonium denuo contrahant, servata forma Conc. Tridentini.

3. Si contrahentes communiter habeantur pro legitimis coniugibus, et ipsimet sint in bona fide, et non absque gravi periculo certiorari queant de nullitate matrimonii, in bona fide sunt relinquendi.

4. Si contrahentes in mala vel dubia fide versentur, aut si in bona fide existentes certiorari possint de nullitate matrimonii absque gravis scandali, seu perturbationis periculo, eorum matrimonium erit in facie Ecclesiae celebrandum, et quidem publice, si nullitas publica sit.

5. Si praeter clandestinitatis, aliud iuris ecclesiastici obstet impedimentum, dispensatio praemittatur.

6. Si nullitas matrimonii sit occulta, secreto convalidetur.

7. Secus vero si fuerit publica. Quod si in peculiaribus circumstantiis Ordinarius expedire iudicaverit ut secreto convalidetur, publicum scandalum alia ratione removeatur.

2.ª *Instructionis Pars.*

Quoad rationem convalidandi matrimonium,
si eiusdem convalidationem pars una petat, altera renuat.

8. Si renuentia proveniat ex indispositione ad sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae, erit paterne monendus, ut rite se disponat.

9. Quod si pars indisposita ad sacramentorum susceptionem adduci non possit, et aliunde matrimonii renovationi assentiatur, ad matrimonii celebrationem procedatur.

10. Si renuentia oriatur ex ignorantia iuris ecclesiastici prudenter instruatur; — et quatenus adhuc renuat matrimonium convalidare in facie S. M. Ecclesiae:

11. Curetur, ut matrimonium convalidet per specialem procuratorem:

12. Et serventur regulae superius traditae num. 5, 6 et 7.

3.ª *Instructionis Pars.*

Si superius praescripta obtineri non possint, et una pars renuat matrimonium, ut supra, convalidare

13. Ordinarius dispenset in radice.

14. Et quidem secreto, si nullitas matrimonii occulta sit.

15. Publice autem, si de nullitate publice constat. Quod si aliter Ordinario visum fuerit propter peculiares circumstantias, ad publicum scandalum vitandum matrimonii sanatio evulgetur.

16. Si huiusmodi evulgationi locus esse non possit ob gravis scandali aut perturbationis periculum, Ordinarius pro sua prudentia modum exquirat quo publicum scandalum removeatur.

17. Si praeter clandestinitatis, aliud iuris ecclesiastici obstet impedimentum, dispensatio praemittatur, prout cautum est num. 5.

18. Si unus, vel uterque contrahens per divortium separatus sit a respectivo coniuge adhuc vivente, praedictae instructiones, et facultates executioni non demandentur, nisi de iure constiterit de nullitate primi matrimonii.

19. Serventur tandem de iure servanda, quae huic instructioni non adversentur.

Decretum

quo apostolicae facultates demandantur.

De speciali gratia, et apostolica auctoritate omnibus Episcopis, et Vicariis Capitularibus facultas demandatur:

1. Absolvendi a censuris, et poenis ecclesiasticis tam a iure, quam ab homine latis ad effectum dumtaxat gratiae consequendae.

2. Absolvendi tam a culpa, quam a poenis incursis ob matrimonii attentatum, et incestus reatum, imposita prius gravi poenitentia salutari.

3. Dispensandi super quibuscumque impedimentis iuris ecclesiastici, exceptis impedimentis ex ordine, et voto solemni castitatis, nec non ex crimine machinationis in mortem coniugis cum effectu, provenientibus. Et quatenus mulier rapta fuerit, dummodo in loco tuto consistat, servatis semper de iure servandis.

4. Dispensandi in radice, seu matrimonium in radice sanandi.
5. Prolem sive susceptam, sive suscipiendam legitimam decernendi.
Dat. Parisiis die 25 aprilis 1803.

LX.

Rescriptum circa dispensationes matrimoniales in Galliis.

PIUS VII ad Episcopos, et Vic. Capitulares regni Galliarum.

Incipit *Vix nova, etc.* (1).

Locorum Ordinariis facultatem impertitur Pontifex dispensandi in 2. consanguinitatis et affinitatis gradu, indulgens praeterea, ut mulctae pro dispensationibus in Ecclesiasticorum pauperum et senio confectorum, nec non in Seminariorum subsidia erogentur.

Episcoporum supplicationibus assentiendum esse non duxit, qui facultatem postulaverant revalidandi matrimonia sacrilege et nulliter attentata tum a clericis in sacris ordinibus constitutis, tum a Regularibus utriusque sexus solemniter professis.

Item, et eorum, qui facultatem postulaverant impertiendi dispensationes, seu licentias contrahendi inter personas, quarum una catholica sit, altera haeretica.

Prorogationem tandem facultatum iam pridem concessarum ad omnes Galliae Episcopos extendit.

Dat. Romae apud S. M. Mai. 17 februarii 1809.

(1) Ib. t. 25, p. 707.



DE SANCTISSIMO EUCHARISTIAE SACRAMENTO.

I.

Ab ieiunis debet Sacramentum Eucharistiae accipi, et sub una tantum specie.

MARTINUS V. ad p. r. m.

Incipit *Apostolicae Sedis, etc.* (1).

Duos Canones editos a Concilio Constantiensi, quod iam generatim approbarat Martinus ab eo concilio electus Pontifex, circa Ss. Eucharistiae sacramentum specialiter confirmat, et ab omnibus observari mandat Martinus;

I. Scilicet, ut illud sumatur ab ieiunis; licet Christus dedit illud Apostolis post coenam; tamen quia rationabiliter ob multa scandala id Ecclesia iussit, vult Martinus ab omnibus observari, nec deferri nisi infirmis graviter non ieiunis per modum viatici.

II. Et ut sub una tantum specie, nempe panis, accipiatur. In primitiva Ecclesia dabatur sub utraque specie, postea ad evitanda pericula laudabilem consuetudinem invexit Ecclesia, ut sub specie panis tantum reciperetur.

Neque vero dubitare quisquam potest, quin unam speciem recipiens integrum Christum recipiat.

Puniendos cum concilio, decernit, qui contra haec statuta fecerit.

D. Constantiae XVII Kal. Iulii anno a nativitate Domini 1417 Ap. Sede vacante.

Nulli ergo, etc. Si quis, etc.

D. Romae apud SS. Apostolos VIII. Kal. febr. P. a. IX. a. D. 1426.

(1) I. B. R. t. 3. p. 2. p. 458. C. C.

II.

Communicantes intra hebdomadam sanctam et Paschatis satisfaciunt praecepto communionis paschalis.

EUGENIUS IV Iacobo de Arimaticis de Bononia Ord. Min. de Observantia.

Incipit *In fide, etc.* (1).

Cum multi religiosi viri crederent, non communicantes actualiter in ipso die Resurrectionis Dominicae, peccare mortaliter, et alii contra sentirent,

Pontifex decernit, satisfieri canoni iubenti communionem paschalem si in Hebdomada sancta vel infra octavam Paschae communio sit facta.

Et huic sententiae vult omnes acquiescere.

D. Romae a. 1440.

III.

Non satisfaciunt praecepto communicantes a Dominica Palmarum usque ad octavam Paschatis extra parochiam sine parochi licentia.

SIXTUS V ad p. r. m.

Incipit *Circumspecta Romani, etc.* (2).

Dubitatum fuit in dioecesi Brixiensi, an communicantes extra parochiam suam sine licentia parochi in Paschate satisfaciant praecepto?

Et an communio paschalis limitetur ad ipsum diem Paschatis?

Respondet Sixtus, non satisfieri praecepto; sed requiri licentiam Parochi.

Et communionem paschalem posse fieri a die Palmarum usque ad octavam Paschatis. N. O.

D. Romae apud S. Marcum die IX aug. P. a. II. a. D. 1586.

(1) B. M. t. 1. p. 341. B. R. t. 3. p. 3. p. 33. C. C.
(2) B. R. t. 5 P. 1. p. 159. C. C.

IV.

Confessarii approbati ab Ordinario possunt examinari et a successore, et ad implendum praeceptum de comm. paschali debet ea fieri in propria parochia.

URBANUS VIII Archiepiscopo Limano.

Incipit *Cum sicut, etc.* (1).

Significavit Archiepiscopus Limanus, multos sacerdotes utriusquè cleri examinatos ab antecessore Archiepiscopo, nolle rursus examinari a se successore ad confessiones audiendas.

Multosque etiam utriusque sexus praetextu quorumdam privilegiorum credere, se satisfacere praecepto Ecclesiae de paschali communione communicantes in ecclesiis monasteriorum, non in propria paroecia.

Respondet Urbanus, hos presbyteros examinatos posse iterum examinari, eosque debere se examini submittere.

Laicos vero non satisfacere praecepto, si in propria paroecia non communicent. N. O.

Dat. Romae apud S. M. Mai. die IX oct. P. a. IV. a. D. 1626.

V.

Tempus pro communione paschali prorogatur in Polonia.

URBANUS VIII ad f. r. m.

Incipit *Exponi nobis, etc.* (2).

Tempus paschalis communionis erat in Polonia spatium dierum duodecim a Feria V in Coena Domini usque ad octavam Paschae.

Cum multi sacerdotes contagione aliisque infirmitatibus obiissent, nec posset universus ingens populus intra id tempus communicare, Episcopi regni rogarunt Urbanum, ut illud extenderet.

(1) B. R. t. 6. p. 1. p. 18. C. C.
(2) B. R. t. 6. p. 2. p. 9. C. C.

Pontifex illud prorogat a dominica Palmarum usque ad hebdomadam post dominicam in Albis immediate sequentem. N. O.

D. In arce Gandulphi die XXIII oct. P. a. XII. a. D. 1637.

VI.

Incolae in regno Peruano, et Paraguai satisfaciunt praecepto paschali si communicent ab dominica septuagesimae usque ab octavam Corporis Christi.

URBANUS VIII ad f. r. m.

Incipit *Cum sicut, etc.* (1).

Volens Urbanus consulere saluti Indorum Mestizorum, Æthiopum, et Maurorum, existentium in regno Peruano, et Paraguai, qui cum multi sint, neque adsint confessarii multi, intra praescriptum a canonibus tempus paschalem communionem peragere non possunt, decernit:

Ut illam facere possint a dominica septuagesimae usque ad octavam Corporis Christi, et praecepto satisfaciant. N. O.

D. Romae apud S. Petrum die XVI ap. P. a. XVI. a. D. 1639.

VII.

Donatio Hostiae perforatae, et Sanguine respersae Philippo Burgundiae Duci.

EUGENIUS IV Philippo Bono Burgundiae, et Bragantiae Duci.

Incipit *Singularis devotionis, etc.* (2).

Asservabatur Romae Hostia quaedam *sub imagine Salvatoris in throno sedentis, mirabile sacramentum Dominici Corporis a vesana cuiusdam feritate gladii ictibus perforata, et ex eo Sanguine respersa in iis vulnerum locis.*

(1) B. R. t. 6. p. 2. p. 183. C. C.

(2) B. M. p. 3. vel. t. 9. p. 236.

Hanc petit Philippus Bonus Burgundiae Dux. Pontifex illam ei concedit, iubens, ut collocetur in aliqua ecclesia cum honore.

Asservatur Divione cum magna devotione, et solemnitas quotannis sit.

D. Romae apud S. Laurentium die XVII. sept. P. a. III. a. D. 1433.

VIII.

Poena in raptorem Hostiae consecratae.

INNOCENTIUS XI ad p. r. m.

Incipit *Ad nostri, etc.* (1).

Hostia consecrata rapta fuerat simul cum sacra Pixide. Raptores huiusmodi subiicit Pontifex S. Officii inquisitoribus.

Et nisi constiterit eam non fuisse raptam ad malum finem, etiam pro prima vice curiae saeculari tradantur, non obstante minori aetate, et annum vigesimum non attingant; quibus poenis etiam mandantes subiaceant. N. O. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud S. Petrum IV id. martii P. a. I. a. D. 1676.

IX.

Confirmatio praecedentis proxime bullae.

ALEXANDER VIII ad p. r. m.

Incipit *Cum alius, etc.* (2).

Contra quoscumque furantes, et retinentes sacras Hostias confirmat Pontifex constitutiones, et canones antiquos et recentem bullam Innocentii XI.

Neminem furem, et retentorem excipit, cuiuscumque gradus, et conditionis sit,

Et vult hoc crimen spectare ad sacram Inquisitionem, quae si sciat

(1) B. M. t. 7. p. 1. B. R. t. 7. p. 23. C. C.

(2) B. M. p. 6. vel. t. 12. p. 67. B. R. t. 9. p. 97. C. C.

apud aliquem Hostiam retineri, etiam per brachium saeculare eum cogere possit ad illam proferendam. N. O. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud S. M. Mai. XI. Kal. ian. P. a. II. a. D. 1690.

X.

Nullae exceptiones admittantur pro surripientibus et retinentibus Hostias consecratas.

BENEDICTUS XIV ad p. r. m.

Incipit *Ab augustissimo*, *etc.* (1).

Constitutionibus Innocentii XI, et Alexandri VIII confirmatis contra surripientes, et retinentes sacras Hostias reddit rationem Pontifex, cur novam constitutionem edat.

Qui scilicet cum fuerit universalis Inquisitionis consultor, reos multos huius sacrilegi furti audivit iactare exceptiones has, *se non surripuisse eas ad malum finem, nec ad malum finem eas retinuisse; non fuisse consecratas.* Ac proinde cum a fiscali contrarium probari non possit, in longum protrahuntur causae.

Has exceptiones non vult admitti Pontifex, et si constet, surreptas fuisse Hostias, vel traditas in actu communionis, vel post fuisse retentas, satis fisco id sit pro asserenda earum Hostiarum, vel particularum consecratione.

Cum constet de consecratione, nulla habeatur exceptio de intentione, et reus statutis poenis puniatur.

Ita ab omnibus iudicetur. N. O. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud S. M. Mai. III Non. martii P. a. IV a. D. 1744.

(1) B. M. t. 16. p. 181.

XI.

Solemnitatis Ss. Corporis Christi institutio: cum indulgentiarum largitione.

URBANUS IV Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, etc.

Incipit *Transiturus de hoc, etc.* (1).

Institutione Ss. Eucharistiae sacramenti fuse exposita, reddit rationem Pontifex, cur, licet quotidie adoretur in missa hoc sacramentum, tamen specialem instituere velit solemnitatem; nempe *ad confundendam perfidiam et insaniam haereticorum.* Si enim in Sanctorum cultu id observatur, ut quotannis eorum memoria celebretur, cur non de Corpore Sacratissimo Christi id fiet?

Singulis annis feria quinta post octavam Pentecostes immediata celebrabitur festivitas cum octava.

Volens autem magis Pontifex *donis spiritualibus fideles ad eam celebrandam animare, indulgentias largitur centum dierum omnibus poenitentibus vere, et confessis, qui matutinali officio interfuerint, centum qui missae, qui cuilibet horae quadraginta pro singulis horis* tam eadem die quam qualibet infra octavam.

Datum. Desunt omnes characteres chronologici.

XII.

Auget Martinus indulgentias.

MARTINUS V ad p. r. m.

Incipit *Ineffabile Sacramentum, etc.* (2).

Ut magis augeatur erga augustissimum sacramentum Eucharistiae cultus, duplicat Martinus indulgentias datas ab Urbano IV intervenientibus die festivitatis, vel alio quolibet infra octavam, officio, et missae.

(1) B. M. t. 1. p. 121. B. R. t. 3. p. 414. CC.
(2) Ib. p. 308. B. R. t. 3. p. 2. p. 461.

Et si tempus interdicti sit, concedit, ut per totam octavam possint apertis portis celebrari divina officia.

D. Romae apud Ss. Apostolos VII Kal. iunii P. a. XIII. a. D. 1429.

XIII.

Aliud indulgentiarum augmentum.

EUGENIUS IV ad p. r. m.

Incipit *Excellentissimum corporis, etc* (1).

Et hic Pontifex duplicat indulgentias a praedecessore Martino datas iis, qui interfuerint officio et missae huius solemnitatis.

Et iubet haec recitari in aliqua lectione matutinali.

Hortatur Episcopos, ut excitent fideles ab obsequium huius Ss. Sacramenti.

D. Romae apud S. Petrum VII Kal. iunii P. a. III. a. D. 1433.

XIV.

Datur cuique Ordini facultas processionem faciendi infra octavam huius Festi.

GREGORIUS XIII ad p. r. m. M. P.

Incipit *Cum interdum, etc.* (2).

Fieri solebat ab immemorabili processio Ss. Sacramenti a fratribus Ordinis Praedicatorum sic edoctis a D. Thoma Aquinate, qui officium etiam, et missam de Corpore Christi disposuerat, in omnibus fere Conventibus provinciarum Hispaniae die dominica infra octavam eiusdem festi; Pius V laudabilem morem approbavit.

Aliqui Religiosi eiusdem provinciae alterius Ordinis volebant eamdem processionem facere. Unde rixae ortae inter Dominicanos ex una parte et fratres aliorum Ordinum ex alia.

(1) Ib. p. 323. B. R. t. 3. p. 3. p. 9.
(2) B. M. t. 2. p. 398. B. R. t. 3. p. 3. p. 252. C. C.

Ad eas sedandas Gregorius dat facultatem cuilibet Ordini, cuilibet Ecclesiae, etiam militarium quocumque die infra eamdem octavam deferendi solemniter Corpus Christi.

Revocat, et annulat Pii bullam editam pro Praedicatoribus, ad exclusionem aliorum Ordinum super hac processione. N. O. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud. S. Petrum die XI martii P. a. I. a. D. 1573.

XV.

Indulgentia plen. intervenientibus processioni Ss. Corporis Christi.

GREGORIUS XIII Universis Christifidelibus, etc.

Incipit *Reddituri de commisso, etc.* (1).

Qui confessi, et communicati interfuerint processioni Corporis Christi in Ecclesia FF. Praedicatorum provinciae Hispaniae, indulgentiam plenariam consequentur.

D. Romae apud S. Petrum die XIV dec. p. a. V. a. D. 1576.

XVI.

Modus interveniendi processionibus huiusmodi, etc.

CLEMENS XI. Edictum.

Incipit *Accostandosi, etc.* (2).

Cum adventaret dies festus Ss. Corporis Christi, illudque deferendum sit per urbem, monet Cardinalis Vicarius iussu Pontificis quoscumque, ut et illo die, et omnibus aliis infra octavam, quibus Ss. Sacramentum per paroecias defertur, devote et modeste processionibus intersint; itidem, ut illud transiens ad adorandum omnes descendant de curribus, et genua flectant, ut ignes artificiales amandentur in diebus, ne mittantur

(1) B. R. t. 4. p. 3. p. 327. C. C.
(2) B. M. t. 8. p. 244.

ad eas processiones puelli et puellae repraesentantes hanc, vel illam figuram, ut vitentur viae scandalosae, ne aurigae eas processiones impediant, et interrumpant, ut omnes pro viribus suis muros suarum domorum, qua transitura est processio, ornent.

D. Romae, die IX iunii a. 1702.

XVII.

Sede vacante processio fiat non secus ac si Pontifex viveret.

BENEDICTUS XIV ad p. r. m.

Incipit *Pastoralis sollicitudinis, etc.* (1).

Cum solemnitas Ss. Corporis Christi, incidisset interdum Sede vacante, contentio fuit, undenam deberet supplicatio, et processio incipere ab Ecclesia Lateranensi, an a Vaticana?

Factaque fuit divisio processionis, ita ut una pars inceperit ab Ecclesia Vaticana, alia a Lateranensi magna cum fidelium offensione.

Ut Pontifex has turbas de medio tollat, decernit, si umquam alias venturis temporibus id evenerit, ut processio fiat non secus ac si Sedes esset plena.

Tres dies autem ante a Congregatione trium Cardinalium ordinum capitum eligatur Praelatus, qui Ss. Sacramentum deferre debeat.

Tum designat comitatum, pompam, supellectilem, etc.

Nulli ergo, etc.

D. Romae apud S. M. Mai. Kal. martii P. a. V. a. D. 1745.

(1) B. M. t. 16. p. 284.

XVIII

Qui interesse processioni debeant.

BENEDICTUS XIV M. P.

Incipit *Omnibus, et singulis, etc.* (1).

Omnes, qui interesse debent praedictae processioni, numerat Pontifex, iisque locum assignat. F. M. P.

D. Romae apud S. M. Mai. XIV Kal. martii P. a. V. a. D. 1745.

XIX.

Institutio confraternitatis Ss. Corporis Christi in Ecclesia super Minervam de urbe.

PAULUS III ad p. r. m.

Incipit *Dominus noster, etc.* (2).

Quidam Romani cives advertentes parum decenter servari Corpus Christi, confraternitatem evexerunt in Ecclesia S. Mariae super Minervam de urbe Ordinis FF. Praedicatorum.

Quibus confratribus cura esset, ut Ss. Sacramentum in omnibus parochiis decenter conservaretur, lampadibus diu noctuque accensis, cum pallio, et luminibus deferretur ad infirmos.

In dicta Ecclesia qualibet tertia mensis die dominica cantaretur Missa et ad elevationem Hostiae accenderentur faces, die prima Veneris post diem Corporis Christi fieret solemnis processio Ss. Sacramenti;

Visitet unus eorum confraternitatis infirmos confratres;

Singulis hebdomadis quinquies Pater, et Ave in honorem Ss. Sacramenti recitent;

Mulieres, quae per urbem non vagantur, audita campana pro communione infirmorum quinquies dicant Pater, et Ave.

(1) B. M. t. 16. p. 286.

(2) B. M. t. 1. p. 733. B. R. t. 4. p. 1. p. 167. C. C.

Cardinalis unus sit protector confraternitatis.

Haec omnia statuta a confratribus oblata Pontifici, ut ea approbaret, Pontifex non solum ea approbat, sed etiam indulgentias aliorum Locorum piorum confraternitati elargitur,

Indulgentias concedit visitantibus Ss. Sacramentum, et comitantibus delatum ad infirmos;

Easdemque indulgentias dat cuicumque alii confraternitati faciendae ad honorem Ss. Sacramenti.

Omnes Praelati Ecclesiarum declarautur executores bullae N. O. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud S. Petrum prid. Kal. dec. P. a. VI. a. D. 1539.

XX.

Indulgentiae confratribus Ss. Corporis Christi in Ecclesia B. Mariae super Minervam sodalitii.

GREGORIUS XIII ad p. r. m.

Incipit *Pastoris aeterni, etc.* (1).

Ut magis fideles accendantur ad cultum S. Eucharistiae sacramenti, et promoveantur confraternitates in eius honorem has dat confratribus indulgentias Gregorius:

Indulgentiam plenariam in die ingressus;

Indulgentiam plenariam vere poenitentibus, et confessis et se communicantibus vel in die, vel infra octavam Corporis Christi;

Annorum septem in diebus Stationum visitantibus confratribus in urbe, et extra urbem altare Ss. Sacramenti, ibique orantibus;

Alias minores indulgentias largitur quaedam pia opera certis diebus peragentibus. N. O. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud S. Marcum VIII. Id. aug. P. a. II. a. D. 1573.

(1) B. R. t. 4. p. 3. p. 258. C. C.

XXI.

Indulgentiae confraternitati super Minervam extenduntur ad confraternitates huiusmodi ubique; Indulgentia Sacramentum comitantibus ad infirmos.

INNOCENTIUS XI ad p. r. m.

Incipit *Iniunctis nobis*, *etc.* (1).

Congregatio Cardinalium super indulgentiis omnes, et singulas indulgentias concessas archiconfraternitati super Minervam extendit ad omnes confraternitates eiusdem nominis ubique locorum existentes; et eas confirmat Innocentius.

Insuper omnibus, qui sacrum Viaticum delatum comitabuntur, relaxat quinque annos, et quinque quadragenas de iniunctis poenitentiis. N. O.

D. Romae apud S. M. Mai. Kal. oct. P. a. II. a. D. 1678.

XXII.

Indulgentia mittentibus luminaria ad delationem Ss. Sacramenti ad infirmos.

INNOCENTIUS XII ad f. r. m.

Incipit *Debitum Pastoralis*, *etc.* (2).

Indulgentiam concessam ab Innocentio XI comitantibus Ss. Sacramentum dum defertur ad infirmos, confirmat Innocentius XII, et extendit ad eos, qui cum ire non possint, lumen mittunt, et servum, qui illud comitetur. N. O.

D. Romae apud S. M. Mai. Die V. iau. P. a. IV. a. D. 1695.

(1) B. M. 5. t. 11. p. 234. B. R. t. 8. p. 57. C. C.

(2) B. M. t. 7. p. 233. B. R. t. 9. p. 385. C. C.

XXIII.

Augentur indulgentiae pro comitantibus Ss. Sacramentum ad infirmos.

INNOCENTIUS XII. Edictum.

Incipit *Avendo noi, etc.* (1).

Iussu Pontificis, Cardinalis Vicarius quasdam indulgentias praescribit, ut excitet Christifideles ad comitandum Ss. Eucharistiae sacramentum, qnoties ad infirmos defertur.

I. Qui illud comitabitur cum lumine accenso, consequetur indulgentiam annorum septem, et totidem qnadragenas.

II. Qui sine lumine, annorum quinque, et totidem quadragenas.

III. Qui cum non possit, lumen mittet, annorum trium, et totidem quadragenas.

IV. Qui cum non possit, dicet *Pater* unum, et *Ave Maria* unam, dierum centum;

V. Et eadem indulgentiarum series conceditur mulieribus, quae domo exire nequeunt.

Die II. feb. a. D. 1695.

XXIV.

Indulgentia dierum centum confratribus comitantibus mortuos ad sepulcrum.

CLEMENS X ad p. r. m.

Incipit *Ex commisso, etc.* (2).

Confratribus, et consororibus archiconfraternitatis Ss. Corporis Christi super Minervam, et confratribus, et consororibus aliarum confraternitatum eiusdem Ss. Corporis Christi toties, quoties comitati fuerint ad sepulcrum defunctos, dat Clemens indulgentiam dierum centum.

N. O. *Nulli ergo, etc.*

D. R. apud S. M. Mai. Die XIV. ian. P. a. III. a. D. 1673.

(1) B. M. t. 7. p. 275.

(2) B. M. p. 5. vel t. 11. p. 56. B. R. t. 7. p. 209. C. C.

XXV.

Confraternitati Ss. Corporis Christi erectae in Ecclesia s. Augustini datur facultas liberandi quotannis reum a supplicio.

GREGORIUS XIII ad p. r. m.

Incipit *Inducti eximia*, *etc.* (1).

Confraternitati Ss. Corporis Christi erectae Romae in Ecclesia FF. Eremitarum s. Augustini dat Gregorius facultatem liberandi quovis anno ab ultimo supplicio reum.

N. O. *Nulli ergo*, *etc.*

D. Romae apud S. Petrum V iulii P. a. IX. a. D. 1580.

XXVI.

Archiconfraternitas Ss. Sacramenti in Ecclesia s. Petri habet facultatem commutandi diem processionis cuilibet confraternitati aggregatae.

SIXTUS V ad p. r. m.

Incipit *Fidelium votis, etc.* (2).

Cum contingeret, ut multae confraternitates aggregatae archiconfraternitati Ss. Sacramenti in Ecclesia S. Petri de urbe non qualibet prima dominica cuinsque mensis possent processiones peragere, cum deberent eodem die facere processionem de Ss. Rosario,

Dat Sixtns facultatem huius archiconfraternitatis officialibus dies processionum his confraternitatibus aggregatis commutandi.

His confraternitatibus etiam dat facultatem faciendi processionem infra octavam Ss. Corporis Christi.

N. O. *Nulli ergo*, *etc.*

D. Romae apud S. Petrum Die XXX mai. P. a. II. a. D. 1586.

(1) B. R. t. 4. p. 3. p. 446. C. C.

(2) B. R. t. 5. p 4. p. 223. C. C.

XXVII.

Facultas datur instituendi confraternitates Ss. Corporis Christi in Gallia.

GREGORIUS XIII Ministro Generali FF. Minorum de Observantia.

Incipit *Ut erga, etc.* (1).

Ministro Generali FF. Minorum do Observantia concedit Gregorius facultatem, qua possit erigere confraternitates Ss. Corporis Christi in Gallia.

Confratribus dat facultatem condendi statuta pro sodalitio.

Confratribus, et consororibus dat indulgentias proprias huius confraternitatis institutao in Ecclesia S. Matiae super Minervam.

N. O. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud S. Petrum Die VIII mai. P. a. V. a. D. 1577.

XXVIII.

Approbatio institutionis monialium Adorationis Corporis Christi in Gallia.

INNOCENTIUS XI ad p. r. m.

Incipit *Militantis Ecclesiae, etc.* (2).

Jam Anna Austriaca mater Ludovici XIV Christianissimi in animo habebat ad tollendas blasphemias contra Ss. Eucharistiae sacramentum aliquam devotionem instituere.

Maria Theresia regina eiusdem regni, uxor eiusdem Ludovici, exposuit hoc Pontifici, simulque effectum, et devotionem specialem populi Galliarum erga illud.

Ergo admissis in consilium quibusdam matronis erga hoc Sacramentum accensis, aedificavit regina monasterium sanctimonialium Ordinis s. Benedicti reformatarum in suburbiis s. Germani a Pratis.

(1) B. R. t. 4. p. 3. p. 339. C. C.

(2) B. M. p. 5. vel I, 2. p. 202. B. R. t. 8. p. 16. C. C.

Quae quidem moniales praeter tria vota emittent et quartum, *diu noctuque alternis vicibus persistendi ante Ss. Sacramentum, et orandi.*

Fuit eximiis laudibus celebratum hoc institutum a rege, confirmatumque a duobus Legatis a latere.

Iam numerus monialium excreverat, aliae fundationes factae fuerant;

Ergo et regina, et moniales orarunt Pontificem, ut illud institutum approbaret, quod facit Innocentius, addens etiam privilegia;

Scilicet eximit monasteria erecta, et erigenda iuxta tenorem Tridentini Concilii a iurisdictione Ordinariorum, ea recipiens sub protectione S. Sedis.

Iis dat omnia privilegia monialium aliorum Ordinum; vult ea subesse in spiritualibus curae, et gubernio trium personarum Ecclesiasticarum in dignitate ecclesiastica constitutarum.

Quae personae eligent visitatorem, condent statuta pro bono monialium regimine.

Abbatissa eligetur quolibet triennio.

Indulgentia plenaria datur visitantibus aliquam ex iis Ecclesiis statutis diebus.

Moniales, quo die habitum sumunt, eamdem plenariam indulgentiam consequentur.

Visitator habeat facultatem eas absolvendi a casibus S. Sedi reservatis.

Vetat ea monasteria in congregationem redigi, sed vult singula separatim regi.

N. O. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud S. Petrum IV Id. dec. P. a. I. a. D. 1676.

XXIX.

Approbatio congregationis Adorationis Corporis Christi in Ecclesia ad Martyres de urbe.

CLEMENS XII ad p. r. m.

Incipit *Pastoris aeterni, etc.* (1).

Optabant Christifideles quidam almae urbis erigi congregationem Perpetuae Adorationis Ss. sacramenti Eucharistiae in Ecclesia ad Martyres, dicta *la Rotònda*, quae est Ecclesia saecularis, et collegiata; eam erigit Clemens pro utroque sexu.

Permittit, in oratorio confraternitatis coufratres dicere divina officia, se congregare pro negotiis confraternitatis, concedere statuta, adire legata, et ea administrare per suos officiales, quin rationem reddant Cardinali Vicario.

Etiam indulgentias largitur Pontifex, ut libentius ingrediantur in eam confraternitatem, Christifidelibus; in ingressu ad eam, plenariam; itidem plenariam, qui semel in anno per horam integram ante Ss. Sacramentum orabunt; qui visitabunt Ecclesiam, ubi illud asservatur, modo sint confessi, et Pane Eucharistico nutriti, plenariam; communicantes feria quinta maioris bebdomadae, et in aliquo die infra octavam Corporis Christi plenariam consequentur; etiam bis diebus Ss. Sacramentum visitantes, comitantes delatum ad infirmos, intervenientes processionibus, in quibus illud fertur, et si non possint, quinquies dicentes orationem dominicam, et angelicam salutationem, indulgentiam annorum septem consequentur.

N. O.

D. Romae apud S. M. Mai. Die V iulii. P. a. II. a. D. 1732.

(1) B. M. p. 8. vel. 1. 14. p. 231. B. R. 1. 14. p. 282. C. C.

XXX.

Eadem congregatio erigitur in archiconfraternitatem.

CLEMENS XII ad p. r. m.

Incipit *Exponi nobis*, *etc.* (1).

Confratres praedictae confraternitatis supplicarunt Pontifici, ut vellet eam in archiconfraternitatem erigere.

Id facit Clemens per hanc constitutionem; conceditque facultatem ei posse aggregari alias confraternitates cum communicatione indulgentiarum iuxta pontificias sanctiones. N. O.

D. Romae apud S. M. Mai. Die IX iulii. P. a. II. a. D. 1732.

XXXI.

Suppressio quarumdam confraternitatum, et libellorum.

CLEMENS X ad p. r. m.

Incipit *Pastoralis officii*, *etc.* (2).

Supprimit, et extinguit perpetuo Clemens quascumque confraternitates sub invocatione Ss. Sacramenti, immacolatae Conceptionis, s. Ioseph sub titulo *Gregis Boni Pastoris*, episcopali, et etiam pontificia auctoritate erectas, *in quarum constitutionibus usus quarumdam cantilenarum, aliaquae quaepiam a doctrina*, *et praxi S. Ecclesiae dissentanea* reperiebantur,

Etiam supprimit, et interdicit libellos, *imagines*, *folia* ex instituto harum confraternitatum edita in vulgus, *et quibus scandala, et offensione in dies possunt oriri*, legi, retineri, disseminari. N. O. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud S. M. Mai. Die XV dec. P. a. IV. a. D. 1673.

(1) B. M. p. 8. vel t. 14. p. 233. Ib. p. 283. C. C.

(2) B. M. p. 5. vel t. 2. p. 76. B. R. t. 7. p. 241. C. C.

XXXII.

Indulgentia plenaria semel in mense pro Anglis sese communicantibus in Ecclesiis S. Jesu.

INNOCENTIUS XII ad f. r. m.

Incipit *Exponi nobis, etc.* (1).

Ad consolationem eorum catholicorum, qui in regno Angliae sunt, concedit Pontifex indulgentiam plenariam per modum suffragii eo die, quo habebitur generalis communio in iis domibus, in quibus presbyteri societatis Jesu sacramenta administrant, quae indulgentia semel pro singulis mensibus conceditur ad annos XV. N. O.

D. Romae apud S. M. Mai. die VI martii P. a. IX. a. D. 1700.

XXXIII.

Prorogatio praedictae indulgentiae ad annos quindecim.

CLEMENS XII universis Christifidelibus.

Incipit *Cum felicis, etc.* (2).

Indulgentiam plenariam, quam concesserat Innocentius X iis, qui communioni generali, quae singulis mensibus fit in Ecclesiis societatis Jesu, interveniunt, et confessi, et Ss. Eucharistia nutriti aliquam ex iis Ecclesiis visitarint, per annos XV ad alios annos XV extendit Alexander VII, tum Innocentius XI, postea Clemens XI et demum Innocentius XIII extendit et ad alios annos XV Clemens. N. O.

D. Romae apud S. M. Mai. die XXIII feb. P. a. VII. a. D. 1737.

(1) B. M. p. 6. vel. 1. 12. p. 350. B. R. t. 9. p. 356. C. C.
(2) B. M. p. 9 vel 1 15 p. 104. B. R. t. 14. p. 140. C. C. C.

XXXIV.

Institutio orationis quadraginta horarum.

CLEMENS VIII ad p. r. m.

Incipit *Graves et diuturnae, etc.* (1).

Considerans Clemens regnum Galliae florentissimum bellis premi, et haereses latius serpere, et *Turcas cervicibus nostris propius imminere, ad placandam Dei iram, ut oratio quadraginta horarum celebretur, ea servata Ecclesiasticorum, et temporis distributione, ut diu, noctuque quavis hora, toto vertente anno sine intermissione oratio in conspectu Dei dirigatur statuit.*

In apostolico Palatio dominica prima adventus post missarum solemnia haec oratio a Pontifice inchoata fuit.

Qui huic orationi per horam unam intervenerint confessi, et Ss. Eucharistia muniti, consequentur annos septem, et totidem quadragenas indulgentiae. N. O.

D. Romae apud s. Petrum VII Kal. dec. P. a. I. a. D. 1592.

XXXV.

Observanda in expositione Ss. Sacramenti in oratione 40 horarum.

CLEMENS XI. Edictum.

Incipit *Essendo state, etc.* (2).

Plura hic statuit Pontifex observanda in expositione Ss. Sacramenti quadraginta horarum.

I. Ut super Ecclesiae portam, ubi est expositio eiusmodi, collocetur insigne Ss. Sacramenti.

(1) B. M. t. 3. p. 24. B. R. t. 5. p. 1. p. 11. C. C.
(2) B. M. t. 8. p. 248.

II. Ad altare maius fiet expositio, basilicis exceptis, picturaeque ad illnd altare, si quae sunt, cooperientur; reliqniae sanctorum in eo altari non apponantur.

III. Super altare sit tabernaculum cum baldachino; subtus, ubi est collocandnm Ss. Sacramentum, ponatur corporale; nihil sit ante Ss. Hostiam, qnod eius obtutum impediat adorantibus.

IV. Candelae sint saltem viginti.

V. Soli presbyteri circum altare eant ad accendeuda lumina, vel saltem clerici cum cotta.

VI. Ante iannam sit pannus, qui efficiat, ne a praeterenntibus per viam cerni Ss. Hostia possit.

VII. Duo presbyteri cum cotta adsint semper genuflexi ad scabellum, et hi in presbyterio; extra presbyterium duo sint sodales pariter gennflexi, si in ea Ecclesia sit aliqua sodalitas, cum vestibus sodalitatis.

VIII. Ad quamlibet horam detur signnm cum campana.

IX. Die antecedenti ad signum vespertinnm *Ave Maria* campanae pulsentur solemniter, nt populo inotescat futura ibi expositio.

X. Ad illud altare celebrentur tantum missae solemnes pro expositione, et repositione. Post nonam, si dies non sit festus vel primae, vel secnndae classis, dicetur missa votiva de Ss. Sacramento; tintinnabulum ad missas privatas non pulsetur; missae de requiem ne dicantur; et missae votivae de Ss. Sacramento dicantur sine *Gloria et Credo.*

XI. Sacerdos deferens processionaliter Ss. Sacramentum habeat pluviale album, nisi celebraverint vestibus alterius coloris, velum tamen humerale sit album.

XII. Missa finita, in cornu epistolae extra gradus altaris sacerdos indnat pluviale, et ipse, et assistentes deponant manipula. Tum diaconus Ss. Sacramentum desumet, quod accipiet sacerdos, stabitque in medio altaris versus ad populum, iam Ss. Sacramento antea thure tribus vicibus incensato, incipient cantores hymnum *Pange lingua.*

XIII. Crucifer cum cotta tantummodo, et clerus praecedat.

XIV. Processio fiet per Ecclesiam, quae si sit angusta, poterit exire per plateam circumiacentem antea mundatam.

XV. Officinae interim circumvicinae claudantur. Si in ea Ecclesia sint sodalitates, hae praecedant clerum regularem vel saecularem.

XVI. Processione finita, sacerdos dabit diacono Ss. Sacramentum, qui illud in medio altaris collocabit, cantabitur *Tantum ergo etc.* et interim incensabitur. Poterunt cani Litaniae; tum dictis a sacerdote orationibus, incipient quadraginta horae.

XVII. Sedes camerales infra presbyterium vetantur, vetantur etiam laici ire in presbyterium.

XVIII. Quaestuantes arceantur ab Ecclesia.

XIX. Ut incepit, ita desinat expositio, et fiat descripto modo processio.

XX. Dabitur in fine benedictio.

XXI. Interim fieri potest aliquis sermo, et si fiat ad altare, orator, etiamsi sit frater regularis, gestet cottam, capite aperto.

XXII. Alia in fine exponuntur, quae sunt specialia Romae.

D. Romae die XX ian. a. D. 1705.

XXXVI.

Indulgentiae conceduntur intervenientibus orationi quadraginta horarum in Ecclesiis FF. MM. Capuccinorum in partibus ultramontanis

CLEMENS XII ad f. r. m.

Incipit *Ad ea, etc.* (1)

Solent Capuccini in partibus ultramontanis in locis, ubi habent conventus, orationem quadraginta horarum facere.

Iis ergo, qui per aliquod tempus ei devotioni intervenerint confessi et communicati, concedit Pontifex indulgentiam plenariam.

Confessariis autem, qui iis diebus in praedictis Eccclesiis confessiones audient, dat Clemens facultatem absolvendi ab omnibus casibus, etiam Apostolicae Sedi reservatis, haeresis, simoniae, duelli, violationis

(1) B. M p. 9. vel. t. 15. p. 116. B. R. t. 14. p. 149. C. C.

clausurae monasteriorum monialium, et recursus ad iudices saeculares contra formam sacrorum canonum, delictis exceptis. N. O.

D. Romae apud S. M. Mai. die XXII maii P. a. VII. a. D. 1737.

XXXVII.

Acquiritur indulgentia ab adorantibus Ss. Sacramentum in oratione 40 hor. etiamsi eo tempore adorationis non sit expositum. Quando facienda sit expositio; et de licentia Ordinarii est facienda.

BENEDICTUS XIV Episcopo Warmiensi.

Incipit *Accepimus in civitate etc.* (1).

In Ecclesia Warmiensi saepo solebat exponi Ss. Sacramentum. Imperita multitudo putabat, cum non erat illud expositum, se non acquirere indulgentias concessas visitantibus Ecclesias.

Error hic fuit etiam in Ecclesia Tullensi, sed Episcopus in rituali quod edidit, confutavit hunc errorem.

Satis est, ut per quadraginta horas sit expositum, et licet per quasdam horas sit clausum in custodia, tamen visitantes eam Ecclesiam, in qua sunt indictae horae quadraginta, indulgentias lucrantur, ut si esset expositum.

Caeterum expositio debet fieri solum gravi de causa, et publica; neque fieri potest in Ecclesiis etiam Regularium, nisi de licentia Ordinarii, cuius est decidere, an causa illa sit gravis, necne:

Statuere porro, an bene agant an male, qui crebro Ss. Sacramentum exponunt, non est ita facile diiudicare.

Qui crebras expositiones improbant, solent afferre irriverentiam, quae nascitur ex nimio usu.

Sed si pietas ex imminutione expositionum refrigescit, est Episcopi statuere, ut frequentius exponatur.

Episcopum praedictum monet Pontifex, ut convocet parochos et cum eis stabiliat, ut quotidie modo in hac, modo in illa Ecclesia per girum expositio, fit ut fit Romae *(et Venetiis)*.

(1) B. M. t. 17. p. 17.

Si populus adhuc in suo errore persistat circa indulgentias, pollicetur Benedictus se admonitum daturum indulgentias visitantibus Ecclesiam, etiamsi tunc expositum Ss. Sacramentum non sit.

D. Romae apud S. M. Mai. die XVI. ap. P. a. VI. a. D. 1746.

XXXVIII.

Sacerdotes missam celebrantes non tenentur cuique petenti Eucharistiam ministrare.

BENEDICTUS XIV Patriarchis, Primatibus, etc.

Incipit *Certiores effecti, etc.* (1).

Sciens Benedictus in quibusdam Italiae urbibus esse controversiam (Incepit Cremae) de obligatione, qua sacerdotes missam privatam celebrantes adstringuntur administrandi inter eam Eucharistiam Christifidelibus petentibus, ne ulterius cum fidelium scandalo ea serpat, hanc edit constitutionem ad Ecclesiarum Praelatos missam.

I. Ait, neminem dubitare debere, quin missae, in quibus soli sacerdotes communicant sese, sint verae missae. Contrariam enim opinionem anathemate percellit concilium Tridentinum sess. 22. c. 8. et optandum esse, ait idem concilium, ut omnes Christifideles essent ea puritate, *ut in singulis missis astantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent.*

II. Neque idcirco reprobandus est mos communicandi fideles *Eucharistia servari solita;* neque vetat Ecclesia viceversa, sacerdotem satisfacere *pietati astantium missae, et petentium admitti ad consortium eiusdem sacrificii.*

III. *Sed quia est in Ecclesia opus cuncta ordinate disponere*, debent pastores curare, ne pietas fidelium destruatur ex ea non participatione, et itidem curare, *quin ulla in laudabilibus institutis oriatur perturbatio.*

IV. Ergo ne querantur fideles iniuriam sibi factam, *si Episcopus minime opportunum duxerit, a sacerdote celebrante Eucharistiam distribui*

(1) B. M. t. 16. p. 117.

iis, qui astant; quibus eo ipso tempore facilis, et obvia suppetit ratio ad eamdem mensam accendendi pluribus aliis locis instructam.

V. Facile autem pastores fidelibus id persuadebunt, si iis veterem disciplinam explicabunt. Una enim tunc dicebatur missa, ac proinde astantes ad eam solam communicabant.

VI. Ulterius, sicut omnia sacramenta, *ita* et Eucharistiam solus parochus administrare poterat. Ad eius missam tantum ergo debebant communicare.

VII. Quod si non acquiescant fideles, haec contumacia animum refractarium ostendet, *ac proinde minime compositum Eucharistiae, qua par est, pietate percipiendae.*

VIII. Concludit epistolam Pontifex verbis illis s. Pauli ad Corinthios *obsecro vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut id ipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata; sitis autem perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia.*

D. Romae apud S. M. Mai. die XIII nov. P. a. III. a. D. 1742.

XXXIX.

Jacobo III magnae Britanniae regi non ieiuno permittitur communio.

BENEDICTUS XIV Ludovico de Valentibus s. Offici Assessori.

Incipit *Quoddam de more, etc.* (1).

Exposuit Pontifici Assessor s. Offici, ob infirmam valetudinem per mediam noctem cogi Iacobum III magnae Britanniae regem (dicebatur Praetendens et vivebat Romae) refici etiam antequam se communicet, id tamen eum facere cum licentia, et approbatione confessarii.

Respondet Pontifex, *facilioris doctrinae theologos respondere, nulla Regem indigere dispensatione, cum res sit de exiguo cibo, necessitate cogente.* Sed non est ita res decidenda. Nam verum quidem est, Christum communicasse discipulos suos non ieiunos, *sed placuit Spiritui Sancto*,

(1) B. M. t. 19. p. 211.

(inquit s. Augustinus, quem sequitur s. Thomas) *ut in honorem tanti Sacramenti in os christiani prius dominicus corpus intraret, quam caeteri cibi.* Quod Ecclesia potuit praecipere; quod cum sit praeceptum universale Ecclesiae, nemo ab eo dispensare potest, nisi Romanus Pontifex, qui ut rationabiliter agat, quaedam exempla requirit communionum factarum a non ieiunis.

In quibusdam Africae Ecclesiis coenati Christifideles feria sexta maioris hebdomadae Eucharistiam sumebant. In Ecclesiis orientalibus et occidentalibus tolerata diù fuit praxis dandi Eucharistiam pueris vix baptizatis antea lacte nutritis; quae praxis, ut indecens, fuit amandata. S. Uldericus Episcopus Augustanus fecit prandium cum Episcopo Constantiensi, et eodem die, facto prandio, celebravit missam cum clero et populo; accusatusque respondit, *ego non comedi, sed charitas*; quae tamen historia falsa habetur.

Pius V dedit indultum sacerdotibus per Indias constitutis ob constantes aegritudines, vel coeli inclementiam aliquid post mediam noctem sumendi, et die celebrandi. Innocentius XIII Elisabethae Cristinae imperatrici, quo die coronanda erat Regina Bohemiae, concessit facultatem aliquid cibi sumendi ante communionem, quia tarde coronanda erat. In pontificio sacello nocte Nativitatis Domini missa celebratur ante mediam noctem *non semper ab ieiuno.*

Sed his exemplis non est contentus Pontifex. Julius III dedit hanc licentiam Imperatori Carolo V infirmae valetudinis, ita asserentibus medicis, egentique deperditas vires identidem sustentare; eiusmodi est Iacobus III eius incommoda sunt nota Pontifici: Carolus agebat annum LIV aetatis suae, Iacobus agit annum LXVI; ille refertur ab historicis pius, hic pius noscitur a Pontifice. Ergo hic potiori iure debet hoc indulto frui.

D. Romae apud S. M. Mai. die XIV mart. P. a. XVI. a. D. 1756.

XL.

Minus rite data fuit benedictio super populum, et flammas in incendio cum Corpore Christi in sacra Pyxide.

BENEDICTUS XIV Cardinali Guadagni Vicario.

Incipit *Cum ut recte, etc.* (1).

In foro Montium Romae districtus s. Nicolai in carcere ingens exarserat ignis, qui latius serpens minabatur ulterius progredi. Convocatus fuit populus ad Ecclesiam, ibique rosario recitato, et litaniis, et incendium cum excresceret, iussus fuit, qui vice parochi fungebatur, sacram Pyxidem e tabernaculo extrahere, *et eadem super populo et ad incendium benedicere.* Ergo presbyter sacris indutus vestibus ab Ecclesia egressus ita egit.

Factum hoc probarunt alii, alii improbarunt.

Probantes afferebant, quod dicit Theophilus Raynaldus t. 5. p. 83 Coll. 1. *ad avertendos incursus hostium, aerearum tempestatum malignitates, ad pietatem excitandam nullum* praestantius remedium esse, quam *sacrum spectaculum Corporis Christi propalam exhibi;* in chronica Albigentium ad an. 1090 ab Abbate Geraldo incendium ex fulmine excitatum hoc pacto fuit extinctum;

Iamque monasterium furibunda incendia volvit,
Cum Christi oblato Corpore, flamma cadit.

S. Bernardus cum hostia consecrata processit ad ianuam Ecclesiae, ubi astabat Willelmus Aquitaniae dux *intus ob excommunicationem non ingrediens,* eumque adlocutus ad poenitentiam induxit.

Sed haec, ait Pontifex (ut taceantur exempla *divino peculiari impulsa gesta*) nec sunt semper laudanda, nec ritum in Ecclesiam inducere possunt.

Improbantes dicunt, Christum instituisse hoc sacramentum, ut eo vesceremur.

(1) B. M. t. 19. p. 167.

Quod argumentum, ait Pontifex, est nimis infirmum; neque enim exponi posset, neque processionaliter deferri;

Ulterius aiunt, *rem creatam irrationabilem non posse Dei nomine adiurari.*

Hoc quoque est infirmum; nam exorcismos Ecclesia instituit super res inanimas, quatenus per ipsas daemon nobis nocere non possit.

Ad haec aiunt, est omnino vitanda haec benedictio, quia quandonam est danda? cum incenduntur domus divitum, an pauperum? semper erit distinctio, sive hae, sive illae non benedicantur, quod erit maxime odiosum.

Adducunt plura synodalia decreta, quibus interdicitur iaci corporalia in incendia, multoque magis sacras Hostias; ita reprobandus est usus, qui Florentiae viguit, transeundi per ignem; et ne is laederet, transeuntes afferebant secum sacram Hostiam, ut legitur in vita Hieronymi Savanarolae.

His praenotatis, Pontifex ad rem descendit. Jam primum omnium repetit anathema a concilio Tridentino latum in eos, qui improbant ritus Ecclesiae circa Eucharistiam, et dicunt immutari eos posse a quolibet presbytero, can. 13. sess. 7, de sacramentis in genere; ita a Pontificibus vetitus fuit mos in deferendo Ss. Eucharistiam ad infirmos, ad adorationem illam in viis publicis exponendi.

S. Carolus Borromaeus in synodo dioecesana habita an. 1572 statuit, ut ad sedandas tempestates, grandines, nimbos etc. pateflat tabernaculum, et accensis luminibus super altare a congregato populo adoretur sacra Hostia in Pyxide reservata. Quod etiam a magno Cardinali de Perron statutum fuit a. 1606 *et haec est veluti quaedam nunc universalis lex.* In Rituali Argentoratensis Ecclesiae edito an. 1743. p. 83. legitur, *ne Eucharistia deferatur ad extinguenda incendia, sub poena suspensionis ipso facto incurrenda a ministris illam deferentibus.* Scriptum est, *non tentabis Dominum Deum tuum.* Praeterea ex occulto Dei iudicio fieri potest, ut incendium non extinguatur; et tunc fidelium potest devotio erga hoc sacramentum tepescere, et irrideri potest ab incredulis.

Ad haec non licet sacramentum Eucharistiae super corpus obsessi

ponere, ut arceatur ab eo daemon, sed solum reliquiae colligatae, et coopertae ad pectus, et ad caput.

Laudat Pontifex, inhaerens vestigiis Cardinalis Bonae, tractatum de Ss. Sacramento Eucharistiae Joannis Baptistae Thiers, quo nemo scripsit eruditius. Thiers asserit, nullam synodum, nullum rituale vetare hanc benedictionem.

Jam extat Sacerdotale Romanum, in quo p. 227. habentur haec verba, *si expediens visum fuerit, sacerdos accipiet reverenter Corpus Domini in vase debito, et Ecclesia exiens nubes in modum crucis cum dicto vase signet.* Huius operis auctor fuit Albertus Castellanus ex Ordine praedicatorum, opusque fuit correctum iussu Pii IV antequam ederetur; idem habetur in Rituali Cardinalis Santorii, quod rituale plurimi fecit Paulus V. Tamen cum publica auctoritate non fuerint approbata haec ritualia, verum est quod docet Thiers.

Quasdam eruditiones affert Pontifex attinentes ad rituale Cardinalis Santorii, cur sit sine principio, et fine, *quia dum sub praelo erat, suppressum fuit Romae tempore Pauli V, ideoque caret* principio, et fine, ideo autem fuit suppressum, quia gerebat titulum *Ritualis Romani;* ita Bellarminus, *displicebat, ut cum nomine Romani ederetur.* Liber est rarissimus.

Iam si Ritualia Castellani, et Card. Santorii cum synodis s. Caroli, et Card. du Perron conferantur, quis non videat plus ponderis has prae illis habituras? Ita etiam iussit Gratianus Ameriae Episcopus an. 1595, ita Gavantus docet, aperiendum esse tabernaculum.

Laudat in fine Pontifex Cardinalem Vicarium, quod nihil egerit aspere in sacerdotem, qui id fecerat, cum tamen monet, ut de cetero has benedictiones fieri vetet.

D. Romae apud S. M. Mai. die XVII iulii P. a. XV. a. D. 1755.

XLI.

Si Corporis Christi festa dies incidat in vigiliam s. Joannis Baptistae, non est ieiunandum.

URBANUS VIII. Decretum.

Incipit *Cum anno, etc.* (1).

Incidebat an. 1639 vigilia s. Joannis Baptistae in diem Ss. Corporis Christi, sacra Rituum Congregatio interrogata ab Ordinariis, an deberet observari ieiunium, respondit, non debere.

Praecedens decretum s. Congregationis confirmat Pontifex, et mandat, ut Ordinarii hoc publicent.

D. Romae apud S. M. Mai. die XIII oct. P. a. XVI a. D. 1638.

XLII.

Et nihil de vigilia est faciendum in missa, et in officio.

CLEMENS XI. Decretum.

Incipit *Remissa, etc.* (2).

Motum dubium, an si vigilia s. Joannis Baptistae caderet in diem Ss. Corporis Christi, deberet observari, solvit sacra rituum Congregatio, respondens, nihil de vigilia esse faciendum, neque in missa, neque in officio.

Quod confirmat Clemens.

D. Romae die II oct. a. D. 1706.

(1) B. M. t. 50. p. 311. B. R. t. 6. p. 2. p. 168. C. C.
(2) B. M. t. 8. p. 434.

XLIII.

Contra subripientes, asportantes, vel apud se retinentes sacras Hostias.

CLEMENS XIII ad p. r. m.

Incipit *Gravissimum atque, etc.* (1).

Ad atrocissimum scelus magis magisqne propulsandum, quo nefarii homines in Hostias consecratas, ac sacra, qnibns actu asservantur, vasa rapaces manus injicere audent, s. Pontifex apostolico exnrgit zelo.

Confirmat constitutionem Innocentii XI sub die 12 martii 1677, cuius tenore tam mandantes, quam subripientes, asportantes, et apud se retinentes hostias consecratas condignis poenis pro facinoris atrocitate plectendi sunt. Item et constitutionem Alexandri VIII sub die 19 februarii 1690, qui atrocissimi huius crimini reos irremissibiliter brachio saeculari vult tradi, praevia, quoad Ecclesiasticos, degradatione reali. Postremo et constitutionem Benedicti XIV sub die 5 martii 1742, qui opportune declaraverat circumstantias, per quas de consecratione hostiae, vel particularum a reo subreptarum constare posset, insuper et decreverat, exceptionem, se noluisse abuti ad malum finem Sacramento subrepto, inutiliter a reis, eorumque defensoribus proponi, et invocari posse.

Et quia ex Ecclesiae indulgentia mos inoleverat, ut si reus ad primas et generales judicis interrogationes delictum suum sincere fassus fuisset, cum ipso mitius ageretur:

Sanctitas sua quamcumque poenarum minorationem prohibet in posterum, sed omnino vult, et praecipit, execrabilis huius criminis reos, etiam sponte confessos, praevia degradatione, quatenus opus sit, tradendos, fore, et esse brachio saeculari debitis poenis, suppliciisqne plectendos.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Dat. Romae apud S. M. Mai. die 6 martii 1759.

(1) B. R. Cont. Prati 1843. v. 1. p. 112.

XLIV.

De Eucharistia deneganda refractariis contra bullam Unigenitus.

CLEMENS XIII ad Episcopum Lingonensem

Incipit *Vehementer laetati sumus, etc.* (1).

Quum plures Galliae Episcopi sacro Eucharistiae pabulo muniendos esse duxerint refragantes contra bullam *Unigenitus* praetextu publicae tranquillitatis, et ne civilis auctoritatis odium et animadversionem in se concitarent:

S. Pontifex eorum damnat agendi rationem et Episcopum Lingonensem adprobat, qui firmo pectore denegaverat.

Monet insuper, se, et praedecessores suos numquam omisisse consilia hac de re praebere Episcopis, eisque sequendam semitam iudicare.

Dat. Romae apud S. M. Mai. die 31 octob. 1764.



DE SACRIFICIO MISSAE



I.

Audientes missam diebus festis in Ecclesiis Regularium satisfaciunt praecepto.

LEO X universis et singulis Christifidelibus.

Incipit *Intelleximus quosdam, etc.* (2).

Quaerebatur, utrum audientes missam diebus festis, et dominicis diebus in Ecclesiis Regularium satisfacerent praecepto?

Respondet Pontifex eos satisfacere. N. O.

D. Romae apud s. Petrum die XIII nov. P. a. V. a. D. 1517.

(1) Ib. v. 2. p. 900.

(2) B. M. t. 3. p. 3. p. 462. B. R. t. 2. p. 592. C. C.

II.

Revocatio licentiarum dicendi missam vespertino tempore.

PIUS V M. P.

Incipit *Sanctissimus in Christo, etc.* (1).

Omnes licentias impetratas a quibuscumque celebrandi missam vespertino tempore revocat Pius, tamquam *deviantes ab antiquo Catholicae Ecclesiae instituto, sanctorumque Patrum decretis.* N. O. etc. P. M. P. I. D. Romae Ind. IX die XIX mart. P. a. I. a. D. 1566.

III.

Nihil a sacristis detrahatur ab eleemosyna consueta missae sub quovis praetextu.

CLEMENS XI. Edictum.

Incipit *La santità, etc.* (2).

Mandat Pontifex, ut pro qualibet missa a sacerdote saeculari, vel regulari celebrata, detur conveniens et usitata eo loci eleemosyna, neque quidquam ab ea detrahatur, sub quovis praetextu, v. g. utensilium Ecclesiarum, candelarum, hostiarum, vini, etc.

D. Romae die XXXI oct. a. D. 1706.

(1) B. M. t. 2. p. 190. B. R. t. 4. p. 2. p. 283. C. C.

(2) B. M. t. 8. p. 254.

IV.

Benedictio crucum altarium non est necessaria, fierique potest a quovis sacerdote.

CLEMENS XI. Decretum.

Incipit *Fratre Iosepho, etc.* (1).

Interrogata sacra Congregatio,

I. Num cruces altarium, et processionum sint de praecepto benedicendae? Respondit, nequaquam.

II. Num simplex sacerdos private eas possit benedicere? Respondit, ita.

Responsa confirmat Pontifex.

Dat. Romae die XII iulii a. 1704.

V.

Crux cum imagine crucifixi est ponenda in altaribus, in quibus celebrandae sunt missae.

BENEDICTUS XIV Archiepiscopis, Episcopis, etc.

Incipit *Accepimus praestantium, etc.* (2).

Abusum in quasdam Ecclesias introductum, ut in altaribus, ubi sacrum fieri consuevit, non ponatur crux cum imagine crucifixi, iubet per hanc constitutionem tolli Pontifex.

Id iubent rubricae missalis tit. *de praeparatione altaris, et ornamentorum eiusdem, super altare collocetur crux in medio;* ita etiam in Romano Pontificali tit. *de consecratione Episcopi;* ita caeremoniale Episcoporum, ita ritus orientalis Ecclesiae, ita ritus Maroniticus iubet.

Neque debet esse crux nuda, sed debet esse in ea imago Christi, ut docet Gavantus, vel, ut in quibusdam crucibus videtur, Agnus, qui Christum repraesentat.

(1) B. M. t. 8. p. 433.
(2) B. M. t. 17. p. 77.

Si vero sit in altari picta crux cum Christo affixo, ita ut crux emineat, et sit prima figura, vel inter primas in tabula pictas, tunc missa dici potest, quin crux alia apponatur.

Quaeritur etiam, an poni possit crux in altari, ubi Ss. Eucharistiae sacramentum asservatur; super quo nonnulli, sed perperam, sentiunt antiquitus non consuevisse celebrari; alii vero Ss. Sacramentum in sacrario, quod parieti configebatur, censent fuisse solitum retineri.

Sed ut est in indice decretorum, quae Meratus edidit p. 2. t. 1. n. 400, debet poni, neque crux super tabernaculum sufficit.

Utrum autem in altari, ubi Ss. Eucharistia exposita est publicae adorationi, et in quo dicatur missa collocanda sit crux, an non, nihil sacra rituum Congregatio decidit, sed liberum unicuique Ecclesiae reliquit vel ponere, vel non, prout consuetudo praevalet.

Monet itaque Pontifex Ordinarios, ut abusus introductos contra sacros ritus tollant, et curent, ne introducantur alii.

D. Romae apud S. M. Mai. die XVI iulii P. a. VI. a. D. 1746.

VI.

Cuidam nobili viro permittitur usus altaris portatilis.

CLEMENS IV nobili viro Hugoni Comiti Ruthenensi.

Incipit *Quia Deo, etc.* (1).

Ob devotionem in Deum et S. Sedem, et quia, cum iter haberet Comes Hugo, deveniebat in loca, ubi audire missam non poterat, permittit ei Pontifex, ut habere possit altare portatile, super quo capellanus eius celebret *pro Comite, et familia eius, si devenerit in loca, ubi altaria non sint*, vel necessitas urgeat, *sine iuris praeiudicio alieni. Nulli ergo, etc.*

D. Perusii XII Kal. martii P. a. II. a. D. 1265.

(1) B. M. p. 3. vel. t. 9 p. 73.

VII.

Habentes privilegium altaris portatilis illo utantur in loco approbando ab Ordinario, vel eius Vicario.

PAULUS IV ad f. r. m. M. P.

Incipit *Æqua Romani, etc.* (1).

Saepe contingebat, ut altaria portatilia collocarentur in locis minus decentibus, in quibus missa celebraretur.

Quapropter mandat Paulus, ut nemo, cuiuscumque sit dignitatis, habens indultum altaris portatilis, illud collocet ad arbitrium, sed locus eligatur ab Ordinario, vel eius Vicario. N. O.

D. Romae apud s. Petrum die IX maii P. a. IV. a. D. 1559.

VIII.

Ordinationes pro missis celebrandis in Ecclesia s. Gregorii de urbe.

URBANUS VIII ad f. r. m.

Incipit *Cum sicut, etc.* (2)

Plurimae eleemosynae pro refrigerio animarum purgantium ad Ecclesiam s. Gregorii de urbe, ordinis Camaldulensis, ad celebranda sacrificia deferuntur, ita ut ibidem omnia celebrari non possent.

Pontifex mandat, ut, prius suppletis oneribus perpetuis missarum ibidem, curetur, ut quamplurimae missae dicantur assumptis sacerdotibus saecularibus, vel regularibus; quae supersunt, dentur monasteriis Congregationis dicendae, ratioque de celebratione reddatur Vicario Pontificis;

Nec recipiantur missarum eleemosynae, nisi fiat certior oblator eas dicendas intra hoc, vel illud tempus.

(1) B. R. t. 4. p. 1. p. 359. C. C.
(2) B. R. t. 6. p. 1. p. 24. C. C.

Quas in deposito pro celebratione eleemosynas prior tum habebat, voluit Urbanus distribui Ecclesiis urbis, quibus dat indulgentias Ecclesiae s. Gregorii, donec illae dicantur omnes. N. O.

D. Romae apud S. M. Mai. die IX dec. P. a. IV. a. D. 1626.

IX.

De missis privilegiatis ad altare s. Catharinae Senensis de urbe.

URBANUS VIII ad p. r. m.

Incipit *Cum sicut, etc.* (1).

Privilegium concedit Pontifex, ut quotiescumque aliquis sacerdos saecularis, et regularis *missam defunctorum pro anima cuiuscumque fidelis, quae cum Deo charitate coniuncta obierit, ad altare capellae s. Catharinae Senensis super Minervam celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequatur, ita ut ea liberetur a purgatorii poenis.*

Excommunicantur excommunicatione maiori foeminae, quae illam capellam ingredientur, praeterquam die festo eius Sanctae, in quo die si ingredientur viri, eadem poena afficientur;

Indulgentias concedit visitantibus eam capellam. N. O. *Nulli ergo etc.*

D. Romae apud S. M. Mai. die XXII maii P. a. XV. a. D. 1638.

X.

Missae pro defunctis licet dicantur de duplici, ad altaria privilegiata valent pro defunctis.

ALEXANDER XII ad p. r. m.

Incipit *Creditae nobis, etc.* (2).

Missae de requiem diebus, in quibus fit officium duplex, prohibentur: sed anniversaria, et missae cantatae de requiem, relictae a testa-

(1) B. M. t. 5. p. 304. B. R. t. 6. p. 2. p. 139. C. C.
(2) B. M. t. 6. p. 233. B. R. t. 6. p. 6. p. 141. C. C.

toribus, quotannis cantandae in die obitus, etiam in duplici maiori celebrari de reqniem possunt;

Et ad altaria privilegiata missae de requiem pro defunctis etiamsi dicantur de duplici, tamen satisfit intentioni defunctorum volentinm missas de requiem. N. O.

D. Romae apud S. M. Mai. die XXII ian. P. a. XII a. D. 1667.

XI.

Solvuntur dubia orta super praecedenti Alexandri constitutione.

CLEMENS IX ad p. r. m.

Incipit *Cum felicis*, *etc.* (1).

Dubia orta super praecedenti Alexandri constitutione de altaribus privilegiatis, scilicet

I. Num altaria debeant esse semper privilegiata?

II. Num omnibus diebus?

III. Num ex obligatione ibi dici Missae debeant?

IV. Num per modum suffragii indulgentia cum animabus purgatorii communicetur?

Solvit Pontifex, declarans semper animas esse participes huius privilegii, sint altaria privilegiata ad semper, vel ad septennium, vel ad triennium; sint privilegiata quotidie, vel ad aliquos tantum dies, dicantur missae ibi ex obligatione, vel ex devotione. N. O.

D. Romae apud S. M. Mai. Id. sept. P. a. III. a. D. 1669.

(1) Ib. p. 287. Ib. p. 358. C. C.

XII.

Altaria privilegiata pro defunctis sunt talia etiam cum missae de requiem dici non possunt.

INNOCENTIUS XI ad p. r. m.

Incipit *Alias postquam*, *etc.* (1).

Circa praemissa aliud excitatum fuit dubium, an praedictae indulgentiae de altaribus privilegiatis valeant etiam iis diebus, quibus missa de requiem dici non potest, neque praesente corpore, ut in die Paschatis, Pentecostes, Corporis Christi, Natalis Domini.

Sacra Congregatio Cardinalium, ad quam demandatum fuit dubium, respondit, eà altaria esse privilegiata, et indulgentias communicari animabus purgatorii, etiam iis diebus, quibus missae de requiem dici nequeunt.

Pontifex confirmat decretum. N. O.

D. Romae apud S. M. Mai. Die IV maii P. a. XII. a. D. 1688.

XIII.

Dubia enodata super numerum missarum ad altaria privilegiata dicendarum.

CLEMENS XI. Decretum.

Incipit *Cum ex concessione*, *etc.* (2).

Sacrae Congregationi haec proposita fuere dubia super numerum missarum assignatarum altaribus privilegiatis;

I. An, absentibus religiosis tempore adventus, vel quadragesimae ob praedicationem, vel cum ratione solemnitatum mittuntur ad alias Ecclesias a superioribus, neque adimpleri potest numerus missarum praefixus a Pontifice, indulgentiae ei altari annexae cessent?

(1) B. M. p. 5. vol t. 11. p. 596. B: R. t. 8. p. 518. C. C.

(2) B. M. l. S. p. 418.

Congregatio respondit, tempore adventus, et quadragesimae eas indulgentias remanere suspensas, in aliis casibus neqnaquam, modo id raro eveniat.

II. Num cessent, deficiente numero missarum ob infirmitatem religiosorum?

Congregatio resp. eas tunc non cessare.

III. Num idem sit censendum, si deficiat numerus missarum ob absentiam sacerdotum, et canonicorum per aliquot dies?

Congregatio resp. modo id raro succedat eas non cessare.

Adduntur huic decreto duae constitutiones Clementis XI, altera quarum concedit Ecclesiae metropolitanae Mediolanensi altare s. Caroli privilegiatum, modo in ea Ecclesia dicantur quinquaginta missae;

Secunda concedit altare privilegiatum Ecclesiae FF. MM. de Observantia s. Francisci civitatis Tusculanae, modo qnotidie ad illud dicantur quatuordecim missae.

Praedicta Congregationis decreta confirmat Clemens.

D. Romae Die XXX iulii a. D. 1706.

XIV.

In omnibus Ecclesiis metropolitanis, cathedralibus, etc. conceditur altare unum privilegiatum.

BENEDICTUS XIII ad p. r. m.

Incipit *Omnium saluti*, *etc.* (1).

In omnibus Ecclesiis patriarchalibus, metropolitanis, cathedralibus, in qnibus non sit aliqnod altare privilegiatum perpetuo, permittit Pontifex Ordinariis, ut altare aliquod designent, cui privilegium perpetuum annectatur.

Ita ut missae pro animabus in charitate mortuis ad illud altare celebratae per modum suffragii thesauros Ecclesiae aperiant, et a poenis purgatorii liberentur. N. O.

D. Romae apud S. M. Mai. die XX iulii P. a. I. a. D. 1724.

(1) B. M. p. 4. vel 10. p. 235. B. R. t. 11. p. 2. p. 333. C. C.

XV.

Consecratio altaris monasterii Fossae Novae facta ab Innocentio III.

INNOCENTIUS III Abbati et Conventui Fossae Novae.

Incipit *Si olim, etc.* (1).

Solemnis erat, etiam in lege veteri, altarium, in quibus carnes Deo immolabantur, consecratio, multo solemnior esse debet in lege gratiae, cum verus Deus Agnus I. C. offertur.

Extruxerant monachi Fossae Novae in sua basilica magnum altare; invitarunt saepe Pontificem, ut illud consecraret.

Pontifex cum honorabili coetu Cardinalium, et Episcoporum eo se contulit et illud consecravit solemniter XIV Kal. Iulii.

Ut eius consecrationis memoria singulis annis devotius recolatur, dat indulgentiam unius anni iis, *qui ad celebritatem consecrationis infra quindecim dies ad* eam Ecclesiam *devote* convenerint.

D. apud monasterium Cassinense XII Kal. aug. P. an. XI. a. 1208.

XVI.

Consecratio altaris mittendi ad regem Portugalliae facta a Pontifice Benedicto XIV.

BENEDICTUS XIV Joanni Portugalliae, et Algarbiorum regi.

Incipit *Dilectus filius, etc.* (2).

Magnificum altare transferendum Ulissiponem curarat rex Portugalliae confici Romae opere Mussivo, ponendumque in sacello s. Roccho dicando. Voluit Pontifex illud invisere, et illud consecravit; neque eo contentus, etiam missam super illud celebravit.

(1) B. R. t. 3. p. 1. p. 123. C. C.
(2) B. M. t. 16. p. 375.

Hic exponit Benedictus privilegium, quod habent altaria, super quibus divinum Pontifex fecerit; ut nemo possit super iis sacrificare, nisi de licentia ipsius Pontificis. Ita sunt in maioribus basilicis altaria maiora, in quibus praeter Pontificem nemo alius, nisi Cardinales de licentia eiusdem, sacrum faciunt statutis diebus.

Mos hic vetus est in Ecclesia. Sixtus V dono misit Philippo II Hispaniarum regi altare, super quo litavit, cum canonizavit s. Didacum; quod altare Pontificium appellavit, permisitque, ut Cardinales, Episcopi, Abbates thiara insigniti, illi, qui primas dignitates in Ecclesiis metropolitanis, et cathedralibus obtinerent, et minister generalis ordinis s. Hieronymi, et prior monasteri s. Laurentii tantum possent super eo celebrare, neque quotidie, sed quibusdam principalioribus diebus.

Ne ergo putet rex Portugalliae leve privilegium huius altaris constructi Romae et Ulissiponem transferendi.

Tum Pontifex permittit eidem regi, ut eligat quosdam, quos velit super eo celebrare, et quibus diebus velit. Regi, reginae, consanguineis, et affinibus regis, usque ad tertium gradum inclusive, concedit indulgentiam plenariam, si confessi, et Ss. Eucharistia nutriti ante illud oraverint pro exaltatione fidei, concordia principum, etc.

In signum grati animi pro acceptis a rege beneficiis, ait Pontifex, se hoc facere.

D. Romae apud S. M. Mai. die XV ian. P. a. V. a. D. 1745.

XVII.

Datur privilegium Card. Gentili celebrandi super altari pontificio in basilica Liberiana.

BENEDICTUS XIV Antonio Xaverio Cardinali Gentili.

Incipit *Magnitudo, etc.* (1).

Dat Pontifex Cardinali Gentili privilegium celebrandi super altari pontificio in die s. Hieronymi in basilica Liberiana.

(1) B. M. t. 18. p. 176.

Altare fuit erectum a Paschali I et consecratum, et restauratum et denuo consecratum a Clemente III, et temporis iniuria dirutum, a Benedicto XIV munificentius restitutum et rursus fuit consecratum.

Facultas haec est ad unam vicem tantum. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud. S. M. Mai. XV Kal. sep. P. a. XI. a. D. 1750.

Antequam altare consecraret Pontifex, allocutus est; et allocutionis haec est summa:

Liberius saeculo quarto erexit hanc Ecclesiam: sed cum legamus, Sixtum III non integro post Liberium saeculo tanta praestitisse in hac Ecclesia, videtur ille fuisse auctor; Gregorius IX certe narrat eam consecrasse Sixtum; Sixtum illi largitum indulgentiam. Benedictus propterea vult, ut cruces super parietes figantur in signum consecrationis, *sicut legimus fuisse affixas Liberianae basilicae.*

Tum exponit, se consecraturum altare, quod, quemadmodum Ecclesia, dedicatum erat B. Mariae, unde dicitur etiam Ecclesia s. Mariae Maioris, s. Mariae ad Praesepe, s. Mariae ad Nives, et quod iterum Pontifex in honorem Mariae dedicare vult.

Ideo autem Pontifex eligit diem, in quo recolitur memoria s. Hieronymi confessoris, et s. Ecclesiae doctoris maximi, quia eius ossa conquisita in antro Bethleemitico et inventa, Romam fuere translata, et condita in eadem Ecclesia. Contigit translatio haec sub finem saeculi duodecimi, cum Saladinus Terram sanctam invasit, et eam occupavit.

Quem doctorem enixe rogat Pontifex, ut lumen sibi impetret a datore luminum Deo, ad bene regendam universalem Ecclesiam.

XVIII.

Permisio cuidam nobili viro aedificandi in suo palatio capellam.

EUGENIUS III Bermundo Bitterris Episcopo.

Incipit *Cum sacrorum, etc.* (1).

Nobilis vir Trincavellus ab Hierosolymis rediens a Papa suppliciter postulavit, ut sibi concederet facultatem in suo palatio capellam struendi; iam eliget capellanum idoneum, quem Episcopo praesentabit.

(1) B. M. p. 3. vel p. 9. p. 19

Et quoniam *petitio eius visa fuit toleranda*, mandat Eugenius Episcopo Bermundo, ut permittat Trincavello aedificare capellam, et aedificatam consecrare, *salva in aliis illius, et Ecclesiae eius integra iustitia.*

Dat. Laterani VI. id. octobris. a. 1150.

XIX.

Presbyteri veneti missas in domibus privatorum facultatem habentium libere, et licite celebrare valeant.

CLEMENS VII presbyteris, etc.

Incipit *Nuper nobis, etc.* (1).

Licet plures nobiles, et graduati Venetiis haberent inter alia indulta apostolica *missas in suis domibus cum altari portatili, et debitis honore, et reverentia per quemcumque sacerdotem celebrare faciendi*; tamen Patriarcha Hieronymus Quirinus omnibus et singulis presbyteris *sub excommunicationis, et forsan aliis poenis* missam ibidem celebrare vetuerat.

Ergo habentes hanc facultatem religiosos regulares vocabant, qui celebrarent, *in dedecus, damnum, et devotionis sacerdotum saecularium diminutionem.*

Presbyteri igitur rogarunt Clementem, ut provideret.

Qui illis omnibus, et singulis concedit et elargitur, ut quotiescumque ab habentibus facultatem eiusmodi in casu infirmitatis, et necessitatis vocentur, et in suis Ecclesiis celebrare non tenebuntur, in domibus privatorum facultatem habentium, libere, et licite celebrare valeant.

Mandat Patriarchae Aquileiensi, et Episcopo Papheusi Venetiis commoranti, ut ambo, vel unus in praemissis *efficacis defensionis* praesidio iis presbyteris *assistant*; ne permittant eos clericos quomodolibet molestari, et *Patriarcham non parentem per censuras* ecclesiasticas, invocato ad hoc etiam brachio saeculari, si opus fuerit, compescant. N. O.

D. Bononiae die XI. dec. P. a. VIII. a. D. 1529.

(1) Ex Cornelio de Ec. Ven. Dec. 16. parte poster. p. 314.

XX.

Episcopi ne construant oratoria extra suam dioecesim, et extra locum suae habitationis in privatis dominibus; regularibus privilegium altaris portatilis abrogatur.

CLEMENS XI. Decretum.

Incipit *Quoniam sancta, etc.* (1).

Quidam Episcopi, Praelatique Ecclesiarum, quibus competebat ius privati oratorii, et in domibus nobilium, et extra suam dioecesim altaria efformabant, et oratoria privata; multi etiam regulares, quibus S. Sedes dederat indultum celebrandi super altaribus portatilibus, non attentis casibus in quibus iis licet uti, promiscue in domibus magnatum altaria construebant.

Pontifex ergo vetat Episcopis utrumque et extra suam dioecesim, et extra domum suae habitationis oratoria privata erigere; et regularibus quibus datus fuerat usus altarium portatilium, privilegium abrogat, permittens Ordinariis, si regulares iis de caetero utentur, facultatem in eos animadvertendi.

D. Romae die XV. dec. a. D. 1708.

XXI.

De privilegio Episcoporum circa sacella privata.

BENEDICTUS XIV ad Primatem, Archiepiscopos, et Episcopos regni Poloniae.

Incipit *Magno cum animi, etc.* (2).

Plurimae controversiae excitatae fuerant in Polonia circa oratoria privata, quas ut sedarent, Ordinarii eius regni rogarunt Pontificem, qui, etsi omnia iam statuta sint ab antiquis temporibus, tamen ea renovat hic.

(1) B. M. t. 8. p. 417.
(2) B. M. t. 18. p. 215.

Iam vetus est consuetudo, ut Episcopi habeant sacella privata in suis aedibus. De his sacellis antiqua extant monnmenta.

Huic iuri Episcoporum nihil derogavit concilium Tridentinum sess. 22 tantum decrevit, ne regulares, vel saeculares sacerdotes celebrarent in privatis oratoriis privatarum aedium sine licentia.

Inter privilegia Episcoporum Bonifacius VIII recenset et hoc, ut ii extra Dioecesim suam uti possint altari portatili, seu viatico; quo uti possunt etiam sine licentia eius Ordinarii, intra cuius dioecesis confinia sunt, vi decretorum concilii Tridentini, et Pauli V. Sed hoc altare erigere non possunt Episcopi extra domum suae habitationis, quod decrevit Clemens XI an. 1703. Quod si Episcopi in aliqua domo privata hospitentur, cum in aliena dioecesi domum propriam non habeant, uti possunt altari portatili, quod permittit idem Clemens.

Ita ergo agant Poloniae Episcopi, omnesque controversias componant.

Iam ipse Pontifex de oratoriis privatis controversias amputaturus multa praemittit.

I. Usum oratoriorum in privatis domibus esse antiquissimum; scimus enim Apostolos in privatis domibus celebrasse in persecutionibus;

II. Etiam post persecutiones viguisse huiusmodi usum, quod ostendit hic idem Pontifex *in tractatu de sacrificio missae*, sess. 5. c. 10.

III. Pluries fuisse cogitatum de tollendis his privatis oratoriis e domibus laicorum. Iustinianus novella 58 interdicit in his oratoriis missas celebrari; ita Leo sapiens.

IV. Semper petitam licentiam ab Ordinariis ea erigendi.

V. Concilium Tridentinum vetuisse Episcopis dare licentiam celebrandi in his oratoriis, quod confirmavit Paulus V. Ex quo factum est, ut licentia debeat a Pontifice impetrari.

Ergo sacra Congregatio multas leges sanxit ad oratoria erigenda;

1. Oratorium debere esse exstructum parietibus, per quos omnino separetur a domesticis usibus;

2. Idem esse visitandum ab Episcopo, vel ab alio ab eo delegato: cum fuerit exstructum;

3. Episcopum debere dare licentiam ibidem celebrandi;

4. Sacerdotem saecnlarem debere esse approbatum ab Episcopo, regularem a suo superiore;

5. Missam celebrari ibidem non posse diebus solemnioribus Paschatis, Pentecostes, Nativitatis Domini, omnium Ss., Epiphaniae, Ascensionis, Annuntiationis, Assumptionis B. Mariae, AA. Petri, et Pauli, et titularis Ecclesiae loci;

6. Exprimendum esse numerum personarum, quarum omnium, vel singularum praesentia sit necessaria ad celebrandum;

7. Interdum praescribitur una missa tantum dicenda, dato tempore, aliquando duae, vel serius, vel ocius;

8. Iam in ordinariis brevibus datur facultas utrique coniugi celebrare faciendi missam in eo: utrum autem possint celebrare facere consanguinei, et affines, controversia fuit; Benedictus decidit, eos non posse, sed posse ibidem audire missam, et adimplere praeceptum, si aut pater aut mater adsit, quae solae personae habent facultatem celebrari faciendi missam, nisi tamen aliter notetur in brevibus;

9. Interdum valetudinis ergo conceditur, ut etiam diebus festis principalioribus una missa dicatur.

Orta est quaestio, an die Natali Domini tres missae dici debeant, et possint? Pontifex decernit, dici debere, et posse.

10. Iam Baptismus in iis oratoriis infantibus conferri nequit, nisi filiis regum, et principum, extra casum necessitatis, nec sacramentum poenitentiae extra casum necessitatis, nec Eucharistia tempore Paschali, quemadmodum inhibetur etiam in Ecclesiis regularium non parochialibus; alio tempore in oratoriis privatis ad sumendam Eucharistiam requiritur licentia Ordinariorum.

Monet Pontifex post haec Ordinarios, ut in suis dioecesanis Synodis haec exponant, vel per edicta publicent, et iis, qui oratoria privata habent, haec observanda mandent, cum interminatione ammissionis privilegiorum; capellanos autem non parentes cogant per censuras ad parendum.

Eos monet, regularium facultates in hac re sublatas fuisse a concilio Tridentino, et omnes reservatas Ordinariis.

Quaedam etiam addit de altari portatili, cuius usum Gregorius XIII concessit fratribus Ordinis PP. provinciae Polonicae ob magnum numerum et potentiam haereticorum in eo regno.

Annectit in fine superius a nobis allatum Clementis XI decretum *Quoniam sancta, etc.* quod ad eos legendum, et observandum transmittit.

D. Ex arce Gandulphi die II iunii P. a. XI. a. D. 1751.

XXII.

Militibus Hierosolymitanis datur facultas habendi in navibus altare portatile, super quo dicatur missa.

CLEMENS XI ad p. r. m.

Incipit *Exponi nobis, etc.* (1).

Quia saepe contingit, ut in suis expeditionibus milites ordinis Hierosolymitani careant missa diebus solemnioribus Ecclesiae, neque possunt interdum ad terram appellere, et tentorium figere, sub quo ea celebretur, magnus magister Ordinis supplicavit Pontifici, ut liceret suis militibus eam celebrare facere super triremibus.

Annuit Pontifex:

I. Modo naves sint anchoratae,

II. Coelum sit serenum,

III. Mare quietum,

IV. Et ad altaris latera sit vel presbyter, vel diaconus ad vitandam effusionem sanguinis, et altare firmum retineatur. N. O.

D. Romae apud s. Petrum die XXII mart. P. a. VI. a. D. 1706.

(1) B. M. t. 8. p. 39. B. R. t. 10. p. 2. p. 159. C. C.

XXIII.

Confirmatio eiusdem privilegii.

BENEDICTUS XIV ad p. r. m.

Incipit *Exponi nobis, etc.* (1).

Confirmat eandem facultatem celebrandi etc. his equitibus Benedictus.
Iisdem cum conditionibus etc. N. O.
D. Romae apud S. M. Mai. die XV ian. P. a. II. a. D. 1742.

XXIV.

Eadem facultas datur pro navibus pontificiis.

BENEDICTUS XIV ad p. r. m.

Incipit *Exponi nobis, etc.* (2).

Eamdem licentiam celebrandi missam super triremibus pontificiis, ita rogatus a commissario generali, concedit Pontifex pontificiis militibus.
Servatis tamen iisdem conditionibus, etc. N. O.
D. Romae apud S. M. Mai. die XXVIII ap. P. a. II. a. D. 1742.

XXV.

Jussio, ut quilibet testamentum faciens in Hispaniis, et Indiis, aliquid leget pro monte pietatis, hoc est, animabus purgatorii.

BENEDICTUS XIII ad f. r. m.

Incipit *Alias nomine, etc.* (3).

Matriti Philippus V Hispaniarum rex erexerat pro animabus in purgatorio existentibus montem pietatis, cui rex concesserat nonnullas gratias. Nam annis duobus ex eodem monte celebratae fuerant pro iisdem animabus missae centum triginta septem mille viginti tres.

(1) B. M. t. 16. p. 63.
(2) B. M. t. 16. p. 91.
(3) B. M. p. 7. vel t. 13. p. 325.

Exoptans idem rex praedictum montem augeri, rogavit Pontificem, ut decerneret, ut quicumque in Hispaniis, et Indiis testamentum conderet, relinqueret aliquid eidem monti cum concessione alicuius indulgentiae.

Fecit utrumque Pontifex.

Constitutio indulgentiae desideratur.

Mandat Ordinariis, ut tam pium opus commendent.

Et declarat nullum validum futurum testamentum, nisi aliqua eleemosyna pro hoc pio monte in eo legetur. N. O.

D. Romae apud S. M. Mai. die XX aug. P. a. IV. a. D. 1727.

XXVI.

Contra eos, qui missas legatas in testamento celebrare faciunt, ubi minima datur eleemosyna.

BENEDICTUS XIV Patriarchis, Primatibus, etc.

Incipit *Quanta cura, etc.* (1).

Contra avaritiam quorundam et clericorum, et laicorum invehitur Pontifex, qui missas relictas a testatoribus celebrare faciunt in locis, ubi, iuxta synodos dioecesanas, eleemosyna parva datur, cum maior deberet expendi, si in proprio loco eae celebrarentur, quod esse absonum a voluntate testatoris quis non videt? ipse enim, si voluisset celebrari missas alibi, clausulam addidisset.

Similem avaritiam execrata est sacra Congregatio generalis Inquisitionis, quae vetuit, sacerdotes, qui magnam eleemosynam pro sacrificiis acceperunt, dare parvam sacerdoti, ut illud idem sacrificium celebret.

Hortatur ergo Pontifex Episcopos, ut contra hanc avaritiam exclament, eamque penitus evellant, et iubet, ut edicta publicent in suis dioecesibus, incursuros excommunicationis poenam eos, qui colligentes eleemosynam iuxta statuta synodalia, alio mittunt tenuiorem eleemosynam

(1) B. M. t. 16 p. 35.

pro adimplemento missarum; clericos autem id facientes incursuros poenam suspensionis. N. O.

D. Romae apud S. M. Mai. die XXX iunii P. a. I. a. D. 1741.

XXVII.

Ad Archiepiscopum Taurinensem, ut praedictam avaritiam in sua dioecesi tollat.

BENEDICTUS XIV Archiepiscopo Taurinensi.

Incipit *Pro eximia, etc.* (1).

Cum nullibi magis, quam in Pedemontio haec turpis missarum mercatura fieret, specialiter ad Archiepiscopum Taurinensem scribit Pontifex, ut eam omnino tollat.

Quod si quis ad enuntiatas poenas in praecedenti proxima constitutione adhuc obdurescat, invocet brachium saeculare, ei pollicens Carolum Emmanuelem regem pro sua infinita pietate illi in hoc non defuturum.

D. Romae apud S, M. Mai. die XXX iunii P. a. I. a. D. 1741.

XXVIII.

Modus tenendi libros pro adimplemento missarum.

CLEMENS XI. Decretum.

Incipit *Affinchè, ecc.* (2).

Modum praescribit Pontifex tenendum in quacumque Ecclesia cathedrali, parochiali, et oratoriis congregationum pro adimplemento onerum missarum cantandarum, et privatarum.

Vult efformari catalogum, in quo adnotentur quot missae relictae fuerint, a quo, qua eleemosyna, unde ea exigatur, a quo sacerdote celebrentur, an ad aliquod altare sint obligatae.

(1) B. M. t. 16. p. 36.
(2) B. M. t. 8. p. 451.

Tum in sacristia efformandus erit liber in tot pagellas distinctus, quot sufficiant ad continendas celebrationes earum missarum.

Iu capite pagellarum notabuntur nomina eorum, qui legata pro missis reliquerunt.

Sacerdos de die in diem se subscribet, et ad marginem pagellae apponatur numerus dierum mensis.

Ita facile erit videre in anni fine, quot missae dictae sint, quot supersint dicendae.

Pro adventitiis autem alius habeatur liber.

D. Romae Kal. oct. a. D. 1704.

XXIX.

Notarii nota faciant onera missarum testamento relicta.

CLEMENS XI. Decretum.

Incipit *Una delle cure, ecc.* (1).

Iniungit Clemens notariis, et quibuscumque scriptum fuit aliquod testamentum, in quo relicta fuerint onera missarum, sive parochis, sive curatis, ut deferant ad Congregationem Cardinalium notitiam horum onerum sub poenis notariis viginti quinque scutorum, parochis aliis ad arbitrium.

D. Romae die I feb. a. D. 1707.

XXX.

Alia observanda circa adimplementum missarum.

CLEMENS XI. Decretum.

Incipit *Avendo la Santità, ecc.* (2).

Pro missarum adimplemento iubet ulterius Pontifex, ut sacerdotes debeant signare in libro ad quod altare celebrarint.

(1) B. M. t. 8. p. 453.

(2) B. M. t. 8. p. 454.

Itidem ut sacristao quovis anno deferant libros sacristiae cum tabella onerum mense octobris ad congregationem visitationis, ut compntista possit cognoscere, utrum adimpletae eae sint, an non.

Regularibus non parentibus, iniungitur poena privationis vocis activae et passivae, clericis saecularibus privationis officiorum.

D. Romae die VIII ian. a. D. 1708.

XXXI.

Alia decernit circa adimplementum missarum Pontifex.

CLEMENS XI. Decretum.

Incipit *La pastorale, ecc.* (1).

Alia statuit Pontifex pro adimplemento missarum. Iubet ergo, ut heredes, qui possunt vel in hac, vel in illa Ecclesia supplere onera missarum relicta, ad sacram congregationem visitationis deferant, in qua Ecclesia statuerint eas missas celebrari; idquo faciant intra sex menses sub poenis, etc.

Sacristae autem in tabella onerum missarum signent, ad quos spectet eleemosynas pro ipsis dare;

Signent insuper, num sint perpetuae, num ad tempus, et ad quantum temporis.

Quod si heredes nolint de anno in annum solvere, intra sex menses a die obitus testatoris fundum aliquem assignent, qui sit idoneus ad subministrandam eleemosynam pro iis missis convenientem; cuius fundi familia heredum semper cautionem praebeat.

D. Romae die XVIII sept. a. D. 1719.

(1) B. M. l. 8. p. 456.

XXXII.

De iis tantum sanctis celebrari potest missa, quorum nomina sunt in martyrologio.

INNOCENTIUS XII. Generale decretum.

Incipit *Cum sacrae, etc.* (1).

Sub praetextu cuiusdam decreti editi a sacra Rituum Congregatione a. 1630, ut recitari posset officium, et missa dici eorum sanctorum, quorum insignes reliquiae essent in Ecclesia, irrepserant graves abusus.

Ergo sacra Congregatio hos tollere volens explicat sese: decernitque, de illis tantum sanctis celebrari posse missas, quorum nomina essent descripta in romano martyrologio; de aliis non descriptis, licet integra habeantur corpora, missas, et officium dici non posse.

D. Romae die XIX oct. a. D. 1691.

XXXIII.

Rubricae generales observandae a celebrantibus.

CLEMENS XI. Decreta varia.

Incipit *Cum occasione, etc.* (2).

Typis sacrae Congregationis de propaganda fide, edendo missali romano, has generales rubricas observandas a quibuscumque celebrantibus missam iubet Clemens.

I. In diebus, quibus occurrit officium ritus duplicis, missae defunctorum vetantur, sacrificium tamen potest pro iis applicari. Ita decidit Alexander VIII; idque valet etiam si celebretur ad altare privilegiatum, ita Alexander VII.

II. Anniversaria tamen, et missae cantatae de requiem ex dispositione testatorum dici possunt etiam in festis duplicibus. Ita Innocentius XII.

(1) B. M. t. 7. p. 285.
(2) B. M. t. 8. p. 437.

III. Missae ad altare privilegiatum ad septennium, vel ad aliud longius, vel brevius tempus quotidie, aut pro aliquibus tantum diebus hebdomadae dictae in paramentis convenientibus festo duplici suffragantur animabus purgatorii aeque ac si dicerentur de requiem. Ita Alexander VII.

V. Etiam suffragantur iisdem purgantibus eae missae celebratae ad altaria privilegiata diebus dominicis, infra octavam Paschatis, Pentecostes, Corporis Christi, quibus diebus, licet ii non sint duplices, missae de requiem tamen celebrari non possunt. Ita Innocentius X.

V. Missae, et officia dicantur in aliquibus Ecclesiis specialiter ob corpora sanctorum ibi iacentia, vel ob insignes eorum reliquias. Sed si nomina horum sanctorum non sunt descripta in martyrologio romano celebrari non possunt. Ita Innocentius XII.

VI. Missae votivae, et pro defunctis infra octavam Corporis Christi celebrari non possunt, idque ut augeatur erga Ss. Sacramentum Eucharistiae devotio. Hoc fuit approbatum a Clemente XI.

VII. Neque infra octavam Nativitatis Domini possunt dici missae de requiem, aut votivae.

VIII. Si vero dicenda sit missa votiva pro re gravi infra aliquam ex his octavis privilegiatis, praefatio dicenda erit iuxta rubricam generalem c. 12. n. 4.

Haec decreta iubet Congregatio de iussu Pontificis apponi missalibus post alias generales rubricas.

D. Romae die XXIX sept. a. D. 1714.

XXXIV.

De reductione missarum, et de earum perpetuis oneribus.

URBANUS VIII. Decreta.

Incipit *Cum saepe, etc.* (1).

Sacra Cardinalium interpretum Concilii Tridentini Congregatio advertens plura onera missarum suscipi, quam ut adimpleri possint, et

(1) B. M. t. 5. p. 89. B. R. t. 5. p. 5. p. 335. C. 6.

quotannis ea augeri in praeiudicium animarum, vel in fraudem voluntatis eorum, qui missas reliquerunt, et insuper eos, qui tot onera missarum habent, confugere ad Episcopos, qui ad minorem numerum eas reducebant, unde novus aditus aperiebatur novos missarum cumulos congerere, decernit:

I. Ut, Episcopi, et Generales Ordinum non possint has missas ad minorem numerum propria auctoritate reducere, sed confugiant ad Sedem Apostolicam;

II. Ut quot stipendia pro missis dantur, licet exigua sint, si acceptentur, tot missae dicantur;

III. Ne duabus, vel pluribus collectis credatur satisfieri duabus, aut pluribus stipendiis missarum;

IV. Ut eleemosynam acceptam pro celebranda missa, si ego celebrare non possim, dem alteri sacrdoti eandem celebraturo;

V. Bona mobilia relicta pro celebratione missarum, vendantur, et exacta pecunia investiatur pro celebratione earundem in bonis immobilibus;

VI. Quorum si fiat alienatio, investiatur in aliis bonis;

VII. Ne accipiantur onera perpetua missarum absque Ordinarii facultate, vel absque licentia Generalis, si sint relicta monasteriis;

VIII. Ne nova onera missarum recipiantur, prioribus non adimpletis.

IX. Eadem Congregatio iniungit Ordinariis, ut haec diligenter inquirant, utrum executioni mandentur;

X. Idem iniungit superioribus Ordinum;

XI. Ac proinde iis mandat, ut tot fratres in unoquoque monasterio sint, quot substentari possint ad supplenda haec onera;

XII. Ut quaecumque super his et Ordinarii, et superiores Ordinum egerint, ad sacram Congregationem rescribant;

XIII. Demum vetantur capsae ad colligendas eleemosynas pro missis, ne collector sibi praefigat ad libitum eleemosynam. N. O.

D. Romae die XXI iunii a. 1625.

XXXV.

Solutio dubiorum ex praecedenti decreto enatorum (1).

Quorundam dubiorum ex praecedenti decreto natorum solutiones annectuntur.

I. Dubium; quid agendum si legatum sit tenuissimum, et nemo illud velit accipere, et totum impendendum sit, si debeat fieri ad S. Sedem recursus?

Responsio. Recurrendum esse ad S. Sedem, et omnia gratis expedientur; neque Ordinarius quicquam iuris in hoc habet, nisi ei datum sit a testatore in fundatione.

II. D. Praescribitur, ut tot missae dicantur, quot ad rationem praescriptae eleemosynae eae fuerunt. Praescriptio haec estne intelligenda dantis eleemosynam, an Episcopi hanc rationem praescribentis?

R. Praescriptio intelligitur de offerente, cuius est iubere quot missas velit.

III. D. Praescribente Episcopo eleemosynam congruam loco, tempori, oblatis eleemosynis minus congruis, sacerdos, qui nesciens eas accepit, teneturne tot missas celebrare, quot iussit offerens?

R. Tenetur.

IV. D. Sacerdos obligatus celebrare pro legato, potestne accipere manualem eleemosynam, et eodem tempore satisfacere duabus obligationibus?

R. Non potest.

V. D. Moriturus praescribit sibi dicendas centum missas, neque praescribit eleemosynam, debet ne praescribi ab Ordinario, vel ab haeredibus?

R. Ab Ordinario iuxta morem loci.

VI. D. In numero III praecedentis decreti statuitur, ne satisfiat duabus, vel pluribus collectis in una missa duabus, vel pluribus missarum eleemosynis, hoc est ne intelligendum de oneribus susceptis, an de suscipiendis?

(1) B. R. ib. p. 338. C. C.

R. De suscipiendis.

VII. D. A manutentoribus ecclesiarum de eleemosynis oblatis potestne in manutentionem paramentorum, vasuum etc. teneri aliqua pars eleemosynae?

R. Si Ecclesia non habeat alios proventus, etsi dempta hac parte, eleemosyna sit adhuc congrua, ut fert locus, retineri potest.

VIII. D. Sacerdos habens beneficium an debeat dare eleemosynam, cum ipse celebrare non possit, respondentem beneficii fructibus, an congruam loco?

R. Potest dare congruam loco.

IX. D. Sacerdos, cui datur maior solita eleemosyna, satis ne est, ut det alteri sacerdoti easdem missas dicturo congruam eleemosynam?

R. Debet dare, ut accepit, integram.

X. D. Qui habet iam onus unum missarum, potest suscipere aliud?

R. Potest, modo possit utrique congruo tempore satisfacere.

XI. D. Si offerens audiat celebrantem impeditum esse, neque tam cito adimplere posse onus, quid agi debet?

R. Offerens id sciens censetur consentire, ut celebrans celebret cum potuerit.

XII. D. In praecedenti decreto vetantur capsae sub poena interdicti; poena haec quos afficit?

R. Eos, qui sine licentia Episcopi eas in publico exponunt, et ita onera perpetua missarum sibi efformant.

XIII. Capsulae, quae exponuntur in die commemorationis defunctorum cadunt sub hanc poenam?

R. Pro his quoque capsulis requiritur licentia Ordinarii.

XIV. Administrantes Ecclesiam possuntne accipere eleemosynas pro missis celebrandis non nisi post longum tempus, ut devotio in ea Ecclesia conservetur?

R. Non possunt, nisi adsit consensum offerentium.

XV. D. In his regulis comprehenduntur ne, praeter capitula, Ecclesias, loca pia, etiam clerici privati?

R. Ita.

XVI. D. Quoniam in decreto iubentur assignari tot monaci cuilibet monasterio, quot sunt proventus ad substentationem eornm sufficientes, ubi est haec assignatio facta, estne iterum facienda?

R. Est facienda.

XVII. D. Novitii possuntne profiteri pro iis monasteriis in quibus sufficientes fructus non sunt ad eos sustentandos?

R. Ad alia monasteria interea mitti debent, donec iis locus detur in monasteriis.

XVIII. D. Hoc decretum pertinet etiam ad eas religiones, quae non recipiunt onera missarum, ut est societas Jesu?

R. Ita.

XIX. Praescribitur, ut non recipiantur monasteria, nisi in quibus ali possint duodecim fratres, hoc extenditurne extra Italiam etiam?

R. Ita.

XXXVI.

Alia dubia super praemissis enata solvuntur.

INNOCENTIUS XII ad p. r. m.

Incipit *Nuper a Congregatione, etc.* (1).

Ex voto sacrae Congregationis Cardinalium sacri Concilii Tridentini interpretum haec edit Innocentius, quae sunt eadem ac edita ab Urbano VIII in proximo praecedenti decreto.

Adduntur dubia enata super praemissis, et solutiones ut supra. Haec omnia de novo confirmat Papa.

Si quis locus, conventus, etc. amiserit celebrationem missarum *malitiosa, vel irrationabili spe earundem reductionem a Sede Apostolica, vel a fabrica s. Petri compensationem obtinendi, sciat has reductiones non esse dandas nisi ex rationabili causa, et ex aequa compensatione a S. Sede*; a fabrica autem non esse faciendas compensationes, nisi sub hac clausula, *dummodo malitiose non omiserint, animo habendi compensationem, alias gratia nullo modo suffragetur.*

(1) B. M. p. 7. vel t. 12. p. 286. B. R. t. 9. p. 464. C. C.

Praescribit, ut teneatur exposita publice tabella, in qua describantur onera missarum qnotidianarum, vel non quotidianarum, et in libro annotentur eleemosynae manuales, quae deferuntur, et si sacristae praevident, eas missas celebrari ibidem non posse, recusentur eleemosynae et etiam fundationes capellaniarum.

Sit etiam alter liber in sacristia, in quo sacerdotes describant missas celebratas a se.

Eleemosynae missarum perpetuarum, et manualium ponantur in capsa cnm duabus clavibus; nna quarum sit penes snperiorem, altera penes alterum religiosum electum a capitulo conventuali sub poenis inhabilitatis ad officia.

Haec statuta legantur bis in anno in publica mensa.

Ordinarii in ecclesiis saecularibus sedulo cnrent, ut haec fiant; ita superiores etiam Ordinnm in suis Ecclesiis. Et cum est capitulum provinciale, superiores locales notulam obligationum missarum adimpletarum et non adimpletarum deferant, et legant; et visitatores, et provinciales, dnm monasteria visitant, inspiciant an onera missarum sint adimpleta, reosque puniant; hoc onus incumbit rectoribus Ecclesiarum saecularium, guardianis, etc. locorum piorum, archiconfraternitatum, societatum, etc.

Poenas etiam iniungit contra illum, qui haec decreta interpretari voluerit in alium sensum, ac verba praeseferunt.

D. Romae die XXII nov. a. D. 1697.

Haec decreta ab eadem sacra Congregatione edita confirmat, inquam, de novo Innocentius et in locis solitis affigi vult ad omnium intelligentiam. *Nulli ergo etc.*

D. Romae apud S. M. Mai. X Kal. ian. P. a. VII, a. D. 1697.

XXXVII.

Missae de anniversariis canantur.

HONORIUS III universis Archiepiscopis, Episcopis, Praelatis, et clericis per Galliam constitutis.

Incipit *Cum creatura, etc.* (1).

Acceperat Honorius, sed non acceptarat in Galliae collegiatis, et cathedralibus missas pro anniversariis, praetextu missarum solemnium cantandarum, praetermitti.

Praelatos ergo Galliarum monet, ut hunc abusum tollant; et quoniam canonici beneficio gaudent, efficiant, ut missas omnes canant pro anniversariis, pro festo, pro vigilia, vel tempore si occurrerit, conventualiter. Ad hoc enim tot oblationes fidelium eorum Ecclesiae receperunt.

D. Anagniae IV Non. iulii P. a. I. a. D. 1217.

XXXVIII.

Parochi tenentur diebus festis applicare missam pro populo.

INNOCENTIUS XII ad f. r. m.

Incipit *Nuper a Congregatione, etc.* (2).

Episcopus Pistoriensis Pratensis, cum parochi suae dioecesis alii sentirent diebus festis se celebrare debere pro populo, alii nequaquam, Congregationi Cardinalium sacri Tridentini Concilii hoc dubium evolvendum proposuit, *an parochi teneantur omnibus diebus festis applicare sacrificium pro populo, sive non.*

Sacra Congregatio respondit, satis fuisse responsum ad hoc dubium in decisione eiusdem dubii propositi anno 1692 in quo ulterius erat, *sive habeant congruam, sive non.*

(1) B. R. t. 3. p. 1. p. 187. C. C.

(2) B. M. p. 6. vel t. 12. p. 315. B. R. t. 9. p. 501. C. C.

Responditque, cum sit de iure divino orare pro ovibus suis, nullaque potior sit oratio, quam missae sacrificium; ideo eos teneri ad sacrificandum pro populo.

Deciditque Episcopos posse *detrectantes parochos ad id compellere* a. 1699.

Hoc idem decretum Congregationis, quia exoptavit idem Episcopus auctoritate apostolica confirmari, Pontifex illud confirmat. N. O.

D. Romae apud S. M. Mai. die XXIV apr. P. a. VIII. a D. 1699.

XXXIX.

Confirmatio uberior praecedentis constitutionis; et de missis conventualibus.

BENEDICTUS XIV Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, etc.

Incipit *Cum semper, etc.* (1).

Multoties discussa fuit in Congregatione sacri Concilii Tridentini controversia de applicatione missae parochialis pro populo, et conventualis pro benefactoribus tum, dum hic Pontifex secretarius erat eiusdem Congregationis. Ideo necessarium ducit Benedictus hanc Encyclicam epistolam ad omnes Ecclesiae Ordinarios mittere eos adhortans, ut quaecumque in hac praescripserit, executioni mandari curent, qualibet appellatione remota.

Onus applicandi missam parochialem a parocho pro populo confirmat Concilium Tridentinum sess. 23. c. 1. de ref. *cum mandatum sit divino praecepto omnibus, quibus animarum cura commissa est oves suas pascere, pro his sacrificium offerre;* ergo pro eo sacrificio eleemosynam non potest accipere parochus, non pro alio sacrificare potest, quam pro populo; ad quod onus tenentur et vicarii ammovibiles, et etiam regulares habentes curam animarum. Ita concludit Pontifex ex eodem Concilio.

(1) B. M. t. 16. p. 214.

Multi se excusant, aientes fructus beneficii esse tenues, consuetudinem esso novam. Nihilominus, utcumque sit, de consilio eiusdem Congregationis, ita agendum esse Pontifex decernit c. 5.

Ait tamen, decretum Concilii non esse intelligendum de missa quotidiana, sed de missa diebus tantum festis de praecepto, illis, quibus populus tenetur audire missam, idque probat ex eodem Concilio sess. 5. c. 2. et sess. 24. c. 4.

Si tamen proventus beneficii sunt ita exigui, ut vix parochus substinere se possit, dat facultatem Ordinariis providendi; inveniat parochus aliquem, a quo accipiat eleemosynam die festo, sed missam offerat pro populo die aliquo infra hebdomadam. Ideo vicariis consulendum est, ut habeant sufficientem congruam, ne egeant eleemosyna missarum diebus festis. Haec de parochis.

In conventualibus autem, et cathedralibus Ecclesiis, et collegiatis missae conventuales, et horae canonicae dicantur quotidio pro benefactoribus. Ita docent canones, et ita saepo decidit sacra Concilii Tridentini interpretum Congregatio, quae decreta confirmat Benedictus.

Nec satisfit praecepto, si ea missa dicatur pro uno benefactore tantum; nec valet excusatio, si dicatur in iis Ecclesiis esse statuta anniversaria, et preces. Ideo antiquis temporibus perhibent historiae, consuevisse haberi cathalogum nominum eorum, qui auxissent conventus, et Ecclesias, et eum fuisse solitum apponi coram sacerdotibus missam celebrantibus, ut pro iis specialiter orarent. Proinde contraria consuetudo est amandanda; et si celebrans missam conventualem debeat eo die applicare pro alio, eius obligatio por alium sacerdotem est adimplenda, ut quotidie pro benefactoribus celebretur. Eleemosyna autem est desumenda a massa distributionum. Quod si summa sit in his Ecclesiis inopia, Ordinarii certiorem Congregationem faciant.

In quibusdam Ecclesiis cathedralibus, et collegiatis non una tantum, sed interdum duae, tres debent dici missae conventualiter, ut in rubricis generalibus praescribitur. Hae omnes suntne applicandae pro benefactoribus? Congregatio respondit alias, dandam esse exemptionem

ab applicatione pro benefactoribus secundae, et tertiae missae. Idque Pontifex concedit.

In fine iubet horas canonicas dici non praepropere, sed cum pausa et decernit etiam canonicos teneri ad psallendum, et in cassum adduci privilegia exemptionum: id iubet Concilium Tridentinum, id concilia plura provincialia, ob id iis dantur praebendae, et distributiones quotidianae.

Mandat Episcopis, ut haec publicari iubeant, et observari.

D. Romae apud S. M. Mai. die XIX aug. P. a. IV. a. D. 1744.

XL.

Super celebratione duarum missarum eodem die per unum sacerdotem.

BENEDICTUS XIV Episcopo Oscensi.

Incipit *Declaravit nobis, etc.* (1).

Significaverat Pontifici Episcopus Oscensis, se deprehendisse in visitatione suae dioecesis quosdam parochos, habentes aliquam Ecclesiam seiunctam longe a parochia, ne diebus festis parochiani missa carerent, consuesse duas celebrare missas; et ipsum statuisse in dioecesana synodo id prorsus non licere, si sit alius sacerdos, qui possit eam inibi celebrare; sed pastores id graviter tulisse, nec acquiescere voluisse, nisi prius pollicitus esset, se exquisiturum pontificiam decisionem.

Pontifex primum laudat Episcopi prudentiam, tum decretum synodi confirmat.

Ac primum confirmat facultatem, quam habent parochi dicendi duas missas diebus festis, si parochia sit admodum dissita, nec alius sit sacerdos, qui celebrare possit, auctoritatibus theologorum; quam sententiam confirmat etiam auctoritate synodi Limanae, cui praefuit s. Thuribius, habitae anno 1592 et auctoritate aliarum synodorum.

(1) B. M. t. 17. p. 8.

Et revera si ob mysterii significationem decet in Natali Domini celebrare tres missas, licebit etiam celebrare duas, cum necessitas urgebit. Tempore certe Alexandri II quidam sacerdotes erant, qui uno die celebrabant missam unam pro defunctis, missam alteram *pro die;* tum subiungit, *qui vero pro pecuniis, aut adulationibus saecularium uno die praesumunt duas facere missas*, *non aestimo evadere damnationem*, ita Alexander.

Quando autem inceperit praeceptum de una missa, et quare, Thomassinus exponit in suo opere *de veteri*, *et nova Ecclesiae disciplina* l. I. c. 72. n. 6. Ex quibus omnibus efficitur, parochum duas missas, si necessitas adsit, celebrare posse. Utilitas, quaestus duplicis eleemosynae, licet fructus beneficii sint admodum exigui, caussa esse iusta non potest, cur duas missas celebrare possit; et Episcopus, si eo loco sit praeter parochialem alius sacerdos, potest hunc cogere ad celebrandum diebus festis, pro indigentia populi.

Ceterum quod obiici potest, debere parochum explicare populo evangelium, facile conciliare potest, si parochus in qua Ecclesia celebret, explicet illud; et dum celebrat sacerdos, inter eius missam rursus explicet.

Respondet in fine Pontifex querelis parochorum Oscensium. Sed iniustae sunt eorum querelae; plura enim decreta Congregationis Ordinariis hanc facultatem abrogant, nisi gravis sit necessitas.

Neque consuetudo in hac re quicquam prodest. Nam quot sunt in iure ecclesiastico, quae quondam licebant, nunc non licent? Quondam feria sexta maioris hebdomadae parochi duas Ecclesias habentes, in utraque Ecclesia officium celebrabant; praeceptum de ieiunio quondam non erat in sumptione Eucharistiae, nunc est traditum; in regnis Hungariae, Valentiae, Ducatu Catalauniae sacerdos quilibet saecularis bis potest in die commemorationis defunctorum celebrare; ter regularis, quod privilegium est antiquum iis locis concessum. Ne ergo querantur parochi si sibi denegatur facultas bis celebrandi eodem die, cum alius adsit sacerdos, qui celebrare possit.

Sed haec controversia facillime solvi poterat. Docet enim Henricus Brich antiquus iuris canonici professor, duas missas celebrari non posse, si id vetent synodalia decreta.

D. Romae apud S. M. Mai. die XVI martii. P. a. VI. a. D. 1746.

XLI.

Tres missae in nocte Natalitia celebrari non possunt, nec communio dari laicis potest.

CLEMENS XI. Edictum.

Incipit. *Essendosi, ecc.* (1).

In quibusdam Ecclesiis inoleverat usus, ut in nocte Natalitia tres missae ab aliquibus celebrarentur; et ea nocte etiam sacra communio a laicis fieret.

Vicarius iussu Pontificis mandat, ut una tantum missa dicatur ab uno tantum sacerdote in singulis Ecclesiis, reliquae dicantur horis competentibus, ut generales rubricae iubent.

Etiam communio ea nocte laicis interdicitur, ne inconvenientia enascantur.

Poena suspensionis ab officio infligitur inobedientibus.

D. Romae die XVIII dec. a. 1702.

(1) B. M. t. 8 p. 248.

XLII.

Armeni in die Natali Domini tres missas celebrare non possunt.

BENEDICTUS XIV Nicolao Lercari Congregationis
de propaganda fide secretario.

Incipit. *In superiori, etc.* (1).

Nicolaus Lercari in subspicionem adductus, Armenos tres missas in die Natali Domini Liburni celebrare, scripsit ad Archiepiscopum Pisanum, ut resciberet, an verum id esset; qui rescripsit, Armenos ita celebrare. Requisivit Pontificem Lercarius, num id permittere deberet? Cui respondit Pontifex;

I. Hoc esse privilegium proprium latinae Ecclesiae, ut tres missas singuli sacerdotes die Natali Domini celebrent; nullum vestigium extare apud Ecclesiam Orientalem, et Armenam huius privilegii, et patres Basiliani cryptae-ferratae, qui plures ritus latinos amplexati sunt, hunc non sunt amplexati.

II. Proinde non licet aliis Ecclesiis, quam latinae, hoc ritu uti.

III. Neque vero quicquam Orientalibus prodesse potest, si dicant, quosdam latinos ritus se in suam Ecclesiam recepisse. Nam Archiepiscopus Edessenus an. 1710 cum esset Romae, supplicavit sacrae Congregationi, ut liceret sibi in die Natali celebrare tres missas more latino, et congregatio renuit.

IV. Sed potiori iure id negandum est Armenis. Cum enim anno 1674 Congregatio rituum cuperet, ut Armeni in portu Liburno in celebratione Paschatis, et aliorum festorum dierum sequerentur correctionem Gregorianam, tot tantaeque excitatae sunt rixae, ut anno 1699 eadem Congregatio ad eas sedandas antiquum calendarium ab iis sequendum permiserit.

V. Archiepiscopus Pisanus scripserat, Armenos asserere a multis sacerdotibus catholicis Armenis per Orientem eo die celebrari tres missas. Huius rei narrat initium Pontifex.

(1) B. R. t. 14. p. 187.

Anno 1318 Joannes XXII misit in Armeniam ad missiones Bartholomaeum Bononiensem, postea Beatum, ex Ordine Praedicatorum. Motus sanctitate viri quidam Isaias schismaticus, qui tercentis, et septuaginta discipulis erat praepositus, amplexatus est cum discipulis suis institutum s. Dominici, et haec congregatio subiecit sese magistro generali Ordinis an. 1356.

At fratres, et alii subsequentes cum non scirent aliam linguam, quam Armenam, lingua armena faciebant ritus latinos. Immo an. 1713 ea congregatio patrum supplicavit sacrae Congregationi, ut liceret sibi typis imprimere breviaria, et missalia e latino in armenum sermonem translata.

VI. Ergo quidam, videntes hos fratres dicere tres missas iuxta ritum latinum lingua armena, putarunt licere armenis sacerdotibus id facere; ita concessum fuit Maximo Costantinopolitano Dominicano cum sua familia latinum missale Dominicanum vertere et ritus latinos sequi. Hinc error natus.

VII. Haec omnia deferat ad sacram Congregationem Lercarius, et ad Archiepiscopum Pisanum mittat, si Congregatio iusserit, Lercarium ad illum scribere.

D. Romae apud S. M. Mai. die XXX dec. P. a. XV, a. D. 1755.

XLIII.

In die commemorationis defunctorum tres missae celebrari possint in Hispaniis a quovis sacerdote.

BENEDICTUS XIV ad p. r. m.

Incipit *Quod expensis, etc.* (1).

Et Philippus V et Ferdinandus VI Hispaniarum reges postularunt a Pontifice, ut indultum celebrandi tres missas in die commemorationis omnium defunctorum in regno Aragoniae (quod comprehendit Valen-

(1) B. R. t. 17. p. 278

tiam, Catalauniam, et Maioricam) extenderet et ad alia Hispaniarum regna, et idem pro ditionibus suis exposcerat Portugalliae rex.

Iam Philippus V supplicaverat de hac re Pontifici Innocentio XIII usque ab anno 1722. Hic Benedictus, qui tunc erat in sacra Congregatione dissertationem fecerat pro parte affirmativa. Nunc rogatus Congregationem Cardinalium, aliorumque congregationem specialiter deputavit, de cuius consilio indultum concedit.

Has tamen conditiones iniungit, *ut fructum medium sacrificii* tam regulares, quam saeculares presbyteri applicent pro omnibus animabus, non pro aliqua singulari;

Ut in Aragoniae regno, si erat mos accipiendi tres eleemosynas pro tribus missis, servetur adhuc; in aliis locis, ad quae indultum extenditur, una tantum eleemosyna eiusdem quantitatis, ut antea, accipiatur a presbyteris sub excommunicationis poena aliter facientibus; idque iubet, ut avaritiae suspicio amoveatur a clericis.

Reddit rationem, quare hoc indultum concedat;

I. Quia disciplina veteri tot missas celebrare licebat, qui mos die Natali Domini servatur;

II. Ut uniformitas ritus in omnibus regnis Hispaniarum, sub quae caditet Portugallia, habeatur;

III. Quia merita horum duorum regum id exposcentium sunt insignia in christianam rem.

Hoc decretum confirmat Pontifex constitutione. N. O.

D. apud S. M. Mai. die XXVI aug. P. a. IX, a D. 1748.

XLIV.

Altaria omnia in regnis Hispaniarum sint privilegiata in die commemorationis defunctorum.

INNOCENTIUS XI ad p. r. m.

Incipit *Romanus Pontifex, etc.* (1).

Indultum concessum pro regnis Hispaniarum, ut ad decennium omnes missae in die defunctorum censerentur dictae ad altaria privilegiata, extendit Pontifex ad omnia quaecumque dominia eiusdem regis Hispaniarum, ita eodem rege instante. N. O.

Hoc concessit toti christiano orbi Clemens XIII.

D. Romae apud s. Petrum die XX sept. P. a. III, a. D. 1679.

XLV.

Disquisitio, an sit satius, Pontificem s dentem sacram communionem recipere, an missam celebrare sedendo.

BENEDICTUS XIV Ignatio Reali apostolicarum caeremoniarum praefecto.

Incipit *Æstas anni, etc.* (2).

In aestate anni 1756, laborare coepit pedibus Pontifex ita, ut nec ambulare, nec stare posset, proinde cum non posset celebrare, communicabatur.

Indignum ratus Benedictus Pontificem numquam celebrare, perquisivit per se, aliorum opinionem exposcit, *num sit satius sacram communionem recipere Pontificem sedentem, an missam celebrare sedendo.*

Ut ordine inquisitio haec procedat, exponit quae concernunt receptionem sacramenti Eucharistiae, deinde de dicenda missa a sedente loquetur.

(1) B. M. p. 5. vel t. 11. p. 270. B. R. t. 8. p. 115. C. C.
(2) B. M. t. 19. in appendice altera editionis Venetae n. 3.

Docet D. Thomas, homines *ante legem didicisse interiori quopiam instinctu cultum in Deum;* postea exterioribus actibus instructos fuisse.

Lege mosaica abrogata, non quidem omnes ritus pertinentes ad missae sacrificium fuere instituti ab Apostolis; ordinem quendam stabilem fuisse ab iis praescriptum docet Apostolus, qui ad Corinthios scribens 1. c. 14. *omnia*, inquit, *secundum ordinem fiant in vobis.*

Jam, ut ad propositum veniatur, generales rubricae vetant in missis privatis sessionem; in solemnioribus permittunt ad kyrie, gloria, credo. Multi libri arcent a missa *ignominiosam sessionem;* et ad recitationem evangelii omnes praesentes venerabiliter, et curve adstare iubent.

Immo quidam theologi, inter quos Pasqualigus, docent minus irreverentiae afferri sacrificio, si quis ob defectum pedum paulisper recedat ab altari, quam si vel tantillum sedeat.

Sed cum prohibitio sedendi non lege naturae, nec Dei prohibita sit, sed sit positiva, quaerendum est, an Pontifex dispensare possit. Sunt enim quaedam, quae positiva cum sint, tamen Pontifex dispensare non potest: matrimonium inter fratrem, et sororem licet vetitum sit positivo praecepto, tamen nullo publico testimonio constat fuisse a Pontifice dispensatum; ita matrimonium in primo affinitatis gradu lineae rectae, docet Sylvius Pontificem dispensasse nunquam, licet id sit de iure positivo; ita dicatur de impedimento criminis, *alterutro machinante,* si sit crimen publicum; in his casibus non dispensatur, *non quia Pontifex non possit,* inquit Miglioruccius in suis canonicis institutionibus ad l. 2. tit. 14.

In sacrificio missae sessio cum sit positivi iuris, poterit a Pontifice dispensari; contra quam dispensationem nihil ponderis habebit quod dici potest, scandalum hinc enasciturum; sed si dabitur licentia celebrandi sedendo missam, dabitur cum conditione, ut nullus extraneus ad oratorium, in quo celebratur, accedat, sed tantum familiares.

Jam quaerit, his praemissis, Pontifex, an praestet sacerdotem etiam sedentem ad canonem celebrare, quam semper communicare more laicorum.

Qui putant bene concedi licentiam sedendo celebrandi, neque hanc esse rem plenam dedecoris, afferunt exemplum Apostolorum, qui *sedentes in caenaculo* acceperunt Spiritum S. Ubi Caietanus ait, *nihil indecens* in hac re fuisse: omnes porro auctores aiunt, valetudinem corporis, praecipue pedum, excusare a sessione in orando.

Praeterea si conatus omnis adhibetur, ut laicis adimantur impedimenta ad sacramenta suscipienda, cur non est aequum consulere sacerdotibus, quorum officium est celebrare, non valentibus ob debilitatem pedum celebrare, non quidem omnibus, *sed spectabilioribus* e clero, et praecipue Episcopis?

Parochis et sacerdotibus visu captis non omnino, datur licentia diebus festis celebrandi missam de b. Maria, diebus feriatis de requiem et omnino caeci non idcirco privantur facultate alia sacerdotalia peragendi, ut audiendi confessiones, immo non desunt exempla etiam caecis omnino datam fuisse celebrandi licentiam.

Ad haec, canones vetant *introire ad altare cum baculo*, *aut velato capite altari Dei assistere;* in Polonia tamen refert Vasquez t. 3. in 3. disp. 232. c. 4. etiam regulares ob frigus operto capite missam celebrare usque ad consecrationem; et Paulus V in quibusdam Orientis Ecclesiis, cum inibi res sit inurbana caput aperire, licentiam dedit totam missam celebrandi capite operto.

Etiam rationes excogitatae fuere, ut laicis facilior redderetur sacramentorum usus; ita data fuit licentia celebrandi in navibus (v. supra), porrigendi Ss. Eucharistiam pestilentia epidemica laboranti instrumento quodam proprio.

Si ergo excogitatur quomodo consulatur laicis in perceptione sacramentorum, presbyteris minoribus in sacrificio missae, cur consuli non debet Episcopis, et sacerdotibus maioribus in dignitate constitutis, ut celebrare possint? et si sessio sola potest id efficere, cum stare non possint, cur sessio iis non conceditur? praecipue cum praecipuum officium sit Episcopi offerre pro populo curae suae commisso, et pro se? quod docet D. Paulus ad Heb. c. 5. ver. 1. et seq. «*Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad*

Deum, ut offerat dona, et sacrificia pro peccatis.» Praeterea populus videns Episcopum suum, quo modo potest, etiam sedendo ex concessione Pontificis, celebrare; tantum abest, ut offendatur, quia potius aedificetur.

Ut res firmetur exemplis, Pontifex pervolutavit vetera monumenta, et invenit s. Lucianum martyrem in persecutione Maximiani, in carcere cum multis fidelibus detentum, in festo Epiphaniae in terram extensum et pectore, tamquam ara usum, sacrificasse; s. Eremicolam manibus diaconorum tamquam altari usum, et alios aliis modis usos.

S. Taratius Patriarcha Constantinopolitanus *pectore innixus mensae ligneae, quae ponebatur ante aram, sacrum faciebat.* S. Ivo, pedibus laborans, sustentatus hinc inde *per aliquos assistentes missam celebrabat.*

Sed propius Pontifex ad scopum accedit. Joannes Renna Venetus, primum Episcopus Algeriensis, deinde Pampilonis novae, multas gratias a Paulo III petiit; inter eas hanc quoque obtinuit, ut sedens in quadam sella ita facta, ut stare videretur, posset sacrificare; podagra enim laborans stare nullo modo poterat. Breve datum fuit a. 1538. Etiam Pius V an. 1566, concessit Francisco Cardinali Ferrerio, ut in domestico oratorio, praesentibus dumtaxat familiaribus, sedens missam celebraret, quoniam stare non poterat.

Quod si Pontifex licentiam hanc dare potuit aliis, cur ipse Pontifex sedendo Missam celebrare non poterit?

Honorius IV an. 1285 electus Pontifex, ut historici narrant, *quodam instrumento ligneo, quo insidebat,* faciebat sacrum.

De Pio II electo Pontifice an. 1458 legimus, cum suis *pedibus stare non posset, excogitata sunt ingenia, ut quasi sedens celebraret.*

Pius III an. 1503 Pontifex electus, quia nequibat stare, sedens fuit initiatus sacerdotio.

Praeterea in ceremoniali pontificali datur facultas Pontifici communicandi Cardinales sedendo; et si Pontifex electus est ordinandus, sedens ordines recipit.

His ita enarratis, praedicto ceremoniarum magistro dat Pontifex negotium praeparandi altare cum instrumento, super quo sedens Pontifex celebrari statuit.

D. Romae apud S. M. Mai. die XI oct. P. a. XVIII, a. D. 1757.

Affert pro coronide Bullam Pauli III, in qua Episcopo Pampilonensi dat facultatem sedendo celebrandi ob pedum infirmitatem.

D. in domo s. Crucis extra muros Nicen. die VI iunii P. a. IV, an. D. MDXXXVIII.

Et Bullam Pii V, qua permittit Cardinali Ferrerio sedentem celebrare.

D. Romae apud s. Marcum die XXVII sept. P. a. I, a. D. 1566.

XLVI.

Non ordinati celebrantes et confessiones audientes subiiciuntur Inquisitioni.

GREGORIUS XIII ad p. r. m.

Incipit *Officii nostri, etc.* (1).

I. Dubitabant quidam, an ii, qui, cum ordinati non sint, audent et missas dicere, et confessiones audire, spectent ad inquisitores fidei, necne?

II. Ut dubium hoc tollat Gregorius, statuit, hos pertinere ad inquisitores, et ab his puniendos esse.

III. Ita ab omnibus iudicari vult. N. O.

D. Romae apud s. Marcum die VI aug. P. a. III, a. D. 1574.

(1) B. M. t. 2. p. 415. B. R. t. 4. p. 3. p. 281. C. C.

II. Cum autem audisset, nonnullos confisos aetate, poenas in ea constitutione statutas parvipendere;

III. Decernit, eos qui vigesimum aetatis annum compleverint, non excusari ob aetatem, quominus poenae a Clemente statutae subiiciantur;

IV. Sit cuiuscumque conditionis clericus, aut laicus, cuiuscumque ordinis, et societatis.

V. Atque ita ab omnibus iudicari mandat. N. O.

VI. Et harum litterarum seriem vult locis solitis affigi.

D. Romae apud s. Petrum die XXIII martii, P. a. V, a. D. 1628.

XLIX.

De modo procedendi contra non promotos etc.

BENEDICTUS XIV ad p. r. m.

Incipit *Sacerdos in aeternum, etc.* (1).

I. Exponit initio statim Benedictus sacerdotalem dignitatem, quae non nisi per ordines acquiritur;

II. Tum quid statuerint Pontifices, si aliquis non ordinatus ausus fuerit celebrare.

III. Quia tamen ab his reis multa in sui defensionem solent adduci, nempe alium testem vidisse se parantem, alium vidisse ad altare euntem, alium audisse unam tantum missam, se non pronuntiasse verba consecrationis, quae omnia efficiunt, ut in longum ducantur processus;

IV. Ideo Pontifex in hac constitutione, ut has moras tollat, statuit, licet testes non possint dici satis probasse, ut hi rei dentur brachio saeculari, satis tamen esse, ut exponantur torturae, qua verum eliciatur;

V. Ut probetur, an reus sit sacerdos, satis esse scribere ad Ordinarium, utrum ab eo ordinatus sit, vel ab alio cum litteris Episcopi dioecesani dimissorialibus: et tunc reo incumbere, ut ostendat se esse ordinatum;

(1) B. M. t. 16. p. 196.

VI. Satis esse, ut reus subiiciatur statutis a praedecessoribus Pontificibus poenis, si partem aliquam dixerit, etiamsi verba consecrationis non protulerit.

VII. Jam quidquid hic statuitur contra celebrantes non promotos, statuitur etiam contra non promotos confessiones audientes.

VIII. Mitior tamen poena a iudice detur ei, qui absolutionem non pronuntiarit.

IX. Et sic ab omnibus iudicari praecipit. N. O. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud S. M. Mai. XII Kal. maii, P. a. IV, a. D. 1744.

L.

Quomodo sit procedendum in eos, qui statim crimen hoc, se celebrasse etc. confitentur.

BENEDICTUS XIV ad Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, etc.

Incipit *Quam grave, etc.* (1).

I. Repetit Pontifex, quae constitutiones editae fuerint a superioribus Pontificibus contra non ordinatos missam celebrantes, et quomodo rationes, quae ab his afferri solent, ne brachio saeculari tradantur, debeant confutari.

Praevident enim rei, licet, dum traduntur brachio saeculari, Ecclesia se piam matrem gerat, moneatque saecularem potestatem, ut mitius in eos agat, se mortem non evasuros. Hinc omnia tentant, ne tradantur.

II. Hanc Ecclesiae mansuetudinem recognoscere licet *in statuenda forma verbalis degradationis, quae realem degradationem praecedit.*

III. Formula habetur in Pontificali Romano et degradationis ordinatorum in maioribus ordinibus, excepto presbyteratu, et ordinatorum in minoribus tantum. Clerici ordinati in minoribus degradantur a solo Episcopo, diaconi, vel subdiaconi ab Episcopo cum assistentia aliorum.

(1) B. M. t. 9. p. 284

IV. Celebris est decretalis Bonifacii VIII in cap. *degradatio, de poenis in sexto; notae canonum* sanctiones, notum quod ait Tridentinum Concilium sess. 13. de refor. c. 4. ubi ait, si tot Episcopi haberi non possint ad degradationem, posse assumi Abbates, usum baculi, et mitrae habentes.

V. Eamdem mansuetudinem ostendit Ecclesia in degradatione reali; dum enim reum brachio saeculari tradit, ita ait, ut habetur in eodem Pontificali: *Domine iudex, rogamus vos cum omni affectu, quo possumus, ut amore Dei, pietatis, et misericordiae intuitu, et nostrorum interventu precaminum miserrimo huic nullum mortis, vel mutilationis periculum inferatis.*

VI. Iam ne quisquam audeat tam grave scelus admittere, in sacra Calcedonensi synodo statutum fuit, *ut interdictum sit clerico, atque lectori in alienam dioecesim commigrare, non praeoblentis suae ordinationis litteris, quas discessus* appellant, a proprio Episcopo, a quo discedunt, ad eum, in cuius parochiam migrant.

VII. Veteres canones id iubentes affert Pontifex, quibus consona est praxis hodierna, neque quisquam debet admitti ad sacrum faciendum in aliena dioecesi, nisi ostenderit suum discessum.

VIII. Ex quibus omnibus evincitur, Ecclesiam magnopere cavere, ne quisquam possit incidere in tam grave crimen.

IX. Eo etiam clementiae Ecclesia devenit, ut si quis non ordinatus celebraverit, et sponte ecclesiastico iudici se submittat, salutaribus poenitentiis punitus dimittatur, *nisi tamen in ipso constituto reus sit diminutus*, ut aiunt, hoc est, nisi prius aliunde iudex sciverit, eum celebrasse; tamen hic se ultro prodens in poenam mortis non incurrit, sed ad perpetuum carcerem, vel triremes damnatur.

X. Ut fuse exponeret haec, causam dedit Pontifici hoc: duo non ordinati celebrarunt missam; retenti fuerunt; vix ac interrogati sunt, cum suae retentionis caussam scirent, confessi sunt crimen suum. Natum est ergo dubium, utrum hi deberent brachio saeculari tradi, a quo essent afficiendi morte, an privilegio minorationis poenae gaudere deberent.

XI. Omnes censuerunt tradendos brachio saeculari; quidam tamen addiderunt, *attenta eorum prompta confessione*, considerandos esse tanquam sponte confessos, et damnandos ad triremes, vel ad perpetuum carcerem.

XII. Pontifex ad hanc mitiorem sententiam descendit, quia ita *sentit Cardinalis Albutius harum rerum optimus et expertissimus iudex*, tum quia exempla multa suppetunt, ita fieri in his casibus consuevisse.

XIII. Vult tamen Pontifex, ut hi perpetuo triremibus damnati extrahi inde non possint, praeterquam a Romano Pontifice.

XIV. Praeterea vult, ut quoties huiusmodi rei damnantur vel ad triremes, vel ad carcerem, sacrariorum custodes vocentur, et moneantur quantum curare debeant, ut sacerdotum in suis Ecclesiis celebrantium discessus cognoscant.

XV. Haec statuit Pontifex de iis sacerdotibus fictis, qui iam sunt in carcere retenti; nam de reis huiusmodi retinendis quid sit agendum hanc subsequentem edit constitutionem.

D. Romae apud S. M. Mai. die II aug. P. a. XVII, a. D. 1757.

LI.

Confessio facta in primo interrogatorio a reo, se celebrasse, etc. non suffragetur illi ad evadendam sententiam traditionis brachio saeculari.

BENEDICTUS XIV ad p. r. m. M. P.

Incipit *Divinarum humanarumque, etc.* (1).

Cum haec lenitas sit incitamento potius ad peccandum in re hac, et multi damnati triremibus, vel carceri inde evadant, haec de cetero observanda Pontifex statuit;

I. Post tres menses a die publicationis huius decreti nulli, etiamsi confiteatur in primo interrogatorio crimen suum, dandam esse poenae

(1) B. M. t. 19. p. 286.

minorationem, sed, si sit clericus, *praevia degradatione tradendum esse brachio saeculari, capitali poena puniendum.*

II. Sic, ab omnibus iudicibus observari mandat. N. O. *Nulli ergo etc.*

D. Romae apud S. M. Mai. IV non. aug. P. a. XVII, a. D. 1757.

LII.

In diebus dominicis, in quibus non est praefatio propria, dicatur praefatio de Ss. Trinitate.

CLEMENS XIII. Decretum.

Incipit *Sanctissimus Dominus, etc.* (1).

Cum soleat Ecclesia diebus dominicis recitare symbolum *Quicumque* ad Primam, ut mysteria Ss. Trinitatis, et Incarnationis haereant infixa in animis hominum, aequum censet Clemens iubere,

Ut in omnibus diebus dominicis, in quibus non sit praefatio alicuius solemnitatis propria, dicatur praefatio de Ss. Trinitate ab omnibus sacerdotibus saecularibus et regularibus.

D. Romae die III ian. a. D. 1759.

(1) In folio separato.

DE RE DISCIPLINARI

I.

Responsio ad quaedam quaesita Episcopi Narbonensis.

LEO I Rustico Narbonensi Episcopo.

Incipit *Epistolas fraternitatis*, *etc.* (1).

Multa ad disciplinam spectantia continet haec epistola. Primum dehortatur Leo Rusticum Narbonensem Episcopum, ne victus quorumdam impiorum scandalis velit Ecclesiam suam deserere, et in solitudinem fugere; iam enim debuisse eum, antequam episcopale onus susciperet, haec praevidere; esse opus constantia; faciat quod sui muneris est, neque animis cadat; cum Christo esse patiendum, ut cum Christo regnetur.

Tum propositis ab Episcopo quaesitis respondet; non esse considerandos Episcopos, qui ex clero non fuerint assumpti, nec requisiti a populo, nec consecrati a Metropolitano cum provincialibus fratribus;

Presbyteris, et Diaconis ad satisfactionem delicti non esse satis manus impositionem; *poenitentia sit digna et fructuosa;*

De matrimonio clericorum idem sentiendum, quod de matrimonio Episcoporum; cum sunt laici, uxores ducere possunt; *si ad eos gradus pervenerint, coepit eis non licere quod licuit*;

Eam esse concubinam, *in qua non docetur nuptiale mysterium fuisse; quam a thoro abiicere, et uxorem certae ingenuitatis accipere, non est duplicatio coniugii, sed profectus honestatis;*

Cum quibus viventibus non fuit communicatum, ne cum mortuis quidem communicandum.

Poenitentia, quae dilata est, si studiosius petita fuerit, non negetur.

Episcopus sibi debita debet reposcere, *propria perfectionis amore contemnere.*

(1) B. R. t. 1. p. 27. & C.

Qualitas lucri negotiantem aut excusat, aut arguit; datur enim quaestus honestus, et quaestus turpis.

Monachus proprio arbitrio susceptum propositum deserere sine peccato non potest.

Puella, etiamsi consecratio non accesserit, *spontaneo iudicio propositum, atque habitum virginitatis suscipiens, si postea nuptias eligat, praevaricatur.*

Illi, de quorum baptismo nemo potest fidem facere, sunt baptizandi; non autem ii, quos certum est fuisse ablutos baptismate, sed a quo homine, et cuius fidei fuerit baptizans, non constat.

Qui solum gentilium convivio interfuerunt, et idolothytis usi sunt, per ieiunia, et manus impositionem possunt purgari; at si idola adoraverint, poenitentiam publicam faciant. a. 443 vel 444.

II.

De bonis Ecclesiae; de raptoribus virginum; de electione Episcoporum.

SYMMACHUS Caesario.

Incipit *Hortatur nos, etc.* (1).

Postulationibus Caesarii respondet Pontifex:

I. Possessiones Ecclesiae alienare quibuslibet titulis, atque distractionibus non licet; *nisi forte aut clericorum meritis, aut monasterii religionis intuitu, aut certe peregrinis, si necessitas largiri suaserit.*

II. *Hi, qui non gratia Dei, sed promissione rerum Ecclesiasticarum praemissa, ad sacerdotium conantur accedere, arceantur.*

III. Raptores viduarum, vel virginum, et eas invitas, vel volentes sociarunt sibi, sunt a communione fidelium suspendendi.

IV. Virgines, quae per annos plures in monasteriis fuerunt, viduae, quae in religioso proposito diu permanserunt, nubere prohibentur.

(1) Ib. p. 76. C. C.

V. Nullus eligatur in Episcopum per ambitum; si quis, *data pecunia* Episcopatum desiderat, et potentes personas ad suffragandum adhibeat, non habeat nec clericos, nec cives, qui subscribant; sed repellatur.

D. VIII. Id. feb. Probo V. C. Coss. a. 502.

III.

Solutio quorumdam dubiorum propositorum ab Archiepiscopo Laureacensi.

LEO VII Gerardo Archiepiscopo Laureacensi.

Incipit *Si instituta, etc.* (1).

Si, ut tradita fuerunt ab Apostolis, quisque vellet instituta Ecclesiastica servare, nulla esset rituum diversitas in Ecclesia, inquit Pontifex Gerardo Archiepiscopo Laureacensi, qui a Leone petierat quaedam dubia solvenda; ideo porro scandala inter populum oriuntur, quia quisque Episcopus magis saecularibus rebus intentus est, quam divinis.

Haec autem sunt dubia, quae Episcopus, *qui causa orationis ad limina venerat Apostolorum*, proposuit Pontifici:

I. *De auguratoribus, et incantatricibus, et maleficio vario modo mortificatis a populo si aliqua poenitentia debeat exigi?* Respondet Pontifex, vetus ac novum Testamentum docere quid agendum sit. In lege Mosaica scriptum est *maleficos non patiaris vivere; Saul omnes Pythonissas de terra exterminavit.* Docemur a divo Paulo 1. Thessal. 5. *non posuit nos Deus ad iram, sed in acquisitione salutis.* Debemus ergo curare eos trahere ad salutem, hoc est ad poenitentiam potius quam gladio saeculari eos trahere. Quod si ad poenitentiam redire nolint, *legum exerceatur auctoritas, et erit dictator immunis.*

II. An Episcopi debeant dicere *pax vobis, an Dominus vobiscum?* In Ecclesia Romana aliarum Ecclesiarum magistra *in dominicis diebus, et praecipuis festivitatibus, et Ss. Natalitiis dicitur Gloria in excelsis Deo,*

(1) Ib. p. 246 C. C.

et pax vobis. In quadragesima, in quatuor temporibus, in vigiliis Ss. et ieiuniis, Dominus vobiscum tantum.

III. An *Dominica oratio in benedictione ciborum debeat usitari? non oportet. Apostoli eam decantabant tantum in sanctificatione Corporis, et Sanguinis Christi.*

IV. *Interrogavit etiam de eo*, qui in coniugium ducit matrem, aut filiam spiritualem. Pontifex respondet in canonibus Zachariae ita haberi, *ut presbytera, diacona, monacha, vel etiam spirituali commatre, aut spirituali filia nullus utatur.* Utens sit excommunicatus.

V. Interrogavit de presbyteris uxorem ducentibus. Concilium Nicaenum hoc vetat, in Neocaesariensi synodo dicitur, *presbyter, si uxorem acceperit, deponatur. Filius tamen non portabit iniquitatem patris; et in baptismate omnia deponuntur peccata.*

VI. An Chorepiscopi Ecclesias possint consecrare, ordinare presbyteros, consignare chrismate, imponere manus? canones id vetant. In Concilio Antiocheno ita habetur: Chorepiscopi *in vicis et possessionibus gubernent Ecclesias subiectas, ordinent lectores, subdiaconos, atque exorcistas, nec presbyterum, nec diaconum audeant ordinare.*

VII. *Si vir, et mulier tertio, vel quarto gradu consanguinitatis* inscie coniuncti, *postea* compuncti, *consistentes se sacerdoti eleemosynarum largitione, et bonorum operum exhibitione purgentur, quid agendum? In Conciliis Gregorii, et Zachariae habetur, quod nullus sacerdos eis tribuat communionem; et si inclinati, divisique fuerint ab illicita copula, poenitentiae submittantur, ut sacerdos loci consideraverit.*

VIII. *Devastatores Ecclesiarum Episcopus arguat, increpet, obsecret cum omni imperio*, ut ait Paulus ad Timotheum.

Haec omnia nota vult esse Episcopis Pontifex, ut possint abusus, qui irrepserunt in suas Dioeceses, pellere.

Certiores eos facit, Archiepiscopum Laureacensem a se deputatum esse Vicarium Sedis Apostolicae, ac proinde ei parendum esse;

Ad Eberardum Ducem Bavariae se scripsisse, ut Gerardum adiuvet ad restituendam eam Ecclesiam in pristinum splendorem. a. 939.

IV.

Multa ad disciplinam spectantia.

NICOLAUS II Episcopis, cunctoque clero, et populo.

Incipit *Vigilantia universalis, etc.* (1).

Canones hi numero tredecim editi fuere in synodo Romana *coram centum tredecim Episcopis.*

I. *Electio Romani Pontificis in potestate Cardinalium Episcoporum sit, ita ut si quis sine concordi, et canonica electione eorum, ac deinde sequentium Ordinum religiosorum, clericorum, et laicorum consensu inthronizatur, is non sit Papa Apostolicus, sed Apostaticus.*

II. Mortui vel Pontificis, vel Episcopi alicuius urbis nullus facultates invadat, *sed successoribus reserventur integrae.*

III. *Nullus audiat missam presbyteri, quem indubitanter scit habere concubinam.* Clericus autem eam habens *neque missam cantet, neque evangelium, vel epistolam ad missam legat.*

IV. Clerici casti *iuxta Ecclesias, quibus ordinati sunt, simul manducent, et dormiant, et quidquid eis ab Ecclesiis venit, communiter habeant.*

V. Decimae, et primitiae, seu oblationes vivorum, *et mortuorum persolvantur Ecclesiis a laicis, sintque* in manu Episcopi; non persolventes separentur a communione Ecclesiae.

VI. Nullus clericus *per laicum nec pretio, nec gratis obtineat Ecclesiam.*

VII. Nullus fiat monachus *promissionem habens,* ut abbas fiat.

VIII. Nullus presbyter duas Ecclesias simul obtineat.

IX. Per simoniacam labem nullus promoveatur ad ordines.

X. *Cuiuslibet ordinis clericos laici non iudicent.*

XI. Nemo ducat in matrimonium uxorem *de consanguinitate sua usque ad septimam generationem, vel quousque parentela cognosci poterit.*

XII. Laicus uxorem, et concubinam simul habens, *non communicet Ecclesiae.*

(1) Ib. p. 407. C. C.

XIII. Nullus laicus repente promoveatur ad ordines, *sed longa conversatione inter clericos probetur.*

Hortatur Pontifex omnes ad horum decretorum observantiam. a. 1060.

V.

Approbatio praedictorum decretorum a concilio facta.

ALEXANDER II omnibus Episcopis, cunctoque clero, et populo.

Incipit *Vigilantia universalis, etc.* (1).

Praedicta capitula in concilio Romano I, habito ab hoc Pontifice, iterum approbantur, et iterum eduntur, eorumque observatio inculcatur omnibus. a. 1063.

VI.

De electione presbyterorum, de filiis presbyterorum, de monachis, qui cum monialibus in iisdem sunt monasteriis, separandis.

PASCHALIS II Didaco Compostellano Episcopo.

Incipit *Ecclesia, quam, etc.* (2).

Postquam monuit Pontifex Compostellanum Episcopum ad Ecclesiam suam attentius regendam, haec ad disciplinam attinentia praescribit:

I. Ut in Ecclesiis non constituantur presbyteri, aut diaconi cardinales, nisi viri probi, qui commissa sibi munera recte exerceant;

II. Ut quisque adimpleat munera suo tantum ordini convenientia;

III. Ut non repellantur a laicali, vel Ecclesiastica dignitate ii filii presbyterorum, qui nati sunt ex matrimonio a suis parentibus inito *ante romanae legis susceptionem*;

(1) B. R. t. 2. p. 5. C. C.

(2) B. M. p. 3. vel t. 9 p. 8.

IV. Ut tollatur consuetudo *per illam regionem Compostellanam, qua monachi cum sanctimonialibus habitant, ut qui impraesentiarum simul sunt, dissitis longe habitaculis separentur, prout arbitrio, et religiosorum virorum consilio melius visum fuerit.*

Datum Laterani Incarnationis dominicae anno millesimo centesimo tertio, pontificatus quarto.

VII.

Quaedam caussae cognoscendae mandantur Episcopo Parisiensi; de clericis concubinariis, de Episcopis eos non punientibus.

GREGORIUS VII Josfredo Episcopo Parisiensi.

Incipit *Vir iste, etc.* (1).

Ad disciplinam attinentia non pauca continet haec constitutio.

I. Rhemensis Archiepiscopus quendam Walterum de Duaro excommunicaverat. Romam petiit; Pontifex ei ex gratia indulsit, ut posset communicare in eundo, et redeundo, et Ss. Eucharistiam Romae sumere. Eius caussam cognoscendam, utrum sit iniusta, an iusta, committit Parisiensi Episcopo. Si est innocens, debet absolvi a Rhemensi Episcopo; eius enim est absolvere excommunicationem, qui inflixit; si recusat Rhemensis, absolvatur a Parisiensi; si est reus, satisfaciat Archiepiscopo.

II. Idem Archiepiscopus damnaverat etiam quendam canonicum de eodem loco Duaro. Huius quoque caussam committit eidem examinandam, inventumque innocentem *in capitulo fratrum in claustrali disciplina correctum, in societatem fratrum ad proprium locum cum charitate recipi faciat.*

III. Idem Archiepiscopus duos monachos monasterii s. Remigii excommunicaverat, quia parere nolebant *cuidam extraneo abbati interventu pecuniae, et contra regulam s. Benedicti* eidem monasterio proposito. Hanc quoque caussam ei demandat, monacos innocentes absolvat, si Rhemensis Archiepiscopus nolit.

(1) Ib. p. 42. C. C.

IV. Etiam abbatis electionem examinet, et de consilio Episcopi Diensis ad congregatam synodum abbas invitetur, cogaturque reddere rationem de suo introitu; vel si habenda non est synodus, eam reddat coram Vicario Apostolico, et aliis legatis apostolicis.

V. Cameracenses quendam *flammis tradiderant*, eo quod dixerat, clericos simoniacos, et concubinarios missam celebrare non posse, *et eorum officium suscipi non debere*. Jubet Episcopum inquirere factum, et auctores facti, et complices arceri a communione fidelium.

VI. De his omnibus quid egerit Episcopus, vult Pontifex certiorem se fieri.

VII. Eum monet, ut clericos concubinarios ab altari repellat; et si noverit aliquos Episcopos tepidos in coercendo hoc crimine, interdicat populo, *ne eorum officium suscipiat.*

VIII. Hortatur demum Episcopum, ut in his mandatis navum se praéstet ministrum.

D. Bibianello VIII kal. apr. indict. XV, a. 1077.

VIII.

Solutio quarundam quaestionum.

URBANUS VIII Tullensi Episcopo.

Incipit *Super quaestionibus, etc.* (1).

Quibusdam quaestionibus a Tullensi Episcopo Pontifici propositis ita respondet Urbanus de consilio synodi:

I. Omnia beneficia suae Ecclesiae Episcopus gratis conferre debet; si pretium exigit, deponatur.

II. Subdiaconi, *qui uxoribus vacaverint, non promoveantur ad alios ordines.*

III. Filii presbyterorum arceantur ab altari, nisi in coenobiis, et canonicis versentur.

Qui fecerunt irritam professionis suae fidem, et post subdiaconatus acceptationem uxorem sumpserint, interdicitur penitus officium, et coniugium.

(1) Ib. p. 166. C. C.

IV. Ordinati ab Episcopis excommunicatis, modo simoniace ordinati non sint, et eorum religiosa vita resplendeat et doctrina fulgeat, imposita iis, factaque congrua poenitentia, in ordinibus maneant. Ad altiores ordines promoveantur, *cum solum necessitas, vel utilitas maxima flagitaverit Ecclesiae. Hoc tamen rarius, et cum cautela est praecipua concedendum.*

V. Episcopi, et clerici simoniaci arceantur omnino ab officio. Si hi vel illi Ecclesias aedificarint, in ipsis non oretur, *nisi, subversis altaribus, benedictione et consecratione catholici Antistitis consecrentur.*

VI. Ordinati sine titulis (*licet haec ordinatio Ss. canonum sanctioni sit contraria*) an sint promovendi, an non, Episcopi libertati, et prudentiae relinquitur.

VII. Bigami, viduarum mariti arcendi omnino ab ordinibus.

IX.

Malarum consuetudinum correctio.

ALEXANDER III Upsallensi Archiepiscopo, et suffraganeis eius tam in Svetia, quam in Gothia constitutis.

Incipit *Constituti a Domino, etc.* (1).

Multa contra ecclesiasticam disciplinam in Svetiam, et in Gothiam consuetudines introductas mandat Alexander in iis partibus constitutis Episcopis tollendas:

I. *Insolentiam laicorum* conferendi Ecclesias *sive per pecuniam, sive per gratiam, sive per odium;*

II. Negligentiam Episcoporum, et horum laicorum in examinandis, qui ad eas partes veniunt clericali habitu; multi enim fuere inventi monachi fugitivi, multi homicidae, multi censuris irretiti.

III. Clerici vel trahuntur a laicis ad iudicia laicalia, vel ipsi laicos ad forum saeculare trahunt; hoc corrigendum, utpote contra sacros canones gestum.

(1) Ib p 511. C. C.

IV. Clerici passim in eo regno caedebantur.

Jam singillatim horum abusuum ostendit Pontifex gravitatem.

I. Exponit poenas sancitas contra laicos dantes, et clericos a laicis accipientes investituras; gravitatem simoniae;

II. Conciliorum Chalcedonensis, et Carthaginensis decreta de non admittendo clerico alieno, *nisi concedente eius Episcopo;*

III. Leges imperiales, *quae tanquam canones, ubi canonibus non obviant, sunt observandae*; Gelasii, et Alexandri decreta de non trahendis clericis ad iudices saeculares.

Quaedam attingit *de ferventis aquae, vel candentis ferri iudicio* Pontifex *et de duello, quod monomachia* dicitur; quae iudicia *contra Episcopum non admittit Ecclesia.*

Monet Episcopos, ut hortentur fideles ad persolvendas decimas, et si ii nolint, etiam per censuras cogant.

Mandat, ne permittant res Ecclesiis vel monasteriis legatas et oblatas rursus revocari, aut non persolvi.

IV. *In clericos violentas manus, nisi forte se defendentes, iniicientes poenam excommunicationis incurrere sacrosancta Romana statuit Ecclesia;* a qua poena nisi a Romano Pontifice, vel de mandato eius non possunt absolvi.

Hortatur demum Episcopos, ut has consuetudines malas tollant, neque a decretis Ecclesiae ipsi discedant, et alios discedere patiantur.

Datum Tuscul. IV idus septembris, an. 1170.

X.

Iubetur executio decretorum Lateranensis synodi.

LUCIUS III Guillelmo Pictaviensi Episcopo.

Incipit *Cum sit, etc.* (1).

Iniquo fert animo Lucius decreta in Lateranensi synodo statuta in Pictaviensi Ecclesia non observari. Quare mandat Episcopo, ut ea observari faciat.

(1) B. M. p. 3. vel t. 9. p. 29. B. R. t. 3. p. 1. p. 9. C. C.

I. Abbates, et priores promittebant beneficia, antequam vacarent. Has promissiones Pontifex irritat.

II. Terminum sex mensium in praesentatione ad beneficia habentes ius praesentandi transgrediebantur. Iubetur Episcopus ipse nominare idoneas personas, si per sex menses vacaverit Ecclesia.

III. Corrigat, et etiam removeat Episcopus abbatissas, et superiorissas domorum monalium negligentes in promovenda monastica disciplina; *salvis Ecclesiis, quae nullo mediante Romano Pontifici sunt subiectae.*

IV. Ad Ecclesias promoveat tantum idoneas personas.

V. Pluralitatem tollat beneficiorum, nec aliquis ad beneficium promoveatur, nisi renuntiarit, quod habet.

VI. *Nulli ergo, etc. Si quis, etc.*

Datum Veronae III idus martii, a. 1182.

XI.

Hortatio ad Anglos Episcopos, ut aboleant torneamenta.

COELESTINUS III ad Episcopos Angliae.

Incipit *Cum ad propulsandam, etc.* (1).

Amissionem Terrae Sanctae, et incassum tentatam recuperationem adscribit Pontifex odiis, quae in christiano exercitu pullularunt, et pravis paganorum consuetudinibus, quas christiani ab illis didicerunt.

Similes certe calamitates expertus est a Domino populus Israel, quia abierunt *in desiderium gentium*, quarum erant finitimi.

Inter has damnandas consuetudines sunt torneamenta; ad quae evitanda mandat Pontifex Angliae praelatis, ut populum hortentur.

Quod si aliquis obedire recusaverit, per ecclesiasticas censuras eum coerceant.

D. R. apud s. Petrum III. id. ian. P. a. II, a. 1193.

(1) R. R. t. 3 p. 50. C. C.

XII.

Absolventes excommunicatos ab aliis sint excommunicati.

COELESTINUS III Rothomagensi Archiepiscopo.

Incipit *Eos, qui, etc.* (1).

Quidam religiosi, et alii etiam audebant ad communionem admittere, quos Archiepiscopus excommunicaverat;

Qui quaesivit a Pontifice quid esset sibi agendum?

Respondet Pontifex, ut publice excommunicet eos, qui ita audent agere.

Nulli ergo, etc. Si quis, etc.

D. Laterani idib. ian. Pont. an. V, a. 1195.

XIII.

Vetat morem vendendi christianos Martinus.

MARTINUS V ad p. r. m.

Incipit *Pastoralis sollicitudinis, etc.* (2).

Pravum morem vendendi christianos utriusque sexus Zichis, Rossis, Alanis, Mingrellis, etiamsi vetitus a pluribus Pontificibus fuerit, reprehendit, et inhibet quibuscumque Martinus.

Inobedientes vult excommunicationem incurrere, a qua liberari non possint, nisi proprio aere redemerint venditos, si redimi possint; si non possint, insumant quantum attulerint detrimenti venditis in hospitalia, in fabricam Ecclesiarum, etc.

Monet Episcopus, ut haec publicent, moneatque duces, marchiones, principes, ut haec observari faciant.

Nulli ergo, etc. Si quis, etc.

D. Romae apud Ss. Apostolos III non. apr. P. a. VIII, a. D. 1425.

(1) B. R. t. 3. p. 1. p. 60. C. C.

(2) B. R. t. 3. p. 2. p. 454. C. C.

XIV.

In vendentes christianos Turcis.

CALLIXTUS III ad f. r. m.

Incipit *Illud repulantes, etc.* (1).

Excommunicat Callixtus eos, qui bona christianorum in partibus orientalibus diripiunt, et ipsos christianos Turcis vendunt.

Hortatur Ordinarios locorum, et principes, ut hos homines puniant; Contra vero, qui eos in snas naves receptarint, ut inde eos deducant illis elargitur Pontifex tertiam partem suorum peccatorum, quorum se corde, et vere poenituerint. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud S. M. Maior. cal. oct. P. a. II, a. D. 1456.

XV.

Reformatio Praelatorum, clericorum abusuum etc.

LEO X ad p. r. m. sacro approbante Concilio.

Incipit *Supernae dispositioni, etc.* (2).

Ut omnes de Ecclesia detrahendi causas avertat Pontifex, qnod proposuerat Julius II de reformatione Praelatorum, perficit Leo.

Quoniam autem multum quorundam in Episcopos electio offendebat bonos, incipit a reformatione Episcoporum.

1. Non promoveantur ergo ad episcopatum *nisi aetate matura, gravitate morum*, litterarumque scientia praediti, et non ad alicuius instantiam, sed ad utilitatem Ecclesiarum;

2. Neque Episcopi debent esse minores annis XXVII et Praelati monasteriorum XXXII.

3. Circa promovendum Episcopum, Cardinalis, cui demandata fuit, nominatio in concistorio cum tribus aliis Cardinalibus examinet, inve–

(1) B. R. t. 3. p. 3. p. 78. C. C.

(2) B. M. t. 1. p. 543. B. R. t. 3. p. 3. p. 395. C. C. B. M. p. 4. vel t. 10. p. 29.

stiget, et quaerat testes idoneos, processusque faciat de vita, et moribus eligendi in Episcopum.

4. Promotus Episcopus visitet Cardinales, qui praesentes in curia fuerint.

5. Et Episcopus, et abbas possint habere patronos, qui eos defendant a criminibus afflictis.

6. Nullus Praelatus invitus transferatur ad aliam Ecclesiam.

7. Monasteria data in commendas, quae plerumque commendatariorum incuria labuntur, vix privata abbate sunt, alium, qui subintret, habeant.

8. Commendatarii monasteriorum, si mensa eorum sit separata a conventuali mensa, quartam partem erogent in restaurationem monasteriorum; si non sit separata, tertia pars insumatur pro eleemosynis etc.

9. Vetat super Ecclesiis episcopalibus reservari pensiones; namque id pauperibus, et Ecclesiae subtrahitur.

10. Ecclesiae xenodochia, habentia fructum ducatorum ducentorum auri de camera non commendentur Cardinalibus, nisi ut ea familiaribus suis distribuant.

11. Ecclesiarum, militiarum, monasteriorum membra a suo capite non separentur.

12. Uniones perpetuae beneficiorum, nisi urgente de causa, ne fiant.

13. Beneficia duo incompatibilia ne uniantur in una persona, nisi ex magna, et urgente causa.

14. Jubetur vita bona, et honesta conversatio Cardinalibus.

15. Cardinales non habeant Episcopos domi suae, qui negotia domus conficiant.

16. Absque personarum acceptatione omnia agant cum Pontifice ad Ecclesiae decus, et utilitatem.

17. Titulorum suorum loca, et personas, si sint in curia, per se visitent; si extra curiam, per suum vicarium.

18. Consanguineis suis opem ferant, sed ita ut omnino pauperes non derelinquant.

19. In suis commendis vicarios, et religiosos habeant, qui animarum saluti consulant.

20. De aedificiis quoque commendarum curam gerant.

21. Circa familiares, equos, etc. magnam curam adhibeant, ne modum superent.

22. Sacerdotes Cardinalibus inservientes modesti sint, et decenter iuxta ordinem suum induantur.

23. Hoc etiam Pontifex agat.

24. Cardinalium praecipua cura sit fidei incrementum.

25. Gubernatores provinciarum per se provincias gubernent, non per alios, sic certo scient quibus in rebus provinciae indigeant correctione, et remedio.

26. Cardinales sint in curia, et si non sunt, qui sunt in Italia infra quatuor menses, qui extra, infra annum Romam se conferant ad nutum Pontificis.

27. Expensa pro funeribus Cardinalium non exsuperet summam centum et quinquaginta florenorum.

28. Nullus Cardinalis possit dicere vota sua data in concistorio.

29. Pontifex etiam in hoc silentium observet.

30. Magistri pueros suos doceant, quae ad religionem spectant, praeter ea quae pertinent ad eruditionem.

31. Vetantur blasphemiae in Deum, Mariam, et Sanctos, poenaeque sanciuntur.

32. Clerici incontinentes iuxta canones puniantur.

33. Si quis clericus, vel laicus peccaverit peccatum, propter quod venit ira Dei, iuxta rigorem canonum plectatur.

34. Innovantur poenae iam latae in simoniacos.

35. Concubinari itidem coerceantur.

36. Habens beneficium cum cura, et sine cura, si per sex menses officium non recitaverit, impedimento quolibet remoto, non percipiat fructus pro rata portione omissionis.

37. Vetantur principes, eorumque ministri in fructibus beneficiorum se immiscere sub poenis etc.

38. Itidem poenae innovantur contra violantes libertatem ecclesiasticam.

39. Et contra maleficos.

40. Facultas datur perquirendi, et puniendi haereticos.

41. Et haec constitutio obligat omnes ad observantiam horum capitum.

43. Post duos menses a publicatione omnes tenentur his parere, caveantque omnes haec interpretari. N. O. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae in publica sessione in sacrosancta Lateranensi Basilica habita III non. maii, P. a. II, a. D. 1513.

XVI.

Nemo ad praedicandum admittatur, quin fuerit examinatus; et quae, et quomodo praedicanda.

LEO X ad p. r. m. sacro approbante Concilio.

Incipit *Supernae Maiestatis, etc.* (1).

Vel per inscitiam, aut negligentiam praedicatorum verbi Dei nonnulli quaedam dicebant pias aures offendentia, nonnulla etiam, quae dubia gravia excitabant, iactantes *se illa ab infusione Spiritus Sancti habere.*

Praecipit itaque Pontifex, ne quisquam ad praedicationis munus admittatur, quin prius examinetur, et approbetur.

Neque quidquam *aliud praedicet, nisi evangelicam veritatem, et sacram scripturam iuxta declarationem, et interpretationem doctorum, quos vel usus diuturnus vel Ecclesia approbavit.*

Neque futura praedicet, aut vaticinia iactet.

Quod si cuipiam eorum Deus inspiratione divina aliquid revelarit, *notificetur Ordinario loci, ut ille adhibitis tribus, aut quatuor doctis viris, huiusmodi negotio cum iis examinato*, quando id expedire videbitur, praedicandi licentiam dabit, neque id unquam praedicet orator, nisi hoc examen prius sit factum. N. O. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae in publica sessione in Lateranensi sacrosancta Basilica solemniter habita XIV kal. iun. P. a. IV. a. D. 1516.

(1) Ib. p. 879. Ib. p. 447. C C.

XVII.

Vetantur excommunicationes s. Eleutherii.

PAULUS III. M. P.

Incipit *Licet nuper, etc.* (1).

Inhibuerat Pontifex publicari, et concedi excommunicationes s. Eleutherii appellatas.

Cardinalis Guidicionus Episcopus Sipontinus destitit; at praepositus s. Eleutherii parere nolebat.

Pontifex ergo declarat, eas excommunicationes esse nullius valoris, et praepositum, eiusque successores, si eas adhibebunt, et publicabunt, anathemate percellit.

Auditori Camerae demandatur, ut publicatio et executio huius fiat. P. et ita M. P. M. a. D. 1541.

XVIII.

In scribentes libellos d'Avvisi.

PIUS V ad p. r. m. M. P.

Incipit *Romani Pontificis*, *etc.* (2).

Contra scribentes libellos famosos, et litteras nuncupatas *d'Avvisi*, easque invenientes, nec lacerantes, antiquitus statutas poenas renovat Pius.

Et novas etiam addit, nempe confiscationem bonorum, et etiam ultimum supplicium *iuxta qualitatem facti, et personae aut laceratae, aut derisae, aut revelati secreti.* N. O. F. M. P. I.

D. Romae apud s. Petrum XVI kal. aug. P. a. VII, a. D. 1572.

(1) Ib. p. 748. B. R. t. 4. p. 1. p. 191. C. C.
(2) B. M. t. 2. p. 382. B. R. t. 4. p. 3. p. 196. C. C.

XIX.

Contra famigeratores dictos Menantes.

GREGORIUS XIII ad p. r. m.

Iucipit *Ea est*, *etc.* (1).

Scribebantur facta, infectaque Romae, qnaelibet negotia decidebantnr, quaelibet personae cuiuscumque gradus exponebantur risui, fama cuiuscumque per quosdam venales scriptores lacerabatur, commentarii libri fiebant, in quibus exponebantur acta, et agenda fingebantur.

Illis, qui haec scripta faciunt et spargunt in vnlgus, poenas denuntiat Gregorius, notae ignominiae, damnationis ad triremes, vel ad tempus, vel perpetuo.

Quibus poenis subiacebit, qui retinebit hos liberculos, qui sciverit auctorem, et gnbernatori non denuntiabit. N. O. *Nulli ergo, etc.*

Hi famigeratores appellantur *Menantes.*

D. Romae apud s. Petrum kal. sept. P. a. I, a. D. 1572.

XX.

Damnatio duellorum.

IULIUS II ad p. r. m. M. P.

Incipit *Regis Pontifici*, *etc.* (2).

Ad qnamlibet levem ininriam tempore Iulii *fiebant diffidationes*, *et diffidati* ibant ad aliqnem marchionem, aut comitem, qui illis assignabat locum tutum.

Morem hunc damnatum iam a Deo, qui solus est auctor vitae et mortis, damnatum a natura, quae inbet conservationem sui, damnatum alias a summis Pontificibus, et a principibus, in quorum potestate secundum Deum est hominum vita, tollere volens Pontifex, decernit,

(1) Ib. p. 390. Ib. p. 234. C. C.

(2) B. M. t. 1. p. 498. B. R. t. 3. p. 3. p 309 C. C.

huiusmodi duellantes incurrere poenam excommunicationis ipso facto.

Et vult, iudices in huiusmodi homines inquirere, ut in homicidas, si occiderint hostem, vel ut in vulneratores, si vulneraverint;

Et eadem poena erunt puniendi, qui locum tutum ad pugnandum praebuerint. N. O. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud s. Petrum VI kal. martii, P. a. VI, a. D. 1509.

XXI.

Confirmatio damnationis praedictae.

LEO X ad p. r. m.

Incipit *Quam Deo, etc.* (1).

Haec Leonis Bulla est confirmatoria Bullae Iulii II, et praeter poena in ea enuntiatas, Leo vult, memoriam duellantium esse infamem, bona proscripta et confiscata;

Nobiles, comites duellum in suis castris, et terris permittentes cadere dominiis, et iuribus, quae possident.

Nobiles duellum spectantes solvant summam ducatorum quingentorum homines mediocris fortunae centum; ignobiles vigintiquinque, et etiam in poenam excommunicationis incidant.

Executores Bullae deputantur Cardinalis Camerarius, et clerici Camerae. N. O. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud s. Petrum X kal. aug. P. a. VII, a. D. 1519.

XXII.

Nova confirmatio.

PIUS IV ad p. r. m.

Incipit *Ea, quae, etc.* (2).

Confirmativa est haec Pii Bulla aliarum superiorum Pontificium Bullarum contra duellantes.

(1) Ib. p. 596. Ib. p. 467. C. C.
(2) B. M. t. 2 p. 33. B. R. t. 4 p. 2 p. 84. C. C.

Pius autem poenas indictas in aliis Bullis extendit *tam ad pugiles taliter pugnantes, quam ad eos ad id tentantes, et procurantes, seu campum ad pugnandum dantes, seu concedentes, ac in illis adstantes et interessantes et certantes, comitivam praestantes, nec non chartas duelli subscribentes, afferentesque ad invitatos, seu diffidatos.*

Et hanc constitutionem extendit Pontifex extra statum ecclesiasticum ad omnes nationes.

Proinde omnes principes christianos hortatur, ne suae potestati, quae sola potest hominibus iustis de causis mortem infligere, patiantur hanc laesionem fieri; eosque hortatur, ut pravum hunc morem a suis terris tollant, et reos huiusmodi severissime puniant. N. O. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud s. Petrum id. nov. P. a. I. a. D. 1560.

XXIII.

Decretum Concilii Tridentini de duellis extenditur etiam ad duellantes privatim.

GREGORIUS XIII ad p. r. m.

Incipit *Ad tollendum*, *etc.* (1).

Tridentinum Concilium ad tollendum detestabilem morem duellorum excommunicationem, et alias gravissimas poenas extendit in concedentes locum ad pugnam, in pugnantes, in patrinos, in consulentes, in suadentes et spectatores.

Credebant multi has poenas infligendas pugnantibus in duello publice, non pugnantibus privatim et remotis arbitris.

Pontifex has poenas ad hos quoque privatim duellantes pertinere decidit. N. O. *Nulli ergo*, *etc.*

D. Romae apud s. Petrum non. dec. P. a. XI, a. D. 1582.

(1) B. M. t. 1. p. 493. B. R. t. 4. p. 4. p. 19. C. C.

XXIV.

Constitutiones de duellis extenduntur et ad privata duella.

GREGORIUS XIII ad p. r. m.

Incipit *Firmum ita*, *etc.* (1).

Detorquebant quidam constitutiones Pontificum, decretorumque Concilii Tridentini contra duella, ut dicerent ea tantum esse vetita, quae fierent *propositis pugnantium ad pugnam libellis, patrinis intervenientibus etc.* non autem duella privata.

Declarat hic Gregorius, hac quoque esse vetita, poenasque inflictas duellantibus his quoque esse denuntiatas.

D. Romae apud s. Petrum non. nov. P. a. XI, a. D. 1582.

XXV.

Damnatio duellorum in regnis Aragoniae, Valentiae, Cathalauniae,

GREGORIUS XIII ad p. r. m.

Incipit *Ad Romani*, *etc.* (2).

Licet tot Pontifices gravissimis sub poenis vetuerint duella (ii recensentur),

Tamen in regnis Aragoniae, Valentiae, in principatu Cathalauniae, in comitatibus Rossilionis, et Ceretaniae quidam nobiles aiebant licere sibi id facere; et homines armatos secum ducebant, et ultionem privatim de illatis sibi iniuriis sumebant.

Poenas denuntiat his Gregorius, et non solum his, sed amicis assistentibus, patrinis etc. infamiae, privationis bonorum, officiorum, etc.

Si sint ecclesiastici, privat eos beneficiis.

In iudices, advocatos, defensores poenas extendit. N. O.

D. Romae apud s. Petrum die XV maii, P. a. II, a. D. 1573.

(1) Ib. C. C.

(2) Ib. p. 255. C. C.

XXVI.

Vim Bullarum praedictarum extendit Clemens ad milites, qui in castris existentes inter se privatim pugnant.

CLEMENS VIII ad p. r. m.

Incipit *Illius vices, etc.* (1).

Approbatis omnibus in Bullis praedecessorum Pontificum contentis contra duellantes, ulterius decernit Clemens easdem poenas incurrere eos milites, qui pugnantes in iusto bello, unum ex hac acie, alterum ex alia sese invicem provocant ob privatas simultates ad singulare certamen.

Etiam duces eorum id permittentes intelliguntur obnoxii iisdem poenis.

Prohibet Pontifex omnia scripta ad duellum invitantia, quae manifesta, seu diffidationes, seu fides vulgo appellantur, sint quomodocumque scripta, etiam per modum epistolae.

Fautores, complices, etc. comprehenduntur iisdem poenis.

Principes saeculares hortatur, ut poenas minitentur temporales in duellantes. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae in Monte Quirinali XVI cal. sept. P. a. I, a. D. 1592.

XXVII.

Damnantur quaedam propositiones circa duellum.

BENEDICTUS XIV ad p. r. m.

Incipit *Detestabilem ac Divina, etc.* (2).

Licet tam severe Pontifices duellum prohibuerint et tam minute omnes casus exposuerint, in quibus nullo modo illud est permissum, sitque sole clarius illud esse vetitum iure divino, naturali, et ecclesiastico, *nonnulli tamen harum legum interpretes, per benignitatis speciem*

(1) B. M. t. 3. p. 14. B. R. t. 5. p. 1 p. 386. C C.
(2) B. M. t. 19. p. 18.

humanis pravisque cupiditatibus plus aequo faventes, apostolicas sanctiones ad corrupta hominum iudicia inflectentes et temperantes docuerunt has de duello propositiones:

I. *Licet viro equestri duellum acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.*

II. *Licet defensione occisiva vel ipsis clericis et religiosis tueri honorem, dum alia declinandae calumniae via non suppetat.*

III. *Licet propulsare damna, quae ex iniqua iudicis sententia immineant.*

IV. *Licet defendere non solum quae possidemus, sed etiam ea, ad quae ius inchoatum habemus, dum alia via id assequi non valemus.*

Harum propositionum prima proscripta ab Alexandro VII, reliquae ab Innocentio XI fuerunt.

His non obstantibus prodiere quidam, qui in quibusdam casibus duellum permissum esse docuerunt, et has quinque propositiones substituerunt;

1. *Vir militaris, qui nisi offerat, vel acceptet duellum, tanquam formidolosus, timidus, abiectus et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se suosque substentat, privaretur, vel promotionis alias sibi debitae ac promeritae spe perpetuo carere deberet, culpa et poena vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum.*

2. *Excusari possunt etiam, honoris tuendi vel humanae vilipensionis vitandae gratia duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo sciunt pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.*

3. *Non incurrit ecclesiasticas poenas ab Ecclesia contra duellantes latas dux vel officialis militiae acceptans duellum ex gravi metu amissionis famae et officii.*

4. *Licitum est in statu hominis naturali acceptare et offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum iactura propulsari nequit.*

5. *Asserta sententia pro statu naturali applicari etiam potest statui civitatis male ordinatae, in qua nimirum vel negligentia, vel malitia magistratus iustitia aperte denegatur.*

Pontifex has novas propositiones examinari voluit, auditisque suffragiis Cardinalium et theologorum, eas ut falsas, scandalosas ac perniciosas reiicit, damnat, et prohibet; vetatque eas defendi publice, et privatim tractari, multoque minus ad praxim reduci sub poenis solitis, etc.

Confirmat praedecessorum Pontificum sanctiones, iniungens de novo, ut interfectori in duello nemo praestet asylum, immo ei nullus sit immunis locus, sed possit undecumque extrahi, observatis, quae praescribit Benedictus XIII de immunitate ecclesiastica in Bulla *Ex quo divina, etc.*

Interfectus autem in duello careat ecclesiastica sepultura, etiamsi a censuris absolutus fuerit.

In fine hortatur christianos principes, ut exitiosae duellorum licentiae obsistant, sciantque se quoque pollui, si ob suam negligentiam in suis Statibus duella fiant. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud S. M. Mai. IV id. nov. P. a. XIII, a. D. 1752.

XXVIII.

Vetatur taurorum agitatio.

PIUS V ad p. r. m.

Incipit *De salute, etc.* (1)

I. Taurorum, ferarumque agitationes, in quibus plerumque detrimenta maxima capiuntur et laesiones, vetat sub anathematis poena Pontifex;

II. Et in iis morientes vetat sepultura ecclesiastica donari;

III. Clerici in ordinibus constituti iis intervenientes excommunicantur.

IV. Principes saeculares rogantur, ne in suis dominiis eas fieri permittant;

V. Ecclesiarum praelati iubentur has publicare, et efficere, ut observentur etiam sub poenis ecclesiasticis. N. O. *Nulli ergo etc.*

D. Romae apud s. Petrum kal. nov. P. a. II, a. D. 1567.

(1) B. M. t. 2. p. 260 B. R. t. 4. p. 2. p. 402. C. C.

XXIX.

Abolitio censurarum in agitantes tauros in Hispaniis inflictarum a Pio V.

GREGORIUS XIII ad. p. r. m.

Incipit *Exponi nobis, etc.* (1).

Ad instantiam Philippi II Hispaniarum Regis tollit Gregorius censuras quas iacerat Pius V in agitantes tauros in Hispaniis;

Vult tamen, ne hi agitatores sint clerici, contra quos, si agitaverint poenas renovat,

Et ne agitentur diebus festis. N. O.

D. Romae apud s. Petrum die XXV aug. P. a. IV, a. D. 1575.

XXX.

Idem statuitur de agitantibus taurum in Portugallia.

GREGORIUS XIII ad p. r. m.

Incipit *Exponi nobis, etc.* (2).

Etiam in Portugallia permittit Gregorius taurorum agitationem iisdem sub conditionibus, sub quibus in Hispaniis, ut in praec. const. N. O.

D. Romae apud s. Petrum die XXIII dec. P. a. X, a. D. 1581.

(1) B. R. t. 4. p. 3. p. 308. C. C.
(2) B. R. t. 4. p. 4. p. 8. C. C.

XXXI.

Tollitur usus mittendi taurum in Ecclesiam S. Marci Pacensis.

URBANUS VIII Episcopo Pacensi.

Incipit *Cum sicut, etc.* (1).

In vigilia et in festo s. Marci mos erat, ut in Ecclesiam s. Marci Pacensem immiteretur ferox taurus *cum magno divini honoris, et animarum periculo.*

Quem pravum usum tollendi negotium dat Pacensi Episcopo Urbanus, ita ut etiam censuras ecclesiasticas expedire possit in non parentes, appellatione qualibet posthabita. N. O.

D. Romae apud s. Petrum die XIII ian. P. a. IV, a. D. 1627.

XXXII.

De Theatris.

CLEMENS XI. Edictum.

Incipit *La legge, etc.* (2).

Cum comoediae, tragoediaeque inventae sint ad excitandam virtutem et correctionem morum, et nostris temporibus in theatris potius illae tendant ad mores corrumpendos, virtutemque negligendam, corrigit hos abusus Pontifex, censuras minitans et auctoribus, si infanda loquentur, et spectatoribus, si arma eo deferant, si voce incompta molestiam afferant et actoribus, et spectatoribus, etc.

D. Romae die V ian. a. D. 1721.

(1) B. R. t. 6. p. 1. p. 31. C. C.
(2) B. M. t. 8. p. 293.

XXXIII.

Astrologia iudiciaria damnatur.

SIXTUS V ad p. r. m.

Incipit *Coeli, et terrae, etc.* (1).

Malis provenientibus ex astrologia iudiciaria, chiromantia, uegromantia expositis, iisque auctoritate Ss. Patrum reprobatis,

I. Sixtus mandat Ordinariis, ut eiusmodi artes, et libros exterminent;

II. Mandat Inquisitoribus, ut astrologos, mathematicos, divinatores, facientes horoscopum coerceant,

III. Et libros has artes docentes retineri vetent.

IV. Ut autem Inquisitores sciant quos libros vetare debeant, eos recenset Sixtus, et suut libri astrologiae, geomantiae, hydromantiae, pyromantiae, ouomantiae, chiromantiae, necromantiae, artis magicae. Ex his euim libris nihil aliud addiscitur uisi superstitiones. N. O. *Nulli ergo etc.*

D. R. apud s. Petrum non. ianu. P. a. I, a. D. 1585.

XXXIV.

Poenae in volentes horoscopos facere de Pontificibus, ariolari de regimine reipublicae.

URBANUS VIII ad p. r. m.

Incipit *Inscrutabilis iudiciorum, etc.* (2).

Haec quoque Urbani Bulla teudit eodem, quo Sixti praecedens proxima coustitutio.

I. Poenas minatur Papa iis, qui de christianae reipublicae regimiue, de vita et morte Pontificis ausi fuerint praedicere aliquid, laesae maiestatis, hoc est ultimi supplicii et bonorum confiscationis.

(1) B. M. t. 2. p. 553. B. R. t. 4. p. 4. p. 176. C. C.

(2) B. M. t. 4. p. 184. B. R. t. 6. p. 1, p. 268. C. C.

II. Quod si hi fuerint Ecclesiastici, poena interminatur privationis beneficiorum, dignitatum quarumvis amplissimarum, et inhabilitatis ad omnia officia.

III. Deputat iudices, et poenas infligendas impedientibus iudicia de his reis facere assignat. N. O. *Nulli ergo etc.*

D. Romae apud s. Petrum prid. kal. ap. P. a. VIII, a. D. 1621.

XXXV.

Permittenda est spicarum post messem factam collectio.

BENEDICTUS XIV Archiepiscopis, Episcopis status ecclesiastici.

Incipit *Acerbe plane, etc.* (1).

Sciens Benedictus, quosdam eo crudelitatis devenisse, ut spicarum collectionem post iam collectam messem pauperibus denegarent, eos valde redarguit, collectis Ss .Scripturarum testimoniis ex Levit. c. 19, ex Libro Ruth, ex quibus arguitur eam fuisse permissam.

Hortatur ergo Pontifex agrorum dominos, ut eam permittant;

Et iniungit Episcopis, ut pauperum clientelam suscipiant, et hortationibus et promulgatione harum epistolarum in missarum solemniis agrorum heros admoneant, ne hoc exiguo subsidio pauperes privatos velint;

Et pastores animarum inferant in aures et animos populi, *certa non satis ratione constare, an quod veteri lege cautum est, nova abrogatum sit; et an pauperes, quaesito ex praecepto iure, vel impetrato a misericordia, beneficio colligendarum spicarum libertate fruantur.*

D. Romae apud S. M. Mai. die XXII maii, P. a II, a. D. 1742.

(1) B M. t. 16. p. 93.

XXXVI.

Innovatio praecedentis Bullae de spicis.

BENEDICTUS XIV ad p. r. m.

Incipit *Ex commisso, etc.* (1).

Quoniam nihil profecerat Pontifex superiore constitutione, ut spicarum collectio tempore messis permitteretur pauperibus, edit et hanc.

Qua iubet, eam omnino permitti debere, postquam fasciculi fuerint collecti et in cumulos digesti, per decem dies;

Vetat autem pecora in campos immitti a dominis dum eae spicae colliguntur, nec praedia vult claudi, sed patere;

Iubet id praecipi a Legatis, a Gubernatoribus urbium, etc. et poenas scutorum trigiuta imponit iis, qui spicas in suis agris colligi prohibuerint. N. O. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud S. M. Mai. XVI kal. iunii, P. a. XI, a. D. 1751.

XXXVII.

Bona naufragantium delata ad portum non sunt diripienda.

HONORIUS II Turonensis provinciae suffraganeis Episcopis.

Incipit *Carissimus noster, etc.* (2).

Invaluerat in Britannia pravus hic mos, ut bona eorum, qui naufragium fecerant, etiam quae in portu inventa eraut, auferrentur.

Morem hunc damnatum a Turonensi synodo damnat et Pontifex. *Est enim iniquum, ut, quem divinae clementiae magnitudo a saevientis pelagi voracitate exuit, hominum saeva rapacitas audeat spoliare.*

(1) B. M. t. 18. p. 211.
(2) B. M. t. 1. p. 33.

Praeterea leges imperiales volunt, ut nautae neque earum rerum, quas proiecerunt in mare, dominium amittant. Non enim proiecerunt, ut eas derelinquerent, *sed quo periculum effugere possent*. Qui ergo res eas *animo lucrandi abstulerit*, *furtum committit*.

Datum Laterani XIII kal. iunii, a. 1129.

XXXVIII.

Idem praecipit Julius sub poenis etc.

IULIUS II ad p. r. m. M. P.

Incipit *Romanus Pontifex*, *etc.* (1).

Morem rapiendi bona naufragantium corrigere volens Pontifex statuit: ut quicumque abstulerit bona naufragantium eiecta ad littus, neque restituerit, fur sit habendus. Etenim ea bona iacta fuere in mare fugiendi pericula ergo;

Ut amittat bona sua, quae confiscentur et applicentur camerae, nisi tamen aliquid ex iis bonis sibi retineat, quod nautis auxilium implorantibus opem tulerit.

Illis autem, qui naufragantibus auxilium praestiterint, bona conservarint, annorum decem indulgentiam concedit.

Executores huius constitutionis deputantur camerarius, praesidens, clerici et auditor camerae apostolicae. N. O. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud s. Petrum VI kal. mart. P. a VI, a. D. 1509.

(1) B. M. t. 1. p. 499. B. R. t. 3. p. 3. p. 310. C. C.

XXXIX.

Confirmatio.

PAULUS III ad p. r. m.

Incipit *Accepimus nuper, etc.* (1).

Constitutionem Iulii II de non rapiendis bonis naufragantium, oblivioni iam datam, renovat Paulus, et quoad poenas infligendas raptoribus, et quoad concedendas auxilium ferentibus. N. O.

D. Romae apud s. Petrum die XIII mart. P. a XI, a. D. 1545.

XL.

Nautae ex bonis expiscatis quartam partem sibi retineant.

PAULUS III. M. P.

Incipit *Accepimus per statuta, etc.* (2).

Audito tenore praecedentis constitutionis, nautae ripae reclamarunt, dixeruntque, esse in more positum, ut qui recuperassent bona naufragantium, quartam partem sibi retinerent, et tres partes domino restituerent;

Ideo autem se nolle, eas merces ad ripam venire, sed expiscari in mari, quia feudatarii et barones possessores earum riparum, ad quas mare bona defert, omnia sibi retinent.

Itaque Paulus, iussis nautis retinere sibi quartam partem, inhibet dominis riparum quicquam sibi retinere sub interminatione poenarum. N. O. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud s. Marcum id. martii, P. a. XII, a. D. 1546.

(1) B. M. t. 1. p. 744. B. R. t. 4. p. 1. p. 230. C. C.
(2) Ib. p. 774.

XLI.

In non subvenientes nautis.

PIUS V ad p. r. m. M. P.

Incipit *Cum nobis*, *etc.* (1).

Frequentes erant quaerimoniae naufragantium, bona sua diripi ab officialibus locorum maritimorum S. R. E.

Pontifex ergo statuit, ut naufragantibus snbsidium praestetur, et si qua bona amittantur ex naufragio, iubet Commissarium et Consulem locorum recuperare illa, et dominis navium reservare; neque, qui ea invenerint, posse de iis disponere nisi de licentia Consulum et Commissariorum.

Praecipit etiam feudatariis et baronibus, ut opem praestent Commissariis, et Consulibus.

Auxiliantibus naufragium patientibus renovat indulgentiam annorum decem.

Mandat omnibus locorum maritimorum incolis ferre opem naufragantibus.

Feudatariis et baronibus iubet, ut comprehendant tamquam fures et latrones eos, quos norint aliquid de naufragio sibi retinere.

Naufragantes iubentur confugere ad Pontificem, vel ad camerarium, si quicquam in rebus suis fuerint laesi.

Consuli permittitur, ut det facultatem ripariis incolis deferendi arma ad quindecim milliaria in locis maritimis ad impediendas huiusmodi rapinas. N. O. *Nulli ergo*, *etc.*

D. Romae apud s. Petrum VIII kal. maii, P. a I, a. D. 1566.

(1) B. M. t. 2. p. 194. B. R. t. 4. p. 2. p. 287. C. C.

XLII.

Confirmatio decreti Gebennensis civitatis de bonis mortuorum.

IULIUS II Viennensi, Lugdonensi et Gebennensi officialibus.

Incipit *Hodie a nobis, etc.* (1).

Decedebant Genevae *et in suburbiis et in territoriis* quidam satis divites, sed, qui dum vivebant, nolebant satisfacer creditoribus.

Horum heredes, trasportatis alio bonis mobilibus, mortui post quadraginta dies vocabant creditores, eisque parva quaedam assignabant, quibus iis satisfactum esse volebant, iurabantque, se nihil aliud invenisse in bonis defuncti.

Syndici urbis, et officiales Episcopi statuerunt, ut intra tres dies a morte debitoris fieret inventarium, subtractisque debitis, reliqua quae superessent darentur heredibus et satisfieret creditoribus.

Postularunt Gebennenses approbationem et confirmationem Pontifici huius statuti, quam Pontifex non invitus concedit. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud s. Petrum prid. kal. martii, P. a. III, a. D. 1505.

XLIII.

Hortatio ad Regem Galliae, ut patiatur reduci usuras ad communem modum.

INNOCENTIUS III Philippo Regi Franciae.

Incipit *Quanto melior, etc.* (2).

Legatus Pontificius in Gallia, licet nihil ei esset a Pontifice ad hoc commissum, videns usura *irrationabilis*, voluit eas reducere ad moderamen.

(1) B. M. p. 4. vel. t. 10. p. 8.
(2) B. M. p. 3. vel t. 9. p. 38.

Questus fuit ad Pontificem Rex de hac usurpata a Legato auctoritate.

Respondet Regi Pontifex, ut permittat Legato haec facere; res enim haec spectat ad Ecclesiam non minus, quam ad Regem, quem hortatur, ut usuras reducat ad commuuem modum.

Sed de hoc statuet plenius in generali Lateranensi Concilio.

D. Romae apud s. Petrum II id. maii, Pontif. a XVII, a. D. 1215.

XLIV.

De censibus annuis.

PIUS V ad p. r. m.

Incipit *Cum onus, etc.* (1).

Gravissima haec constitutio agit de ceusibus anuuis:

I. Qui, ut creentur, *constitui nullo modo possunt nisi in re immobili, vel pro immobili habita, de sui natura fructifera et intra certos fines designata;*

II. In pecunia numerata, praesentibus testibus et notario.

III. Solutiones anticipatae nec possunt fieri, nec in pacta deduci;

IV. Conventiones directe, aut indirecte obligautes eum, qui de natura contractus non tenetur, uon valent; idem dicatur de casibus fortuitis.

V. Nec pactnm auferens, aut restringens facultatem alienandi rem censui suppositam valet.

VI. Si vendatur, dominus rei datae pro cautione anteferatur omnibus emptoribus.

VII. Nulla sunt pacta: morosum debitorem census teneri ad interesse lucri cessantis, ad expensas census, vel debere amittere partem rei, etc.

VIII. Nec ex censibns non solutis annuatim augeri potest census principalis;

(1) B. M. t. 2. p. 295. B. R. t. 4. p. 3. p. 52. C. C.

IX. Nulla sunt pacta reiecta in debitorem, quae antea spectabant ex iure et ex natura contractus ad creditorem.

X. Re, super qua census est erectus, pereunte ex parte, ex parte perit et census, et pereunte tota, etiam totus census perit.

XI. Census, si debeat extingui, per duos menses ante debet id denuntiari creditori.

XII. Contractus aliter facti foenerarii sunt.

XIII. Addit etiam Pontifex, census semel factos nec posse augeri, nec minui.

Et haec servanda sunt non modo in censibus faciendis, sed etiam in factis, quocumque tempore renovandis. N. D. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud s. Petrum XIV kal. febr. P. a. IV, a. D. 1569.

XLV.

Explicatio quorumdam dubiorum ad praecedentem constitutionem.

PIUS V ad p. r. m.

Incipit *Etsi Apostolico, etc.* (1).

Dubia quaedam enata circa praecedentem constitutionem Pontifici proposita solvuntur ab illo.

I. Dubium. Num debeat intelligi infructuositas annalis, an temporalis ad hoc, ut pereat census?

Respondet Pontifex: intelligitur res infructuosa, quae ex toto, vel ex parte infructuosa perpetuo redditur.

II. D. An morosi debitores liberentur etiam a solvendis expensis factis in iudicio a creditoribus, ut satisfaciant?

R. P. Prohibentur expensae, quae promittuntur ex pacto, vel conventione tantum inter contrahentes inita.

III. D. An possit procedi tam pro expensis, quam pro censu recuperando? et an possint dari fideiussores et hypothecari praedia? an possit fieri census super pluribus rebus inter se divisis, et diversis?

(1) B. M. t. 2. p. 296. B. R. t. 4. p. 3. p. 53.

R. P. Non prohibentur dari fideiussores, vel hypothecari praedia, et potest procedi, et fundari census super plures res.

IV. D. An in dotium assignatione census creari possit?

R. P. *In dotium assignandarum casu censuum creatio respectu actualis numerationis coram notario, et testibus faciendae locum non habet. Sed in hoc casu census ipsos, etiam pecunia ad manum non habita, creari posse declarat Pontifex.*

In locis, ubi est periculum, ne pecunia auferatur, si pecunia haberi non potest ad manum, permittitur apoca, seu cedula bancaria.

D. Romae apud s. Petrum die X iunii, P. a V, a. D. 1570.

XLVI.

Declaratio Pii V constitutionis de censibus pro regno Navarrae.

GREGORIUS XIV ad p. r. m.

Incipit *Ad nos, etc.* (1).

Constitutio Pii V de creandis censibus edita non fuerat recepta ab incolis regni Navarrae.

Anno tamen 1580 in comitiis habitis pro gubernio regni statutum fuit, ut reciperetur.

Ex hoc statuto fuit enatum dubium, scilicet an contractus post publicationem eius Bullae essent nulli.

Solvit dubium Gregorius inquiens, *contractus quorumcumque censuum inter quascumque personas trium statuum regni Navarrae initos ab anno 1580 vigorem habere incepisse; in aliis contractibus ante dictum annum 1580, in eodem regno iuris veteris, et constitutionum aliorum Pontificum esse attendendam vim.*

Sicque iudicari praecipit. N. O. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud s. Petrum die XXX aug. P. a. I, a. D. 1591.

(1) B. R. t. 5. p. 1. 296. C. C.

XLVII.

Explicatio constitutionis Gregorii XIII de censibus Januae.

CLEMENS VIII ad p. r. m.

Incipit *Alias pro parte, etc.* (1).

Vetuerat Pius V fieri census, nisi in confectione instrumenti numerata fuisset pecunia.

Gregorius XIII approbarat census Januae factos, quin numerata fuisset pecunia, sed dati essent cartularii, ut dicunt, s. Georgii, quae est mensa nummularia.

Quidam tamen adhuc putabant hos contractus usurarios, quia nisi post aliquot dies et quasdam solemnitates haberi poterat numerata pecunia.

Jam vero plurimi census et maximi hoc solum pacto Januae fieri consueverunt.

Quare Dux et gubernatores supplicarunt Clementi, ut decerneret quid esset agendum.

Clemens declarat, hos contractus ita factos nec esse, nec debere usurarios dici; modo intra paucos dies a stipulatione numeretur pecunia. N. O.

D. Romae apud s. Marcum die XIII sept. P. a. X, a. D. 1601.

XLVIII.

Adhortatio ad Monachi dominum,
ut Episcopum Ventimiliensem adiuvet in tollendis usuris in suo statu.

CLEMENS VIII N. V. Monachi domino.

Incipit *Non mediocri, etc.* (2).

Plurimae fiebant usurae Monachi;

Quas Ventimiliensis Episcopus Monachi Ordinarius volebat inde exstirpare.

(1) B. R. t. 5. p. 2. p. 384. C. C.
(2) B. R. t. 5. p. 3. p. 104. C. C.

Enixe Clemens dominum Monachi hortatur, ut Episcopo opus tam bonum facere volenti opem ferat.

D. Romae apud s. Petrum die XXVI ian. P. a. XIII, an. D. 1605.

XLIX.

Eadem adhortatio ad remp. Ianuensem.

CLEMENS VIII Duci et gubernatoribus Ianuae.

Incipit *Quam perniciosa, etc.* (1).

Ad eamdem opem praestandam Ventimiliensi Praesuli reip. Ianuensis Ducem et gubernatores hortatur Clemens.

Eodem die et anno, quo superior constitutio.

L.

Eadem adhortatio ad Sabaudiae Ducem.

CLEMENS VIII Philiberto Sabaudiae Duci.

Incipit *Tanta est, etc.* (2).

Sabaudiae Ducis postulat auxilium Clemens pro Episcopo eodem supradicto ad opus idem.

Eadem die et anno.

LI.

Ad idem opus excitatur dominus Dulcis Aquae.

CLEMENS VIII N. V. Imperiali Doria domino Dulcis Aquae.

Incipit *Nuper intelleximus, etc.* (3).

Haec quoque Bulla tendit eodem, ut dominus Dulcis Aquae auxilium praestet Episcopo.

Eodem die, eodemque anno.

(1) B. R. t. 5. p. 2. p. 105. C. C.
(2) Ib. C. C.
(3) Ib. C. C.

LII.

Renovatio denunciatarum poenarum in usurarios.

CLEMENS XI. Edictum.

Incipit *Riconoscendosi, ecc.* (1).

Renovat Clemens vim canonum et pontificalium constitutionum contra agentes et mediatores contractuum usurariorum poenas pecuniarias et personales iis denuntiatas.

Denuntiatoribus ita agentium quartam partem pecuniae ita contractae;

Illis vero, qui per simplicitatem deliquerunt, si se indicent, impunitatem promittit;

Qui intra quindecim dies a publicatione huius contractus actos confitebuntur veniam consequentur, et ad instam contractuum normam ii contractus reducentur.

D. Romae die XXVI ap. a. D. 1720.

LIII.

Explicatio de usuris circa mutuum.

BENEDICTUS XIV Patriarchis, Primatibus, etc.

Incipit *Pervenit, etc.* (2).

Vix ac audivit Pontifex *ob novam controversiam (nempe an quidam contractus validus debeat iudicari)* quasdam sententias non valde sanas disseminari per Italiam, muneris sui esse duxit afferre remedium, ne malum silentio vires acquireret, *et incolumes adhuc Italiae civitates labefactaret.*

Advocavit ergo Pontifex plures Theologos ex Ordinibus Mendicantibus, ex Clericis regularibus, et iis exposuit casus naturam et iis iniunxit, ut de usuris dicerent sententiam suam; scriptas ergo tradiderunt singuli sententias suas. Haec porro communi consensu statuerunt;

I. Usuram esse peccati genus, *quod in contractu mutui suam habet sedem, et est positum in eo, ut ex ipsomet mutuo, quod ex sua natura*

(1) B. M. t. 8. p. 292.

(2) B. M. t. 16. p. 328.

tantum, et non plus reddi expostulat, plus sibi reddi velit, quam est datum. Omne ergo hoc lucrum, quod sortem exsuperat, illicitum et usurarium est.

II. *Neque vero ad istam labem purgandam ullum subsidium accersiri poterit vel ex eo, quod id lucrum non excedens et nimium, sed moderatum, non magnum, sed exiguum sit, vel ex eo quod is, a quo id lucrum solius cursu mutui deponitur, non pauper, sed dives existat, nec datam summam sit relicturus otiosam, sed eam conferat ad suas fortunas amplificandas.* Contra mutui liquidam legem, quae necessario in dati et redditi aequalitate consistit, agere ille convincitur quisquis, aequalitate illa postposita, plus aliquid vult, quam mutuum postulat.

III. Non negatur, interdum plures titulos concurrere posse, ob quos aliquid plus exigatur; neque negatur alias esse rationes impendendi pecunias absque mutuo, ut plus aliquando, quam a mutuo, percipiatur.

IV. Ergo in omnibus contractibus, si non servatur aequalitas, usura est, et propterea onus restituendi incumbit.

V. Numquam demum iusti tituli possunt esse cum mutuo ut plus exigatur, quam aequalitas postulat.

Ita illi responderant; quam responsionem Pontifex approbat, et nihil dicit de aliis contractibus, nihil de casu illo, qui caussam dedit huic constitutioni.

Mouet ergo Ordinarios, ut curent ostendere populo peccatum grave, quod committit, qui huiusmodi contractus facit;

Deinde ostendant errorem illorum, qui quamlibet sortem ex pecunia vitiosam ducunt;

Tum errorem aliorum, qui nullam usuram illicitam putant.

Postea, qui volunt pecuniam dare, exponant conditiones, quibus volunt eam pecuniam dare, ut a foro externo comprobentur.

Demum reprimant sermones eorum ineptorum, qui quaestiones de usura appellant puras, purasque quaestiones de nomine. Nam magna differentia intercedit inter contractus ultra sortem, et hi contractus in nullo foro confirmantur, et contractus infra sortem, et in utroque foro confirmantur.

D. Romae apud S. M. Mai. die I. nov. P. a. VI, a. D. 1745.

LIV.

Contra cambia et recambia.

PIUS IV ad p. r. m. M. P.

Incipit *Cum sicut, etc.* (1).

Cito ditescere volentes quidam mercatores dabant curialibus egentibus pecunias cum censu ultra ius inter mercatores statutum.

Deinde non solventes curiales tempore convento eosdem nummos, ad *recambia* iis dabant maxima cum eorum iactura.

Hos coercendi datur facultas gubernatori urbis, ita ut hos ponentes nummos ad cambia et recambia tanta cum usura possit damnare in duo millia ducata auri in auro applicanda camerae, bannire, praeter poenam excommunicationis in eos latam.

Possit eos citare, summarie iudicare, libros eorum et rationes invisere. N. O.

P. M. P. I, a. 1569.

LV.

Cambiorum illicitorum explicatio et damnatio.

PIUS V ad p. r. m.

Incipit *In eam, etc.* (2).

Ut reprimeret usuras, quae ex cambiis oriuntur, hanc edit Pius constitutionem.

Igitur damnat cambia sicca, quibus fingitur aliquem, qui accepit in his nundinis pecuniam, dare numeranti pecuniam litteras, vigore quarum alio loco pecuniam a correspondente accipiet.

Interim hae litterae non dantur.

(1) B. M. t. 2. p. 1. B. R. t. 4. p. 2. p. 1. C. C.
(2) B. M. t. 2. p. 349. B. R. t. 4. p. 3. p. 162.

Census cambii exigitur et solvitur pecunia eo loco, ubi fuit numerata.

Etiam damnatur illud cambium, cum datur pecnnia nomine cambii, vel depositi solvenda cum lucro eo loci ubi fuit data.

Etiam illnd damnatur cum datur pecunia sub nomine cambii, ut restituatur eo tempore; ita tamen inter se conveniunt acceptans et dans, ut acceptans differat tempus, dans accipiat pecuniam cum lucro.

Ergo in cambiis designanda est distantia locorum pro iusto cambiorum pretio, neque cambia pro primis nundinis differantur in alias nundinas ex convento.

D. Romae apud s. Petrum V kal. febr. P. a. VI, a. D. 1571.

LVI.

Mercatores Caesaraugustae inhibentur in rebus ad victum necessariis facere monopolia.

GREGORIUS XIII ad p. r. m.

Incipit *Quaecumque improbi, etc.* (1).

Jam Hadrianns VI vetuerat mercatoribus frumenti, et aliarum rerum urbis Caesaraugustanae monopolia facere damnata a legibus ecclesiasticis et civilibus. Hi enim mercatores res has vilissimo pretio emebant, recondebant, nec eas expromebant, nisi magna urgente necessitate, easque vendebant quam maximi.

Poenas temporales et ecclesiasticas minitatus fuerat Hadrianus VI praedictus; nempe excommunicationem et confiscationem earnm rernm.

Cum porro pergerent mercatores ea monopolia peragere, renovat Gregorius Hadriani constitutionem, permittens et mercatores, et sequestros, et tabelliones his contractibus assistentes puniri, et volens poenis ecclesiasticis innodari.

Executores deputat. N. O.

D. Romae apud s. Petrum die XIV maii, P. a. VI, a. D. 1578.

(1) B. R. t. 4. p. 3. p. 367. C. C.

LVII.

Extensio constitutionis ad mercatores Comitatus Rossilionis.

GREGORIUS XIII ad p. r. m.

Incipit *Quaecumque improbi, etc.* (1).

Proxime praedictam constitutionem extendit Gregorius etiam ad mercatores Comitatus Rossilionis, iisdem cum clausulis et poenis. N. O.

D. Romae apud s. Petrum die II maii, P. a. XI, a. D. 1582.

LVIII.

Revocatio poenarum spiritualium a Gregorio XIII latarum in mercatores.

SIXTUS V ad p. r. m.

Incipit *Circumspecta Romani, etc.* (2).

Cum Philippus II quoddam edictum in hos mercatores ediderit,

Revocat Sixtus excommunicationem, sed intactam relinquit poenam confiscationis in eos ab Hadriano VI et Gregorio XIII latam. N. O.

Nimis enim grave videbatur et temporalibus, et spiritualibus poenis afficere talibus, et tantis.

D. Romae apud s. Petrum die XXV febr. P. a. II, a. D. 1587.

(1) B. B. t. 4. p. 4. p. 32. C. C.
(2) B. B. t. 5. p. 1. p. 166. C. C.

LIX.

Reductio fructuum ad quatuor pro quovis centenario.

BENEDICTUS XIV M. P.

Incipit *Ci è stato, ecc.* (1).

Occasione militum exterorum in Italia commorantium et per ecclesiasticam ditionem transeuntium, quidam nimis pecuniae avidi census, fructus cambia, etc. redegerant ad quinque, sex et etiam septem pro quolibet centenario.

Volens ergo Pontifex has usuras tollere, inhaerens constitutionibus superiorum Pontificum ad reprimendas cupiditates eorum, qui pecuniam dant, et ad sublevandos eos, qui illam accipiunt, decernit,

Ut fructus sit quater pro quovis centenario, ita ut maior accepta pecunia hoc censu in extinctionem capitalis conservetur.

Iniustissimam autem, ait, esse usuram, si Ordines regulares ita agerent. N. O.

D. Dal Palazzo Ap. di Monte Cavallo li 7 settembre 1745.

LX.

Damnatio quorumdam contractuum societatis.

SIXTUS V ad p. r. m.

Incipit *Detestabilia avari, etc.* (2).

Damnat Sixtus societates quasdam initas cum mercatoribus, opificibus, *negotiatoribus super eorum officinis, teloneis, aliisque bonis.*

Quidam dant pecuniam, aut res societatis nomine, veluti greges, armenta, et alia animalia agricolis *ad socidam*, ut vocant, ea conditione, ut sors ipsa seu caput, quod capitale dicitur, tam pecuniarum, quam

(1) B. M. t. 16. p. 314.

(2) B. M. t. 2. p. 599. B. R. t. 4. p. 4. p. 163. C. C.

animalium et rerum salvum semper et integrum existat pro eo, qui dedit pecunias, animalia, res; periculum sit pro eo, qui industrias collocat et labores, contra aequitatem societatis: quo magis enim animalia senescunt, fiunt deteriora.

Neque excusatur a peccato, qui dicit eum, qui accepit, fuisse contentum his pactis; egestas enim illum ad haec pacta admittenda coegit.

Alii sunt, qui dant pecuniam, praefigentes tantam quantitatem pecuniae dandam in singulos menses, aut annos, utcumque negotia procedant, ita ut, etiamsi damnum habeatur, damnum sit illius, qui accepit pecuniam, non eius, qui dedit.

Demum quidam sunt, qui quamvis fortuito casu capitale pereat, tamen restitui volunt integrum, ac si integrum existeret.

Haec omnia pacta, ut opposita aequitati societatis reiicit, damnat et improbat Pontifex.

Iubens, ut non certa summa statuatur quotannis danda, cum negotiorum incertus sit exitus, neque, si forte pereat capitale, debeat restitui integrum, modo qui accepit capitale, bona fide, aequitate, industria, et pro viribus suis omnia egerit.

Aliter facientes incurrant poenas a sacris canonibus in huiusmodi criminis reos statutas. N. O. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud s. Marcum XII kal. nov. P. a. II, a. D. 1586.

LXI.

Irritatio iuramentorum factorum, si sint contraria libertati ecclesiasticae, etc.

GREGORIUS XIII ad p. r. m.

Incipit *Inter Apostolicos, etc.* (1).

Mos erat, ut admittendi ad aliquam dignitatem vel ecclesiasticam, vel saecularem iurarent se servaturos statuta.

(1) B. M. t. 2. p. 513. B. R. t. 4. p. 4. p. 75. C. C.

Nicolaus III hoc iuramentum vetuit. Nam nonne iuberi possunt impossibilia, damnosa, contraria sacris canonibus, adversantia libertati ecclesiasticae ?

Hoc approbat etiam Gregorius, praecipue cum iurari possint et contraria Tridentino Concilio.

Praelati hoc postulantes suspendantur, Capitula et communitates interdicantur, iurantes scientes ad eas dignitates, pro quibus iurant, inhabiles reddantur, ignorantes iuramento rebus firmatis non teneantur. N. O. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud s. Marcum non. sept. P. a. XIII, a. D. 1584.

LXII.

Sanciuntur poenae in blasphemos.

JULIUS III. X. ad p. r. m. M. P.

Incipit *In multis, etc.* (1).

Poena sancitur contra blasphemos in Deum; prima vice, si sint divites solvant quadraginta scuta, si plebeii decem;

Secunda vice duplicetur poena utrisque;

Si tertia, triplicetur et perfodiatur lingua.

Etiam contra blasphemantes Mariam hae poenae serventur.

Contra blasphemantes Sanctos iudex decernat; qui itidem iudicet qui sint divites et pauperes, ut expedire crediderit.

Denuntientur blasphemi, et denuntiantes secreti debent apponere nomina duorum testium, locum, diem.

Denuntiatores falsi subeant poenas blasphemis dandas.

Quia in ludis, qui dicuntur *barratterie*, ut plurimum blasphemiae effunduntur, ideo damnantur sub poenis contra aleatores eiusmodi statutis.

D. Romae apud s. Petrum kal. feb. P. a. IV, a. D. 1554.

(1) B. M. t. 1. p. 812. B. R. t. 4. p. 1. p. 308. C. C.

LXIII.

Negantes Ss. Trinitatem, Filii Incarnationem blasphemi habeantur, et puniantur ut haeretici.

PAULUS IV ad p. r. m.

Incipit *Cum quorumdam, etc.* (1).

Eos, qui negaverint aut Ss. Trinitatem, aut unitatem in Divinis, Christum natum ex Virgine, passum, mortuum, conceptum de Spiritu Sancto, haereticos ait esse Pontifex et blasphemos, et, ut in haereticos, contra eos procedi vult;

Qui si se corrigant, imposita poenitentia absolvantur, modo non sint relapsi, tunc enim, ut haeretici, sunt habendi;

Si se poenitere nolint, ut in haereticos animadvertatur in eos. N. O.

D. Romae apud s. Marcum VII id. apr. P. a. I, a. D. 1555.

LXIV.

Confirmatio praecedentis Bullae.

PAULUS V ad p. r. m.

Incipit *Romanus Pontifex, etc.* (2).

Constitutionem Pauli IV proxime antecedentem confirmat Pius, feudatariis S. R. E. mandans sub indignationis suae poena, ut eam observari faciant a suis subditis; reliquos Principes ad hoc hortans, Praelatis Ecclesiarum id iniungens sub censuris ecclesiasticis infligendis christianis eam non servantibus. N. O. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud s. Petrum kal. oct. P. a. III, a. D. 1568.

(1) B. M. t. 1. p. 821. B. R. t. 4. p. 1. p. 322. C. C.

(2) B. R. t. 1. p. 3. p. 46. C. C.

LXV.

Praecedentium duarum Bullarum innovatio.

CLEMENS VIII ad p. r. m.

Incipit *Domino gregis, etc.* (1).

Confirmat Clemens constitutionem praecedentem Pauli IV contra blasphemantes Ss. Trinitatem, Humanitatem Iesu Christi, etc.

Poenas easdem infligi iubet;

Et ne ignorantia praetendatur, iubet hanc constit, publicari.

D. Romae apud s. Petrum die III feb. P. a. XII, a. D. 1603.

LXVI.

In facientes pacta tacita cum daemonibus.

JOANNES XXII ad p. r. m.

Incipit *Super illius, etc.* (2).

Contra eos, *qui pacta cum daemonibus faciunt, illis immolant, eos adorant, fabricant ac fabricari procurant imagines, annulum, vel speculum, vel philara, vel alia quamque rem magice ad daemones ibi alligandos, et ab iis responsa petunt, et pro implendis suis desideriis pravis praestant foetidam servitutem.*

Decernit Joannes in virtute s. obedientiae sub excommunicationis poena ne haec agere audeant et docere, neque his rebus aliquo modo uti.

Minatur etiam iis praeter confiscationem bonorum alias poenas solitas haereticis infligi.

Vetat retineri libros, scripturas, chartas, quae doceant hos errores; vultque infra octo dies computandos a notitia huius, ut comburantur libri ad has superstitiones attinentes.

Datum Avenione, etc.

(1) B. M. t. 3. p. 160. B. R. t. 5. p. 3. p. 1. C. C.

(2) B. M. t. 1. p. 204. B. R. t. 3. p. 2. p. 194. C. C.

LXVII.

Poena in abutentes Spiritibus succubis, et incubis.

INNOCENTIUS VIII ad f. r. m.

Incipit *Summis desiderantes, etc.* (1).

In partibus Alemanniae Superioris, nec non in Moguntinensi, Coloniensi, Trevirensi, Salisburgensi provinciis malefici abutebantur multi spiritibus succubis, et incubis, et eorum opera multa mala in agros, in animalia, in pueros, in coniugatos edebant, quae in Bulla § 1 recensentur.

Ad eos exterminandos dat potestatem Pontifex inquisitoribus summarie procedendi contra hos maleficos, et sententiam dicendi.

Jubet in Ecclesiis Parochialibus haberi sermones contra huiusmodi maleficos, ut quanti criminis sint rei, intelligant;

Et Episcopo Argentinensi mandat, ut inquisitoribus in hoc auxilium praestet, ut per poenas ecclesiasticas eos coerceat. N. O. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud s. Petrum non. dec. P. a. 1, a. D. 1484.

LXVIII.

Contra nonnullos renunciantes baptismati, et maleficiis operam dantes.

LEO X universis fidei inquisitoribus in dominio Veneto existentibus.

Incipit *Honestis potentium, etc.* (2).

In Brixiensi, et Bergomensi territoriis, *quoddam genus hominum* perniciosissimum erat; *renuntiabant hi Baptismati, seque totos daemoni vovebant, et ut illi rem gratam facerent, infantes necabant*, animalibus, arboribus, agris nocebant, *exercebant sacrilegia et maleficia.*

Dux et dominium Venetiarum petierunt a Pontifice, ut his malis mederetur.

(1) B. M. t. 1. p. 429. B. R. t. 3. p. 3. p. 291. C. C.
(2) Ib. p. 617. Ib. p. 499. C. C.

Adiungit ergo Pontifex nuntium apostolicum inquisitoribus haereticae pravitatis, ut assessoribns et officialibus evocatis, rem tota perquirat.

Poenitentes recipiat, incorrigibiles damnet, et brachio saecnlari eos tradat.

Episcopns Justinopolitanus delegatus a nuntio simul cnm inquisitoribus profectus est in vallem Camonicam Brixiensis territorii, ubi genus illud praecipue grassabatur. Processus fuere facti, rei dati brachio saecnlari

Sed praetor Brixiensis, ita iubente collegio, inhibnit inquisitoribus, et subdelegato processns videndi, et poenas infligendi, processusque Venetias misit.

Haec Leoni scripserunt inquisitores;

Pontifex ad haec iussit inquisitoribus, ut moneant Ducem, ne processus perfectos legat, et poenas in iis contentas contra reos exequatur.

D. Romae apud s. Petrum die XV. febr. P. a. VIII, a. D. 1521.

LXIX.

Contra maleficos in territoriis Cremonensi et Comensi.

HADRIANUS VI Inquisitori Comensi.

Incipit *Dudum, etc.* (1).

Etiam in territorio Cremonensi erant multi malefici utriusque sexus, prout inquisitor Julio II scripserat; contra quos volens procedere Georgius inquisitor impediebatur a populo;

Sed sociis quibusdam inquisitori per Italiam assignatis, qui cruce signati dicebantur, unaque episcopis et vicariis, res tota transacta feliciter est, expurgatique malefici.

Inquisitori Comi, in qua urbe et territorio etiam erant malefici, postulanti litteras consimiles pro institutione cruce signatorum Inquisitionis eas concedit Hadrianus. N. O.

D. Romae apud s. Petrnm die XX iulii, P. a. I, a. D. 1522.

(1) Ib. p. 625. B. R. t. 4. p. 1. p. 16. C. C.

LXX.

In apostantes a fide, etc.

GREGORIUS XV ad p. r. m.

Incipit *Omnipotentis Dei*, *etc.* (1).

Contra *maleficiis, superstitionibus, ac nefariis inventis operam dantes*, et pacta cum diabolo facientes, apostantes a fide, laedentes personas, est haec constitutio.

Vult Gregorius hos omnes tradi curiae saeculari, et debitis poenis puniri;

Qui alicui procuraverit impotentiam generandi, infirmitates animalibus, frugibus nocuerit, ab inquisitoribus perpetuo carceri damnentur;

Qui eorum aliquem noverit, denuntiet aut Episcopo, aut inquisitori. N. O. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud s. Petrum die X martii P. a. III, a. D. 1623.

LXXI.

Publicatio literae processus, idest censurae et peccata reservata summo Pontifici in Bulla dicta „Coenae Domini„

CLEMENS XIII ad f. r. m.

Incipit *Pastoralis Romani Pontificis vigilantia*, *etc.* (2).

Per has literas singulis annis publicandas in die, quae anniversaria Dominicae coenae commemoratione solemnis est, excommunicantur:

1. Haeretici cuiuscumque sectae, eorumque fautores, nec non legentes, et imprimentes eorum libros, item et schismatici.

(1) B. M. t. 3. p. 498. B. R. t. 5. p. 1. p. 97. C. C.
(2) Ib. v. 1. p. 128.

2. Singulae personae, et universitates, seu collegia cuiuscumque nominis (quae interdicto tantum subiiciuntur) a mandatis summ. Pontificum pro tempore existentium ad futurum concilium appellantes, nec non eis auxilium, consilium, vel favorem praebentes.

3. Omnes piratae, cursarii, latronesque maritimi mare Pontificiae ditioni conterminum discurrentes, nec non eorum fautores, receptores, defensores.

4. Naufragorum bona in quaecumque regione subripientes.

5. Nova pedagia, seu gabellas imponentes, vel augentes absque Apostolicae Sedis licentia.

6. Falsificantes literas apostolicas, easque falsa publicatione auctorantes.

7. Arma, et auxilium praebentes christiani nominis inimicis.

8. Omnes impedientes, seu invadentes eos, qui victualia, aliaque ad usum Romanae curiae deferunt.

9. Persecutores eorum, qui ad Apostolicam Sedem veniunt, vel ab ea recedunt, vel in Romana curia commorantur. Similiter et ii, qui iurisdictionem ordinariam, vel delegatam sibi usurpaverint.

10. Ii, qui peregrinos Romam devotionis causa pergentes quoquo modo molestaverint.

11. Hostiliter offendentes S. R. E. Cardinales, caeterosque ecclesiastico gradu praeminentes, nec non mandantes, auxilium, consilium, aut favorem praebentes.

12. Offendentes personas ad Roman. curiam recurrentes pro suis negotiis, vel illorum causas quomodocumque defendentes.

13. Appellantes a gravamine, vel futura executione literarum apostolicarum ad laicam potestatem.

14. Temere evocantes a delegatis Sedis Apostolicae aliisque iudicibus ecclesiasticis causas beneficiales, et spirituales; item et impedientes executionem literarum apostolicarum, aliarumque expeditionum iudicum supradictorum.

15. Iudices saeculares, qui personas ecclesiasticas trahunt ad sua tribunalia; item et publicantes ordinationes, et pragmaticas ecclesiasticae libertati praeiudiciales, eisque utentes.

16. Impedientes Ecclesiarum praelatos, aliosque iudices ecclesiasticos ne sua iurisdictione utantur; item et recurrentes ad curias saeculares ad eludenda iudicia fori ecclesiastici, nec non auxiliantes, consiliarii, etc.

17. Usurpantes, et sequestrantes fructus bonorum ad S. Sedem, et Ecclesias spectantium.

18. Imponentes collectas, decimas, talleas, et alia onera personis ecclesiasticis, eorumque bonis, nec non fautores et auxiliatores.

19. Iudices saeculares, qui se interponunt in causis criminalibus contra personas ecclesiasticas.

20. Occupantes almam Urbem, aliasque provincias, civitates et loca ad Romanam Ecclesiam pertinentia iurisdictionemque usurpantes.

Sanctitas Sua decernit et mandat, ut praedictae sanctiones effectum suum sortiantur usque ad novam publicationem a se, aut alio Pontifice pro tempore faciendam; ut a censuris, ut supra, latis nemo (excepto mortis articulo) absolvat nisi sum. Pontifex, quod si quispiam temere absolvat, sit ipse excommunicatus; ut omnes locorum Ordinarii semel saltem in anno in Ecclesiis suis has literas solemniter publicent; ut singuli praelati et animarum curam exercentes has literas penes se retineant, diligenter legant, eisque studeant.

Sequuntur consuetae clausulae derogatoriae et comminatoriae.

Dat. Romae apud s. Petrum die 12 aprilis 1759.

LXXII.

Contra clericos negotiatores.

CLEMENS XIII universis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis.

Incipit *Cum primum, etc.* (1).

Quum accepisset sum. Pontifex plures ecclesiasticos officii sui immemores negotiationi vacare, huiusmodi corruptelam de medio tollendam

(1) B. R. cont. Prati, 1843, v. 1. p. 248.

esse duxit. Quapropter locorum Ordinarios commonet, ut debitam observantiam sacrorum canonum, decretorum Apostolicae Sedis, nec non synodalium statutorum ab omnibus ecclesiasticis sibi subiectis exigere, ac reipsa obtinere curent.

In quo munere duo praecipuo cavenda esse monet. Primum: ne per interpositam personam, aut ex charitatis officio erga coniunctos, clerici in illicitis se immisceant negotiationibus. Alterum: ne pravis legum canonicarum interpretationibus locus detur. Idcirco in dubio de licitudine contractus ad S. Sedem recurrendum erit pro definitione quaestionis.

Si contingat, ut ecclesiasticorum quispiam negotiationi vacet ad consulendum *non suae* (quae excusatio numquam rata habebitur), sed coniunctorum indigentiae, a poenis et censuris in clericos negotiatores latis haudquaquam immunis erit, nisi opportunam dispensationem vel a S. Sede pro Italia et insulis adiacentibus, vel respective ab Ordinario loci pro remotioribus regionibus impetraverit. Quae quidem dispensatio non aliter concedenda erit quam sub conditione, quod adductae causae veritati nitantur, et simul constet praedictas indigentias nulla alia ratione levari posse, et modi honestiores, iusta moderatione servata, clerico dispensationem petenti praescribantur, et facultas obtenta ipso iure revocata censeatur, quoties allegatae coniunctorum indigentiae cessaverint.

Etiam quoad bonorum suorum administrationem, in distractione fructuum, animalium, et coeterorum, quae in propriis, vel Ecclesiae fundis enascuntur, nec non in comparandis rebus sibi, vel fundorum culturae necessariis clerici singulari prudentia se gerere debent, ne huius saeculi curae omnino dediti appareant. Idcirco locorum Ordinarios adhortatur, ut huiusmodi clericorum cupiditatibus, tum opportunis decretis, tum salutaribus poenitentiis et censuris occurrant. Quam quidem vigilantiam sum. Pontifex omnino requirit quoad Ecclesiasticos, qui laicorum servitio, vel eorum curandis negotiis pro temporali et vili mercede se addicunt.

Ne autem clerici praetextu indigentiae ad illicitam negotiationem alliciantur, praecipit sum. Pontifex, ut ad sacros Ordines nemo promoveatur, nisi vero potitus sit patrimonio iuxta synodales et dioecesanas constitutiones.

Denique mandat Episcopis, ut ad vitae ecclesiasticae instituta clericos et Sacerdotes in saecularibus et illiberalibus negotiis occupatos revocent; utque possint libere et salutariter inordinata quaeque corrigere et reformare, statuit, nullum imposterum a quolibet Romanae Curiae officio indultum concessum iri, nisi auditis Ordinariorum relationibus, et adiectis eidem indulto formulis et conditionibus, per quas integrum Episcopis relinquatur arbitrium de illius executione.

D. Romae apud S. M. Mai. die 17 septemb. 1759.

LXXIII.

De uniformi fidelium instructioni in catholica fide.

CLEMENS XIII universis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis.

Incipit, *In Dominico agro, etc.* (1).

Ad amovendum periculum, ne pravae sententiae contra fidei puritatem introducantur, maxime in fidelibus, qui rudiore et simpliciore ingenio pollent, ait Sanctitas Sua toto studio incubuisse summos Pontifices, et praesertim Tridentinum Concilium Romani catechismi evulgationem demandando.

Cuius quidem catechismi ea laus est, I. ut illam doctrinam contineat, quae communis est in Ecclesia, penitus amoto omni periculo erroris; II. ut clare, et aperte populo exponatur.

Deplorat damna, quae obvenerunt ex successiva aliorum catechismorum publicatione, unde duo mala extiterunt: primum, quod sublata fuerit uniformitas in docendo, ita ut fideles haud amplius videantur

(1) B. R. cont. Prati, 1843, v. 1, p. 522.

labii unius; alterum, quod ex diversis methodis ortae sint contentiones, dum alius Apollo, alius Cephae, alius Pauli se dictitat sectatorem.

Quapropter usum catechismi Romani universis christianae reipublicae pastoribus pro unico fidelium pabulo commendat, simulque hortatur, ut idoneos seligant viros pro fidelium eruditione.

Dat. in Arce s. Gandulphi die 14 iunii 1761.

LXXIV.

De auctoritate, quae soli Papae competit commutandi ieiunia in Ecclesia Catholica.

CLEMENS XIII Archiepiscopo Toletano.

Incipit *Et paternus amor, etc.* (1).

Quum Archiepiscopus Toletanus propria auctoritate et inconsulta S. Sede transtulisset ieiunium pervigilii s. Matthiae Apostoli ad aliam diem,

Sanctitas Sua hanc reprobat agendi rationem, simulque ostendit ad solum Romanum Pontificem pertinere ieiunium in universa Ecclesia receptum in alteram diem transferre.

D. Romae die 4 mart. 1762.

LXXV.

De immunitate ecclesiastica seu de clericis non traducendis ad forum laicale in negotiis mixtis.

CLEMENS XIII Episcopo Spirensi.

Incipit *Cum a multo tempore, etc.* (2).

Quum Decanus Capituli Ecclesiae Cathedralis Spirensis causam haberet cum Capitularibus suis iamdiu in Curia Romana agitatam, Capi-

(1) B. R. cont. Prati, 1843, v. 1. p. 621.
(2) Ib. v. 1. p. 724.

tulares illi sub praetextu annexorum temporalium ad consilium Imperiale Aulicum confugerant et a laica potestate postulaverant, ut eamdem causam iudicandam susciperet.

Sanctitas Sua pessimam esse rationem ostendit pro traducendis clericis ad forum laicale exceptionem in medium afferre, quod in causis mixtura insit rerum temporalium, quae in causis fere omnibus intercedere solet.

Quapropter Spirensem Antistitem hortatur, ut sub praetextu mixturae temporalis negotii non sinat clericorum causas ad laicorum iudicia deferri.

Dat. Romae apud S. M. Mai. die 18 decemb. 1762.

LXXVI.

De iure, quod competit Ecclesiae bona temporalia acquirendi.

CLEMENS XIII Carolo Hispaniarum regi.

Incipit *Magnam nobis molestiam, etc.* (1).

Quum accepisset sum. Pontifex in Hispania parari legem prohibentem Ecclesiis futuris facultatibus ditari,

Sanctitas Sua catholicum regem adhortatur, ut ab huius legis condendae proposito desistat: I, quia alienum est a iustitia, ut a fidelium liberalitate excludantur Ecclesiae; II, quia ex hac lege omne damnum fidelibus, qui minus in posterum animae suae quieti et suffragio providere poterunt, nulla autem utilitas regio aerario obventura est, nam ea, praecedentibus pactionibus inter S. Sedem et catholicum regem, bona Ecclesiae, aeque ac si ad laicos pertinerent, publicis vectigalibus et tributis subiiciuntur. Idcirco nulla huic legi aequitas, nullum inde laicis vectigalium, aut tributorum levamen, nullum deinceps maius regio aerario aemolumentum.

Dat. Romae apud S. M. Mai. die 10 iulii 1765.

(1) B. R. con. Prati, 1843, v. 2, p. 1010.

LXXVII.

De illicita et iniusta laicae potestatis immixtione in Ordinum regularium reformatione.

CLEMENS XIII Patriarchae, Archiepiscopis et Episcopis in ditione reipublicae Venetae.

Incipit *Ad plurimas acerbitates, etc.* (1).

Legem pro reformandis Ordinibus regularibus a senatu reipublicae Venetae latam reprobat sum. Pontifex, simulque declarat regularium Ordinum in ea ditione prolabentiam ex eo repetendam esse, quod in regularium regimine se immiscuerit laica potestas, ex quo factum fuit, ut legitimi superiores et ipsamet Apostolica Sedes subnascentibus malis convenientia remedia aptare nequiverint.

Et quia in primo eiusdem legis capite regularium Ordinum exemptio tollitur, qui et episcopali subiiciuntur iurisdictioni,

Sanctitas Sua Patriarcham, Archiepiscopos, Episcoposque Venetos admonet, ut ab exercenda huiusmodi iurisdictione caveant, utpote quae ab iis demandata, qui tali facultate carent, sed ea dumtaxat utantur, quam Tridentina Synodus sanxit. Eos demum adhortatur, ut Ecclesiae pareant, quae in generali Lateranensi Concilio quinto regularium privilegia statuit, et Episcopis commendavit.

Dat. Romae apud S. M. Mai. die 1 octob. 1768.

LXXVIII.

Damnatio constitutionis editae pro clero Gallicano.

PIUS VI Episcopo Aleriensi.

Incipit *Cum populi istius, etc.* (2).

Sum. Pontifex monet Episcopos, universumque populum Galliarum de non amplectenda constitutione civili edita pro clero Gallicano sub poena

(1) B. R. cont. Prati, 1843, v. 2. p. 1472.
(2) Ib. t. 6. p. 2324.

schismatis; item literarum Apostolicarum exemplar mittit, in quibus iuramentum civile praestitum ab ecclesiasticis eiusdem regni damnatur.

Dat. Romae apud s. Petrum 13 apr. 1791.

LXXIX.

Damnatio iuramenti civilis praestiti ab ecclesiasticis regni Galliarum et reprobatio nonnullarum electionum, et consecrationum Pseudo-episcoporum.

PIUS VI S. R. E. Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, Capitulis, clero, et populo Galliarum.

Incipit *Charitas quae, etc.* (1).

Exponit sum. Pontifex, se regem Christianissimum hortatum fuisse, ne civilem cleri constitutionem confirmaret. Regem nihilominus confirmasse et efflagitasse a S. Sede primo, ut quinque, deinde ut septem saltem articulos illius constitutionis adprobaret. S. Sedem Gallorum Episcoporum votum exquisisse, qui, quatuor dumtaxat dissidentibus super centum triginta et uno, constitutionem reprobarunt. Conventum Nationalem decretum edidisse, ut omnes tum primi, tum secundi ordinis pastores iuramentum emitterent de servanda constitutione, et refragantibus per vim etiam expulsis, licitum esset districtis municipalibus ad novorum Episcoporum et parochorum electionem procedere, qui a Pseudo-episcopis a directorio delectis institutionem et confirmationem reciperent. Episcopatum Gallicanum, datis literis pastoralibus, huiusmodi civica iuramenta tamquam periuria et sacrilegia damnasse, omnesque consequentes actus, tamquam schismaticos, pro nullis, irritis, gravioribusque censuris obnoxiis habendos esse declarasse. Quinque tamen Episcopos et perpaucos secundi ordinis pastores iuramentum praestasse, et sacrilegas manus ad pseudo-electorum consecrationem admovisse.

(1) B. R. cont. Prati, 1853, t. 3. p. 2225.

Declarat sum. Pontifex civilem cleri Gallicani constitutionem in pluribus decretis haereticam esse, in aliis vero sacrilegam et schismaticam, et minitatur eos omnes tamquam schismaticos ab Ecclesia seiungere, qui vel essent huiusmodi constitutionis auctores, vel eidem iuramento adhaererent, qui in novos pastores praeficerentur, et qui ab illis consecrarentur.

Reprobat agendi rationem Episcoporum Augustoduni, Babylonis, et Liddae, qui impio ausu Pseudo-episcopos consecraverant. Item Episcopum Liddae confutat scribentem, per civilem cleri Gallicani constitutionem, *disciplinae tantum meliorem formam induci, eamque ad priorum saeculorum puritatem converti in ea praesertim parte, in qua populo electiones, amoto clero et Metropolitanis, institutiones, consecrationesque redduntur*; simulque demonstrat, iurisdictionis conferendae potestatem non penes Metropolitanum, sed penes Apostolicam Sedem unice residere, ita ut Romanus Pontifex ex muneris sui officio pastores singulis Ecclesiis praeficiat, neque ulla consecratio legittima sit, nisi ex Apostolicae Sedis mandato (Trid. sess. 24 cap. 1 de reformat.).

Idcirco Episcopum Liddae schismaticum, et pastoralis officii invasorem renuntiat: ecclesiasticos, qui praestitum iuramentum ad normam constitutionis civilis intra 40 dies non retractaverint, suspensionis censura plectit: Pseudo-episcoporum electiones et consecrationes damnat: ipsos Episcopos consecrantes et adsistentes suspensos declarat: sacrilege electis, ne ulla iurisdictionis, vel ordinis potestate fungantur prohibet, eosque omnes, qui ordinationem ab hisce Pseudo-episcopis receperint suspensionis vinculo obstringit.

Ad maiora autem mala praecavenda auctoritate apostolica decernit, omnes electiones ad cathedrales, et parochiales Ecclesias imposterum faciendas ad normam constitutionis civilis irritas omnino esse, illegitimas et sacrilegas: omnes electos et consecratos, omnesque eligendos et consecrandos a sacerdotali et episcopali ministerio esse suspensos, a qua quidem suspensionis poena per neminem, nisi per sum. Pontificem, aut per eos, quos Apostolica Sedes delegaverit, possint absolvi.

Tandem consecrantes, cathedralium et parochialium invasores, auctores, fautoresque civilis constitutionis enixe hortatur, ut ad ovile regrediantur. Quod si facere recusent, minitatur eos anathemati subiiciendos, et tamquam schismaticos universae Ecclesiae denunciandos iri. Item Episcopos fideles, Capitula Canonicorum, parochos, aliosque ministros sedulo monet, ut firmi in fide a recto tramite numquam deflectant, et catholicos omnes regni Galliarum obtestatur, ut invasores omnes, sive Archiepiscopi, sive Episcopi, sive parochi nuncupentur, ita devitent, ut nihil sibi cum illis, praesertim in divinis, commune sit.

Dat. Romae apud s. Petrum die 17 apr. 1791.

LXXX.

Reprobatio constitutionis civilis pro clero Gallicano editae.

PIUS VI S. R. E. Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, praesbyteris, et christifidelibus regni Galliarum.

Incipit *Queste nuove lettere, ecc.* (1).

Congratulatur sum. Pontifex, et laudat S. R. E. Cardinales, Archiepiscopos, qui, quatuor dumtaxat exceptis, persecutionem pati maluerint, quam iniquae constitutioni morem gerere. Item et Canonicos, parochos, aliosque ministros secundi ordinis, qui constantes in fide permanserant. Similiter et eos ex intrusis Episcopis, qui sedem dimiserant, fugam arrepti.

Condolet, quod plures ecclesiastici inferioris ordinis, magna laicorum pars, et praesertim quod Episcopus Augustodunensis fautor praecipuus schismatis, Archiepiscopus Senonensis, et Episcopi Vivariensis et Aurelianensis, quamvis moniti, pertinaciter in errore perduraverint, nec non fere omnibus regni Galliarum Ecclesiis pastores intrusos praefecerint. Similiter quod et hi Pseudo-episcopi intrusi, qui constitutionalium Episcoporum nomine gloriantur et catholicos se esse insimulant, pseudo-parochos sibi similes in Ecclesias parochiales intruderint, unde fit, ut

(1) B. R. cont. Prati, 1843, t. 6. p. 2479.

Ecclesiae auctoritas et disciplina, nec non recta Sacramentorum administratio penitus labefactetur, et corrumpatur.

In tanta rerum perturbatione sum. Pontifex nominatim Episcopos Augustoduni, Babylonis, et Liddae schismatis auctores; Archiepiscopum Senonensem, eiusque coadiutorem, Episcopos Aurelianensem et Vivariensem, qui partem alienae dioecesis usurparunt, altera parte propriae dioecesis dimissa ad normam decretorum Nationalis Conventus; omnes Episcopos consecrantes, adsistentes, intrusos, qui civilem constitutionem acceptaverint; parochos quoque, eorumque vicarios a Pseudo-episcopis in parochias intrusos, qui civicum iuramentum praestaverint; nec non caeteros editae constitutionis auctores et fautores monet, et minitatur, ut si intra sexaginta dies ab hisce datis literis pro secunda monitione canonica valituris, et intra totidem dies immediate decurrentes pro tertia monitione valituros, non resipuerint, se esse excommunicandos certo sciant.

Denique hortatur Episcopos, aliosque Ecclesiasticos inferioris ordinis, ut viribus unitis certent pro domo Dei et salute gregis, caeterosque christifideles, ut a communicando in divinis cum intrusis et refractariis prorsus abstineant.

Dat. Romae apud s. Petrum die 19 martii 1792.

LXXXI.

Monita ad Episcopos Corsicae super reiectionem constitutionis civilis editae pro clero.

PIUS VI Episcopo Alerino.

Incipit *Ove comuni sono gli errori, ecc.* (1).

Quum civilis cleri constitutio ad Corsicae insulam regno Gallico subiectam extensa fuerit, sum. Pontifex exemplar mittit literarum monitoralium sub die 13 aprilis 1791 expeditarum, ut unusquisque Episcoporum insulae, quae muneris sui sunt, adimpleat.

(1) B. B. cont. Prati, 1843. t. 6. p 2500.

Condemnat turpem electionem, et consecrationem Ignatii Guasco in Pseudo-episcopum totius insulae, item et actus iurisdictionis ab ipso exercitos, nec non actus ordinis, administrationem scilicet Confirmationis contra sacr. canonum praescripta ab eodem peractam, ex quibus illegitime ordinatus est ipso facto suspensus ab exercitio ordinis suscepti.

Commendat zelum plurium ecclesiasticorum et Christi-fidelium, qui pro avita fide tuenda probra, et carcerem perpessi sunt; Episcoporum quoque, quorum quatuor ex quinque pro eadem causa exilio multati sunt.

Denique ad Episcopos insulae, eorumque vicarios et Capitula easdem facultates extendit iam pridem Archiepiscopis et Episcopis Galliae concessas.

Dat. Romae apud s. Petrum die 4 apr. 1792.

LXXXII.

Novae literae comminatoriae ad clerum et populum Avenionis, et comitatus Venaisini ne pravas recipiant leges a Conventu Nationali Gallico latas.

PIUS VI clero et populo supradictis.

Incipit *Dum nos iterum, etc.* (1).

Laudat sum. Pontifex eos, qui fideles Deo et Principi permanserunt; gratulatur quod priores literae comminatoriae a se datae die 23 aprilis 1791 effectum suum nactae fuerint; eorum commendat religionem et fidelitatem, qui bonorum iacturam, iniurias, insectationes, exilium, carcerem, ac denique internecionem et mortem ferre maluerunt, quam a fide, et fidelitatem erga S. Sedem deficere.

Reprobat decretum diei 3 martii 1791 a Conventu Nationali editum, vi cuius Pontificia ditio Avenionis, et comitatus Venaisini usurpatur, et regno Gallico adiungitur; ingruentia mala clero et populo eiusdem ditionis praevidet, et deplorat, et, quod nequius est, non solum hominibus sed et sacris imaginibus bellum indicendum esse timet.

(1) B. R. cont. Prati, 1853, t. 6, p. 2506.

Interea, dum ad constantiam clerum, populumque adhortatur, comminatorias literas diei 13 aprilis 1791 iam datas clero et populo Galliarnm ad clerum, populumque Avenoniensem, et comitatns Venaisini extendit, quarum tenore sexaginta dierum spatium pro secnnda, et sexaginta pro tertia monitione praefigitur, quibus sine resipiscentia transactis, excommunicatione plectendos se esse sciant.

Utque salnti animarum consulatur ad Archiepiscopum Avenoniensem caeterosqne Episcopos Pontificiae ditionis easdem facultates extendit iam pridem Archiepiscopis, et Episcopis Galliae concessas.

Dat. Romae apnd s. Petrnm die 19 aprilis 1792.

LXXXIII.

Conventio inter S. Sedem et Gubernium Gallicum pro componendis negotiis ecclesiasticis.

PIUS VII ad futuram rei memoriam.

Incipit *Sanctitas Sua, etc.* (1).

Articuli huius conventionis sunt;

1. Religio catholica libere et cultu publico exercebitur, salvis Gubernii ordinationibus quoad politiam.

2. Novis finibus Galliarnm dioeceses mutuo consensn circumscribentur.

3. Sum. Pontifex a titularibus Galliae Episcopis sedium resignationem obtinebit, qua obtenta Ecclesiis providebitur sequenti modo:

4. Primus consul intra tres menses novos Archiepiscopos, et Episcopos nominabit a sum. Pontifice institutionem canonicam habitnros.

5. Item quoad episcopales sedes in posterum vacantes.

6. Episcopi, antequam munus suum gerendum suscipiant, coram primo consule iuramentum fidelitatis emittent.

7. Ecclesiastici secundi ordinis idem iuramentum emittent coram auctoritatibus civilibus designatis.

(1) B. R. cont. Prati, 1843. t. 7, p. 155.

8. Permittuntur publicae preces in liturgia adhibendae pro incolumitate reipublicae et consulum.

9. Episcopi, consulto Gubernio, novas suae dioecesis paroecias circumscribent.

10. Item ad paroecias nominabunt personas Gubernio acceptas.

11. Permittitur Episcopis, ut unum Capitulum in cathedrali Ecclesia, ut unum seminarium in dioecesi habeant, sine dotationis obligatione ex parte Gubernii.

12. Restituentur Episcopis omnia templa non alienata, et cultui necessaria.

13. Sanctitas Sua pro bono pacis declarat, et permittit, ut emptores bonorum ecclesiasticorum verum et reale eorum dominium habeant.

14. Sustentatio Episcoporum et parochorum a Gubernio suscipitur.

15. Fidelibus permittitur, ut propriis necessitatibus spiritualibus consulere possint per fundationem novarum Ecclesiarum.

16. Sanctitas Sua recognoscit in primo consule eadem iura ac privilegia, quibus iam fruebatur antiquum regimen.

17. Si successor hodierni primi consulis sit acatholicus nova conventio ineunda.

Dat. Parisiis die 15 iulii 1801.

LXXXIV.

De nova circumscriptione dioecesum in republica Gallica.

PIUS VII Archiepiscopis et Episcopis Galliarum.

Incipit *Tam multa, etc.* (1).

Quum ad componenda Ecclesiae negotia in Gallica republica inita fuisset praecedens conventio, quumque vi et tenore art. III eiusdem conventionis omnes Archiepiscopi et Episcopi sedem suam resignare deberent:

(1) B. R. cont. Prati, 1853. t. 7, p. 165.

Sanctitas Sua eos adhortatur ut intra 10 dies literas resignatorias ad se mittant, ut bono Ecclesiae consulere possit.

Dat. Romae apud S. M. Mai. die 15 augusti 1801.

LXXXV.

De eodem argumento monita ad Archiepiscopos, Episcopos, aliosque rectores Ecclesiarum in Gallia super nova distributione dioecesum.

PIUS VII Archiepiscopis, Episcopis, et Ecclesiarum rectoribus praedictis.

Incipit *La Chiesa di G. C. ecc.* (1).

Per has literas nuntiat snm. Pontifex cunctis per Galliam Praesulibns et Ecclesiarum rectoribus conventionem initam a S. Sede cum primo consule, cuins articulos transcribit, dnobus posterioribus praetermissis.

Eosdem admonet, et hortatur, ut ad procurandam Ecclesiae pacem et tranqnillitatem coniunctis viribus secum conferant.

Dat. Romae apud S. M. Mai. die 15 augusti 1801.

LXXXVI.

Confirmatio tractatus initi a plenipotentiariis electis super negotiis ecclesiasticis Galliae.

PIUS VII ad perpetuam rei memoriam.

Incipit *Ecclesia Christi, etc.* (2).

Per hanc Bullam Sanctitas Sua confirmat conventionem initam inter S. Sedem et Gubernium Gallicnm a plenipotentiariis subscriptam sub die 15 iulii 1801, cuius capitula, seu articuli iam supra relata sunt.

Declarat Sanctitas Sua, nolle se paternae suae charitatis esse par-

(1) B. R. cont. Prati, 1843. t. 7. p. 168.
(2) Ib. t. 7, p. 184.

ticipes ecclesiasticos viros, qui in sacris constituti matrimonium attentarunt, vel a proprio instituto desciverunt, quorum saluti spirituali apostolicis literis in forma brevi hac eadem die datis providetur.

Dat. Romae apud S. M. Mai. die 15 septemb. 1801.

LXXXVII.

Suppressio omnium Ecclesiarum tam archiepiscopalium, quam episcopalium in Gallia existentium, et erectio 10 *metropol. Ecclesiarum, et* 50 *episcopalium.*

PIUS VII ad. p. r. m.

Incipit *Qui Christi Domini, etc.* (1).

Pro pace et tranquillitate Ecclesiae Gallicae sum. Pontifex superioribus mensibus conventionem cum primo consule inierat, cuius tenore (art. 2) nova dioecesum circumscriptio, et, caeteris suppressis, erectio decem metropolitanarum, et quinquaginta episcopalium decernebatur, facta prius ab Archiepiscopis et Episcopis titularibus suarum sedium resignatione, quam quidem resignationem Sanctitas Sua ab iisdem titularibus se obtenturum spoponderat. Sed cum multi ex Galliae Episcopis Apostolicis Literis obtemperare renuerent, vel differrent,

Sanctitas Sua, audito consilio plurium W. S. R. E. Cardinalium, assensui praebendo ab Archiepiscopis, Episcopis et Capitulis derogavit, et praesentibus literis suppressit, annullavit, et perpetuo extinxit titulum, denominationem, totumque statum praesentem Ecclesiarum archiepiscopalium et episcopalium, una cum respectivis earum Capitulis, iuribus, privilegiis, praerogativis cuiuscumque generis, praeter decem Ecclesias archiepiscopales, et quinquaginta episcopales, iuxta conventionem servandas, quas de novo constituit, et erexit.

Dat Romae apud S. M. Mai. die 29 novemb. 1801.

(1) B. R. cont. Prati, 1853. t. 7. p. 215.

LXXXVIII.

Conventio inter S. Sedem, et Rempublicam Italicam super negotiis ecclesiasticis.

PIUS VII ad perpetuam rei memoriam.

Incipit *Sanctitas Sua, etc.* (1).

Plenipotentiarii, ex parte S. Sedis Em. Jo. Baptista Card. Caprara, ex parte Reipublicae Italicae civis Ferdinandus Marescalchi, in sequentes articulos convenerunt:

1. Religio Reipublicae erit Catholica, Apostolica, Romana.

2. Nova fiet dioecesium distributio.

3. Supprimendae Sarsinae et Brictinori sedes Episcopales, et duae Abbatiae Asulae et Nonantulae, ea conditione, ut dictae dioeceses aliis conterminis uniantur, et Episcopi et Abbates, nisi forte translati, iuste compensentur.

4. Praeses Reipublicae Archiepiscopos et Episcopos nominabit, quos, ubi Canones non obstent, Sanctitas Sua recognoscet.

5. Archiepiscopi, et Episcopi coram Praeside Reipublicae fidelitatis iuramentum emittent.

6. Item Parochi coram auctoritatibus civilibus.

7. Liberum erit cuilibet Episcopo super rebus ecclesiasticis cum S. Sede communicare.

8. Item clericos instituere, atque ad Ordines promovere quocumque titulo, quos necessarios et utiles suis dioecesibus existimaverint.

9. Servabuntur Capitula Ecclesiarum metropolitanarum, cathedralium, nec non Collegiatarum insignium, et convenienti dotatione fruentur.

Item et mensae Archiepiscopales, Episcopales, Seminaria, fabricae Ecclesiarum metropol., cathedralium, collegiatarum et parochialium.

(1) B. R. cont. Prati 1843, t. 7. p. 475.

10. Seminaria omnino administrabuntur ab Episcopis iuxta formas canonicas.

11. Conservatoria, hospitalia, fundationes charitatis, et alia loca pia regentur a congregatione pari numero Ecclesiasticorum, et saecularium praeside Episcopo.

12. Episcopis reservatur ius conferendi paroecias iis, quos digniores iudicaverint.

13. Episcopus, praeter caeteras poenas canonicas, poterit Ecclesiasticos culpabiles claudere in Seminariis, et in domibus Regularium.

14. Parochus non poterit adigi ad administrandum Sacramentum Matrimonii, obstricto aliquo ex canonicis impedimentis.

15. Nulla fiet ecclesiasticarum fundationum suppressio absque S. Sedis interventu.

16. Acquisitores bonorum ecclesiasticorum haud molestandi.

17. Prohibetur quidquid verbo, factis, vel scriptis tendit ad bonos mores corrumpendos, et ad Catholicae religionis, eiusque ministrorum contemptum.

18. Clericus a quolibet militari servitio erit exemptus.

19. Praeses Reipublicae Italicae iuribus, ac privilegiis gaudebit, quibus iam imperator.

20. Caeterae res ecclesiasticae administrabuntur iuxta Ecclesiae disciplinam. Si quae vero supervenerit difficultas, Sanctitas Sua et Reipublicae Praeses secum conferre sibi reservant.

21. Haec conventio substituitur omnibus legibus, etc. circa res religionis.

22. Utraque pars spondet hanc conventionem sancte servaturam.

Dat. Parisiis die 16 septemb. 1803.

LXXXIX.

Responsa data de consilio selectae congregationis Cardinalium diversis quaestionibus propositis a clero Gallicano.

PIUS VI.

Incipit *Sollicitudo omnium Ecclesiarum, etc.* (1).

Propositae fuerant S. Sedi a clero Gallicano sequentes quaestiones quibus per selectam a Ss. D. N. Papa Pio VI Cardinalium Congregationem responsum fuit ut sequitur.

Quaestio 1. Num fidelibus liceat diebus ferialibus sacrificio Eucharistico assistere celebrato a parocho, aut simplici praesbytero, qui civicum iuramentum emiserint?

Resp. Negative: quia per literas Apostolicas diei 19 martii 1791 quaevis communicatio, praesertim in divinis, cum intrusis et refractariis expresse vetita est.

Quaestio 2. Num fidelibus liceat dominicis, aliisque festis de praecepto diebus Eucharistico sacrificio assistere a praememoratis sacerdotibus celebrato?

Resp. Negative ut supra.

Quaestio 3. Num fidelibus liceat assistere vesperis, quae celebrantur, aliisque publicis precibus, quae recitantur sub directione parochi, aut praesbyteri iurati?

Resp. Negative ut supra.

Quaestio 4. Num absolutionem et communionem quovis anni tempore, praesertim vero tempore Paschali, a parocho iurato petere fidelibus liceat?

Resp. Negative propter eamdem rationem.

Quaestio 5. Num parochum iuratum fideles adire licite possint pro Sacramentis Baptismatis et Matrimonii?

(1) B. R. cont. Prati, 1843, t. 6, p. 2621.

Resp. Negative, excepto, quoad Baptismum, casu extremae necessitatis, in quo non adesset alius valens baptizare.

Quaestio 6. Num catholicis licitum sit patrini munere fungi in Baptismate administrato a parocho, sive praesbytero iurato?

Resp. Negative, ne cum ipso in divinis communicent.

Quaestio 7. Num fidelibus liceat patrini munere fungi in Baptismate collato a parocho intruso?

Resp. Negative, quia esset cooperatio in schismate, imo et adprobatio schismatis.

Quaestio 8. Num mulieribus post puerperium fas sit praesentes se sistere parocho, aut praesbytero iurato, ut benedictionem ab ipso accipiant, quae in Rituali Romano praescripta legitur *pro benedictione mulieris post partum*, itemque missae assistere a parocho, aut praesbytero iurato celebratae?

Resp. Negative ad utramque partem, eo magis, quod nullo adstringuntur praecepto mulieres accipere post partum benedictionem.

Quaestio 9. Num licite fideles in articulo, vel periculo mortis possint absolutionem recipere a sacerdote iurato, et a parocho intruso?

Resp. Non esse improbandam hanc praxim, deficiente quovis alio catholico sacerdote.

Quaestio 10. Num licitum sit sacerdotibus non ieiunis hostias consumare a sacerdotibus catholicis consecratas, ne in manus deveniant intrusorum?

Resp. Affirmative, quoties alius sacerdos ieiunus non adsit, nec alia ratione consuli possit reverentiae iisdem hostiis debitae.

Quaestio 11. Num fidelibus liceat genua flectere coram hostiis consecratis ab intrusis?

Resp. Licere, imo et debere, cum in iis vere, realiter et substantialiter contineatur Corpus et Sanguis una cum Anima et Divinitate D. N. I. C. Catholicis tamen curandum esse, ut hos occursus schismaticorum, cum Sacramentum deferunt, devitent, ne in eiusmodi cultu praestando immisceri se videantur.

Quaestio 12. Quibus poenis subiiciendi sint sive Ecclesiastici, sive laici, qui praestiterunt iuramentum de libertate et aequalitate servanda?

Resp. Non esse locum pro nunc poenis canonicis, cum sum. Pontifex nondum emiserit iudicium super praefato iuramento; monendos tamen esse qui iuramentum praestiterunt, ut consulant conscientiae suae.

Quaestio 13. Quum postulata fuisset a S. Sede pro aliquo ex Vicariis Generalibus dioecesium regni Galliae, et pro aliis simplicibus sacerdotibus facultas, consecrandi Sacra Olea extra tempora, eo quod vel deerat triplex oleum consecratum, vel deerat Episcopus consecrans tam in praesenti, quam in vicina dioecesi.

Responsum fuit: non expedire: 1. eo quod insuetum sit in Ecclesia latina huiusmodi potestate simplices praesbyteri ab Apostolica Sede insigniri; 2. eo quod impossibile non sit triplex oleum ab Episcopo catholico benedictum, si non ex proximis, ex remotis saltem dioecesibus habere; 3. eo quod in Rituali Romano praescribatur: *Si deficere videantur vetera olea, et chrisma aut oleum benedictum haberi non possit, aliud oleum de olivis non benedictum adiiciatur, sed in minori quantitate;* quae quidem regula de singulis additionibus intelligenda est, quamvis consideratis omnibus additionibus simul fiat quantitas maior olei non benedicti (S. Congreg. Concilii die 23 septemb: 1682.).

Dat Romae ex aedib. Vaticanis die 28 maii 1793.

Subscript: F. X. Card. De Zelada.

XC.

Damnatio conventiculi nuncupati Dei liberi muratori *et cuiusvis aliae secretae societatis.*

LEO XII ad p. r. m.

Incipit *Quo graviora, etc.* (1).

Quum clandestinae societates, eae praesentim, quae *de' liberi muratori* o *Francs Massons* nuncupantur, in dies invalescerent, sum. Pontifex eas iterum damnandas esse censuit fretus exemplo et auctoritati Clementis

(1) B. R. cont. Prati, 1843, t. 8. p. 327.

XII, Benedicti XIV, et Pii VII, quorum primus in constitutione *In eminenti* hoc habet:

Damnandas esse, et quidem sub poena excommunicationis sum. Pontifici reservata, omnes societates, vulgo *de' liberi muratori*, aut alia quavis nomenclatura pro idiomatum varietate nuncupatas: 1. quia in iis societatibus cuiuscumque religionis et sectae homines — affectata specie honestatis naturalis contenti — arcto, et impervio foedere inter se consociantur, et quidquid clam operantur, tum districto iureiurando ad Sacra Biblia interposito, tum gravium poenarum exageratione, inviolabili secreto obtegere sese adstringunt: 2. quia in pluribus regionibus memoratae societates per saeculi potestates, tamquam securitati regnorum adversantes, proscriptae et provide eliminatae iam pridem extiterint.

Benedictus XIV in constitutione *Providas*, Clementis XII constitutionem confirmans, causas enumerat, quibus constitutionem praedictam confirmandam esse duxit, quarum prima est, quia in huiusmodi societatibus et conventiculis homines cuiuscumque religionis, et sectae invicem consociantur, unde magna pernicies in Catholicam religionem redundat; altera est arctum et impervium secreti foedus, quo occultantur ea, quae in hisce conventiculis fiunt; tertia est iusiurandum, quo se huiusmodi secreto inviolabiliter servando adstringunt; quarta est, quod huiusmodi societates non minus civilibus, quam canonicis sanctionibus adversentur; quinta est, quod iam in pluribus regionibus saecularium principum legibus proscriptae fuerint; ultima demum, quod apud prudentes et probos viros nomen dantes huiusmodi societatibus pravitatis et perversionis notam incurrant.

Pius VII constitutione *Ecclesiam a Jesu Christo* memoratas societates in Italia, aliisque regionibus longe lateque diffusas esse deplorat, quae licet in plures sectas divisae sint, re tamen in unam coalescunt, et *Carbonariorum* nomine solent plerumque appellari. Hi autem Carbonarii simulant singularem observantiam in Catholicam religionem, et in personam Servatoris D. N. I. C., quem etiam societatis suae magnum Magistrum nefarie audent appellare; severissimo iureiurando pollicentur, se nullo unquam tempore quidquam patefacturos hominibus in socie-

tatem non adscriptis, quod eam societatem respiciat, vel nihil communicaturos cum iis, qui in gradibus inferioribus versantur, quod ad gradus superiores pertineat. Insuper et ex hominibus cuiusquo religionis et sectae coalescunt, idque praecipue spectant, ut magnam licentiam cuique dent religionem, quam colat, proprio ingenio sibi fingendi, indifferentia in religionem inducta; utque Sedem Apostolicam evertant singulari odio pestifera quaeque, ac perniciosa moliuntur. Item quamvis societas Carbonariorum confidenter iactet se a suis sectatoribus exigere, ut charitatem atque omnium virtutum genus excolant, et ab omni prorsus vitio abstineant, tamen libidinosis voluptatibus impudentissime indulget, docetque licere eos interficere, qui datam de secreto, quod supra memoratum est, fidem non servaverint, imo et reges, caeterosque imperantes, quos tyrannos vocant, seditionibus excitatis, sua potestate expoliare. Itaque idem sum. Pontifex omnes hisce societatibus nomen dantes, nec non earum fautores damnat sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae sum. Pontifici reservatae, et mandat omnibus sub eadem poena, ut quos noverint huic societati nomen dedisse, aut aliquo ex criminibus supra memoratis se commaculasse, Episcopis et caeteris ad quos spectat, denuntient.

Leo vero XII praesenti hac constitutione praedecessorum constitutiones, et quidem sub iisdem poenis et censuris confirmans, inquirit, quinam sit harum sectarum status, qui numerus, quae potentia. Deplorat, quod ex incredibili earum numero nova secta coaluerit, quae *Universitaria* dicitur, eo quod sedem babeat in pluribus studiorum universitatibus, in quibus iuvenes a nonnullis perditis magistris in earum sectarum mysteria et nequitiam initiantur, et ad omne scelus informantur.

Dat. Romae apud s. Petrum die 13 maii 1825.



DE HAERESIBUS, LIBRIS, PROPOSITIONIBUS DAMNATIS.

I.

Episcopi Italiae arceant Manichaeos a suis dioecesibus.

LEO I Episcopis per Italiae provincias constitutis.

Incipit *In consortium, etc.* (1).

Significat Italiae Episcopis Pontifex *plurimos* impietatis Manichaeae se in Urbe reperiisse, *vigilantia divulgasse, censura coercuisse;* emendasse quos potuit, alios fuisse perpetuo exilio damnatos; publicasse eorum haereticorum impia dogmata, ut populus sciret, quae evitare deberet; de quibus rebus omnibus Pontifex ideo facit certiores Episcopos, ut a sua dioecesi eos arceant, et populum doceant, quae credere debeat, quae fugere. a. 444.

D. III. kal. febr. Teodosio XVIII et Albino VV. CC. Coss.

II.

Confutatio errorum Priscillanistarum.

LEO I Turibio Episcopo.

Incipit *Quam laudabiliter, etc.* (2).

Laudat Leo Turibium, quod streuue sese opponat Priscillanistarum haeresi, qui *multiplicem faecem commiscuerunt, ut soli totum biberent, quidquid alii ex parte gustassent; per magicarum artium profana secreta religionis fidem, morumque rationem in potestate daemonum, et in effectu siderum collocabant;* nec praemium virtutibus, nec vitiis poenas dabant; namque omnia fatali necessitate contingere putabant; *quiquid enim agitur non esse hominum, sed astrorum.* Hinc dividebant corpus humanum in duodecim partes, quarum singulis tot astra praeficiebant.

(1) B. R. t. 1. p. 30. C. C.
(2) Ib. p. 33. C. C.

Ex quibus falsis opinionibus advertentes Principes enascentia mala, *auctorem, et discipulos plerosque legum publicarum ense prostraverunt.* Dici tamen non potest, quot has haereses, quae cuicumque crimini tam speciosum praetextum obducebant, amplexati sint. Turibius has omnes haereses exposuerat, et Pontifex singulas strictim redarguit.

I. Patris et Filii et Spiritus Sancti unam tantum asserebant esse personam; quod desumpserant a Sabellio, cuius discipuli appellati sunt Patri-passiani, quia si *Filius ipse est qui et Pater, crux Filii Patris est passio.* Quod est contrarium fidei, *quae Trinitatem unitatis sic ὁμοούσιον confitetur, ut Patrem et Filium et Spiritum Sanctum sine confusione indivisos, sine tempore sempiternos, sine differentia credat aequales.*

II. Commenti fuerant *ineptum commentum de processionibus quarumdam virtutum ex Deo, in quo* suffragantur Arianorum haeresi; sed Ecclesias sicut illos, ita detestatur hos, *qui putant Deo id, quod est eiusdem essentiae, defuisse.*

III. Sentiunt Priscilliani cum Samosateno, et Photino, dum asserunt *Unigenitum dici Filium Dei, quia solus sit natus ex Virgine,* quibus opponitur Evangelium, et Symbolum Nicaenum.

IV. Ieiunantes in die Natali Domini et diebus Dominicis, faciunt cum Marcione, Cerdone, et Manichaeis, qui in obsequium solis ieiunant; sed his Ecclesiae traditio, et praxis est opposita.

V. Eorum assertum, animam hominis esse *substantiae divinae, nec naturam hominis distare a natura creatoris,* desumptum a Manichaeis, et a quibusdam philosophis et damnavit Ecclesia, et indigentia hominis, quae quotidie cernitur, satis aperte confutat.

VI. Aiebant, daemonem numquam fuisse bonum, nec esse creatum a Deo, *sed emersisse ex chao et tenebris.* Utramque assertionis huius partem confutat Ecclesia nixa Sacris Litteris, quae docent Deum omnia creasse visibilia et invisibilia, spiritualia et corporalia et vidisse bona, quoad substantiam, fuisse omnia a se creata.

VII. Cum Manichaeis *damnant nuptias, et procreationem nascentium perhorrescunt.* Falsa, et damnata iam est opinio.

VIII. A Manichaeis didicerunt asserrere, corpora hominum, et semina in uteris mulierum esse formata a diabolo; quae opinio refutatur ab illis verbis Iob, *manus tuae fecerunt me, et plasmaverunt me.*

IX. Dicunt *filios promissionis ex mulieribus quidem natos, sed ex Spiritu Sancto conceptos.* Ex quo efficeretur, ut supervacaneum esset Baptisma, si vera esset haec opinio.

X. Errant, cum dicunt animas, quae uniuntur corporibus, fuisse in coelesti regione, et quia aliae minus aliis peccarunt, alias informare stellas splendidiores, alias delapsas in terras ingredi in corpora hominum vel potestate vel doctrina praestantium, vel vilium pro demeritorum qualitate; quo nihil est magis falsum.

XI. Blasphemant dum dicunt *fatalibus stellis animas hominum, et corpora adstringi;* huc referri debet cultus ille, quem necessario praestant multae nationes sideribus. Quo quid absurdius?

XII. Opinantur, a diversis potestatibus gubernari animas et corpora, et pro maiore, vel minore nobilitate partium corporum, quas regunt indunt his potestatibus nomina speciosiora, patriarcharum, praesulum, etc.

XIII. Etiam libros canonicos Sacrarum Scripturarum volunt appellandos esse nominibus horum duodecim patriarcharum, qui corporis partes regunt.

XIV. Corpus pro terrena qualitate delirant teneri sub potestate siderum; *et ideo in Sacris Litteris multa, quae pertinent ad exteriorem hominem, reperiri, ut quaedam sit contrarietas in sacris libris inter divinam et terrenam naturam, et aliud sit quod sibi vindicant animae praesides, aliud quod corporis conditores.*

XV. Scripturas Sacras corruperunt, quosdam apocryphos libros pro canonicis recipiunt, quosdam canonicos reiiciunt.

XVI. Dictinii tractatus secundum Priscilliani dogma conscriptos queritur Turibius legi cum veneratione.

Qui tamen Dictinius Episcopus haeresim abiuravit. Iam Priscillanistas, ait Leo, esse damnatos, cum damnati sint Manichaei, eorum duces. Romani Concilii, quod eos damnavit, exemplar in Hispaniam mittit, ut eo ad illos refellendos utantur, et Episcopos ad vigilantiam excitat,

eos deterrens ab otio, ostendendo, quae enascantur mala a pastorum incuria.

Reprehendit Leo opinionem eorum, qui putabant, Christo ad inferos descendente, eius carnem non fuisse interea in sepulcro, tamquam adversam Sacris Litteris; quae opinio est quaedam consequentia errorum Priscillanistarum negantium Incarnationem Christi. Iubet demum Pontifex, haberi ab Episcopis Hispaniarum, et Portugalliae generale concilium, aut saltem provinciale, ut remedium afferatur his erroribus; Episcopos sentientes cum Priscillanistis, neque volentes se corrigi, vult ab Ecclesiis suis removeri, et a communione fidelium.

D. XII. kal. aug. Alipio, et Ardubure W. CC. Coss. a 447.

III.

Confutatio errorum Nestorii, et Eutychetis.

LEO I Episcopis per Galliam constitutis.

Incipit *Optassemus quidem, etc.* (1).

Optaverat Pontifex professionem fidei in iis, quae spectant ad Incarnationis mysterium, Episcoporum Galliae accipere, ut eam ad Concilium mitteret, sed multa impedierunt, ne eam opportuno tempore acciperet.

Tum paucis iis exponit haeresim Nestorii et Eutychetis, et paucis eam confutat. Ne actum agamus, his exponendis supersedemus.

Tum iis significat eorum falsas opiniones fuisse a Concilio damnatas, et ab eo edoctum quid de hoc mysterio credendum; Dioscorum Alexandrinum Antistitem hos errores sequutum, neque abiurare volentem, a communione fidelium fuisse expulsum. Eos rogat ut de his Episcopos Hispaniae certiores faciant.

Fuit hoc Concilium Chalcedonense, quod eos errores proscripsit.

D. kal. febr. Herculano V. C. Cos.

(1) B. R. t. 1. p. 14. C. C.

IV.

Depositio, et anathematizatio Petri Fullonis Antiochiae Episcopi.

SIMPLICIUS Petro Episcopo Antiochiae.

Incipit *Quoniam pestiferis, etc.* (1).

Petrum Fullonem Antiochiae Episcopum, qui docebat *Trinitatem propter nos crucifixam, et non Christum, dividens Filium sicut Samosatenus, et Nestorius in dualitate Filiorum, unam tantum* in Trinitate personam agnoscens, deposuit, et anathematizat, et a communione fidelium separat eiusdemque poenae omnes eius asseclas vult esse participes Simplicius. Vixit inter annos 467 et 483.

V.

Excommunicatio et depositio a Patriarchatu Constantinopolitano Acacii.

FELIX III Acacio.

Incipit *Multarum transgressionum, etc.* (2).

Acacius Constantinopolitanus Episcopus impia multa patrarat, quae hic Pontifex recenset, haereticos iam damnatos, quia ipse ita instituerat Sanctae Sedi, expulsos a sedibus suis aliis Ecclesiis praefecerat, et clericos damnatos ordinarat; Petri Fullonis decreta Concilii Chalcedonensis violantis, et sepulturam s. memoriae Timothei pariter violantis defensionem susceperat; Episcopos Vitalem, et Mesenum, quos Pontifex miserat ad eiiciendum Fullonem a sua Ecclesia, *chartis sublatis*, carceri manciparat. Ob haec igitur, aliaque crimina, *sacerdotali* (inquit Felix) *honore, et communione catholica, nec non etiam a fidelium numero segregatus, sublatum tibi nomen, et munus ministerii sacerdotalis agnosce,*

(1) B. R. t. p. 52. C. C.
(2) Ib. t. 54. C. C.

Sancti Spiritus iudicio et Apostolica auctoritate damnatus, numquamque anathematis vinculis exuendus.

Coelitus Felix Episcopus Ecclesiae Catholicae urbis Romae subscripsi.
D. V. kal. aug. Venantio V. C. Cos. a. 484.

VI.

Ostendit Acacium iure damnatum a S. Sede Gelasius.

GELASIUS Fausto Magistro.

Incipit *Ego quoque, etc.* (1).

Faustum Magistrum officio legationis fungentem Constantinopoli graviter obiurgat Gelasius, quod cum caeteris Graecis, quorum acerba est obstinatio, consentiat in caussa Acacii. Dicebatur enim Constantinopoli a Pontifice solo damnari Acacium non potuisse. At inquit Pontifex, a Concilio Chalcedonensi damnatus fuit, ut assecla haereticorum ab eo Concilio proscriptorum.

Quamquam etiamsi a sola Sede Apostolica fuisset damnatus, iure esset damnatus.

Nam si a concilio fuisset damnatus, iure esset sententia Graecorum damnatus; multo ergo magis est damnatus, cum sit damnatus a S. Sede, a qua non datur appellatio, sicut datur appellatio a concilio ad S. Sedem.

Ad haec praesules secundae et tertiae sedis, caeterique presbyteri expelli, et damnari potuerunt; *et qui religionis inimicum extitit, expelli non debuit?* Neque vero Sedes Apostolica impetu quodam Acacium damnavit; antequam iudicium proferret, testis est vir illustris Andromachus, quae, qualiaque egerit S. Sedes, ut Acacium ad bonam frugem reduceret.

Concludit demum Pontifex, a quo caussa Acacii debet iudicari? a concilio? at satis declaravit Concilium Chalcedonense reum Acacium,

(1) B. R. t. 1. p. 63. C. C.

cum antesignanos eius opinionum proscripsit. A Graecis? *ut iidem sint inimici, et testes, et iudices?* Restabat ergo sola Romana Sedes, quae iam decidit Acacium a fidelium communione repellendum.

VII.

In idem argumentum de Acacio iure damnato; de praestantia S. Sedis super conciliis.

GELASIUS ad Dardanos.

Incipit *Valde mirati*, *etc.* (1).

Haec quoque Gelasii epistola est de Acacio. Eutychianae enim haeresis fautores garriebant, quasi Acacius communicator eorum haereticorum non esset haereticus, et quia damnatus a concilio non esset iure damnatus. Querelas has, haec dicteria respuens Gelasius ait, hunc fuisse morem in Ecclesia, ut iuxta Scripturas, et traditiones et patres examinaret opiniones, falsasque proscriberet, et eorum sequaces; non opus esse ad damnandum quemlibet sectatorem damnatarum opinionum cogere concilium, ob id ipsum, quod amplectitur damnatam haereticam opinionem, censetur haereticus; synodus damnavit Sabellium, necesse, non fuit, ut viritim omnes eius sectatores damnarentur. Sicut enim Sabellius damnatus est, quia defendit propositiones haereticas, ita quicumque eas opiniones tuentur, sunt haeretici, non secus ac Sabellius, non secus ac si essent nominatim a synodo proscripti. Ita si quis Arii Macedoni, Nestorii errores defenderet, censeretur damnatus ab illis synodis, quae haereticos illos damnarunt. Idem dicatur de Acacio Eutychetis assecla, ac proinde a Chalcedonensi Synodo tacite proscripto; quae certe synodus legitime fuit congregata, legitime acta, ac proinde a S. Sede confirmata.

Quae S. Sedes nullum non lapidem movit, ut ad rectum tramitem Acacium perduceret, missae ad eum litterae, missa legatio, adhibitae

(1) B. M. t. 1. p 7. B. R t. 3. p. 64. C. C.

preces, pollicitationes, minae; omnia frustra. Acacius enim non solum non resipuit, sed peiora patravit. Recusavit se Sedis Apostolicae submittere iudicio. Quo quid aliud ostendit, nisi se reum esse? Innocens enim non refugit aspectum iudicis. Jure ergo, post haec omnia tentata frustra, S. Apostolica eum damnavit; non enim haec tumultuarie, sed ad formam legitimi iudicii acta sunt; a quo iudicio nulla potest esse amplius appellatio; sive sententia S. Sedis praecesserit, sive obsequuta synodum sit. Ita S. Sedes absolvit Athanasium damnatum a synodo orientali, ita damnatum a synodo S. Sedes absolvit Joannem Constantinopolitanum, nullaque interposita fuit ab iis Patribus appellatio. Ita damnavit Dioscorum, quem absolverat Ephesina synodus, eiusque synodi acta proscidit, et synodum Chalcedonensem indixit, a qua damnata fuit Ephesina praedicta synodus. Sicut ergo male actam synodum S. Sedes potest infirmare, itacum bene acta est, a S. Sede confirmatur. Ex quibus omnibus evincitur ideo valere synodos, quia S. Sedis accedit confirmatio. Si ergo Acacius tacito nomine damnatus fuit a synodo legitima, et postea nominatim a S. Sede, ab his iudiciis appellare profecto non potest.

Praeterea aientes, Eutychetem non esse haereticum, sunt haeretici; quia damnant ut iniustam Chalcedonensem synodum, fatentes eum haereticum damnant synodum Ephesinam, quae eum absolvit. Nonnisi ergo haeretici defendunt Acacium, quorum iudicium quanti in Ecclesia valeat, quis non videt?

At suscipientes Chalcedonensem synodum, quae Acacium damnavit, et proinde Acacium damnantes catholici sunt, eorumque est faciendum plurimi iudicium.

Quod si Acacius a synodo non intelligeretur damnatus, mereretur damnationem ob illa omnia infanda quae gessit, praeter ea quae superius allata sunt. Hoc unum sufficiat, Imperatorem Zenonem fassum esse, se egisse quaecumque fecit Acacii consilio. Omnia ecclesiastica iura fuere subversa, in alios Praesulum catholicorum saevitum carceribus, in alios exilio, in alios multis.

Neque leve crimen est, licet Pontifex vixerit, voluisse Acacium *habere praerogativam, quia Episcopus fuerit regiae civitatis.* Imperatores

nonne fuerunt etiam Raveunae, Mediolani, Treviris, Syrmii, quis earum urbium Episcopus ideo primatum praesumpsit? Legat Acacius epistolam Imperatoris Martiani ad Leonem I, audiat Anatolium eiusdem Ecclesiae Antistitem, qui primatum Apostoli Petri Sedi tribuunt iure. Egregia vero merita, quae habet Acacius in Ecclesiam, cum non contentus ipse malis, quae ei inflixit, etiam imperatorem contra eum accenderit, ob quae titulis, et honoribus resplendeat.

Neque demum debuit Pontifex sententiam in Acacium pronuntiandam intimare Orientis Episcopis. Pontifex enim nihil aliud egit, nisi exequi sententiam concilii, et eam Acacio applicare. Quod si ideo quidam Orientis Episcopi eam sententiam improbant, parum refert; plurimi enim, et quidem saniores, eam approbant, approbant omnes Italiae Episcopi.

Rogat in fine Orientales, ut tandem veritati acquiescant, ne ob Acacium a fide deficiant, et hortatur Dardanos, ut de his omnes certiores faciant.

D. kal. feb. Viatore V. C. Cos. a. 495.

VIII.

Hortatio ad Imperatorem Anastasium, ne memoriam mortui Acacii defendat.

ANASTASIUS II Anastasio Augusto.

Incipit *Exordium Pontificatus, etc.* (1).

Anastasius, utitur *consonantia nominis*, ut speret ab Anastasio pacem Ecclesiae dari; non esse conveniens *propter unum mortuum* (Acacium) *diutius tunicam Salvatoris contextam per totum malae sortis pati interitum;* se, ait, fungi legatione pro Christo, dum pacem ab Augusto pro Ecclesia implorat. Rogat itaque imperatorem, *ut Acacii nomen, quod ex multis caussis scandalum Ecclesiae concitavit, speciali appellatione taceatur;* id demerita Acacii mereri. Idcirco ad imperatorem mittit le-

(1) Ib. p. 73. C. C.

gatos Crescouium et Germanum. Rogat ut ad pacem Alexandrinos pertrahat; debere imperatorem obedire Pontifici in iis, quae ad suam, et reipublicae suae salutem spectant.

Caeterum vel baptizati, vel iuxta canones ab Acacio ordinati *nullam portionem laesionis ex nomine Acacii attigerunt. Nam Christus est, qui baptizat Spiritu Sancto et igne.* Acacius ergo, *cuius nomen est reticendum, male bona ministrando sibi tantum nocuit.* a. 496.

IX.

Hortatio ad clerum Syriae, ut fugiant Acacii asseclarum consortium; deque differentia potestatis saecularis, et ecclesiasticae.

HORMISDA presbiteris, diaconis et archimandritis secundae Syriae.

Incipit *Lectis litteris, etc.* (1).

Quot, qualiaque paterentur ab haereticis, fautoribus Eutychetis, Nestorii, Acacii, scripserat clerus Syriae ad Pontificem; qui eos exemplo Christi et Apostolorum ad constantiam in vera fide hortatur.

Hortatur etiam, ut haereticorum consortium fugiant, ut firma teneant decreta conciliorum Nicaeni, Ephesini et Chalcedonensis; eis mandat ut a dyptichis eradant nomina Petri Fullonis et Acacii; neque a cuiusquam mandatis se concuti permittant.

Sciantque duplicem esse potestatem, laicalem, quae res temporales curat, et sacerdotalem, quae ecclesiasticas. Sicut autem nefas esset sacerdotem curare saecularia, ita non decet saecularem velle in ecclesiasticis rebus se immiscere. Cui violentiae resistant. Huius duplicis potestatis ait esse exemplum in Sacris Litteris; Levitae enim soli curabant ea, quae ad Dei cultum spectabant; nec saecularis potestas ea procurabat; viceversa vetiti erant Levitae ea administrare, quae essent saecularia.

D. V. id. feb. P. C. Agapiti V. C.

(1) Ib. p. 79. C. C.

X.

De asseclis Acacii resipiscentibus absolvendis, de Hierosolymitanis, qui debent Romam mittere professionem fidei.

HORMISDA Epiphanio Episcopo Constantinopolitano.

Incipit *Multo gaudio, etc.* (1).

Gratias Deo agit Pontifex de sedatis turbis, quae tamdiu Ecclesiam vexarant. Ita enim insserat imperator.

Jubet ergo Pontifex Epiphanio Episcopo Constantinopolitano, ut eos, qui errarunt, et agnoscunt Concilii Chalcedonensis validitatem, Ecclesiae reconciliet.

Paucis exponit doctrinam de Incarnatione; circa quam cum adeo legitime et synodus deciderit, et Pontifices statuerint, nihil est, quod amplius sit disputationi locus.

Ei significat Hormisda, respondisse Hierosolymitanis, qui si desiderant *unitatem communionis Apostolicae*, iubentur *professionem suam scripto inclytam* legatis apostolicis Constantinopoli existentibus dare, quae Romam ad Pontificem mittatur.

Demum ad instantiam imperatoris ait recepisse Thessalonicenses, *et si impleverint, quod oportet*, iam legatis suis se scripsisse, quid agere debeant. Quid hoc sit, quod ad Thessalonicenses attinet, non exponit.

D. VII. kal. apr. Valerio V. C. Cos. a. 521.

XI.

Refellitur haeresis Pelagiana.

GELASIUS universis Episcopis per Picenum constitutis.

Incipit *Barbaricis hactenus, etc.* (2).

Haeresis Pelagianae tria erant capita: I. parvulos nasci sine peccato originali; II. hos pro hoc peccato, etiamsi illud haberent, damnari non

(1) Ib. p. 82. C. C.
(2) Ib. p. 56. C. C.

posse; III. gratiam ad salutem non esse necessariam, et eam a Deo dari hominibus iuxta eorum merita. Haec capita hic confutare aggreditur Gelasius.

Quod antequam faciat, graviter arguit Episcopos, quorum negligentia factum est, ut tam late hic error serperet, cum debuissent initio statim eum extinguere; quod si ipsi neque voluissent, neque potuissent, saltem ad S. Sedem debuissent confugere, quae nascenti malo remedium attulisset. Ideo autem haec scribit Pontifex, quia quidam senex Seneca ignarissimus omnium has blasphemias asserere non dubitabat.

Ergo ut probarent, infantes peccatum originale non habere, aiebant Pelagius, Julianus, Coelestius et asseclae, videri iniustum tribuere cuiquam illud peccatum, quod propriis actionibus ille non patravit. Jam quis est, qui nesciat infantes rationis usu expertes peccare non potuisse? ad haec, animae infantium, vix a Deo creatae, in corpora in uteris matrum existentia immittuntur; quomodo ergo peccatum habere possunt originale, cum a Deo originem trahant?

At, inquit Pontifex, non advertunt hi, in primis parentibus peccasse totam humanam naturam; quae sicut per eorum peccatum immortalitatem amisit, sic peccatum contraxit; *proinde quidquid isti genitores de suo germine protulerunt, opus quidem Dei est, secundum institutionem naturae, sed non absque contagio illius mali, quod sua praevaricatione traxerunt. Cum Deus liberam condiderit humanam substantiam, etiam apud humanas tamen leges extrinsecus accedens servitus naturaliter eam reddit obstrictam et obnoxiam.* Jam sicut humana substantia *de institutione sincera se rea voluntate pollutam facit*, quid mirum si edat *sobolem naturae suae ex actuum suorum rea voluntate maculosam?* Multa deinde testimonia Scripturarum ad hanc rem facientia affert. Praeterea si peccatum originis infantes non haberent, vana esset Baptismi institutio, vana insufflatio, vana catechizatio, falso Christus dixisset, *qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, qui non crediderit, condemnabitur.*

Æque perversa est altera Pelagii assertio, parvulos sine baptismo decedentes non damnari. Nimis enim aperta sunt illa Christi verba

Joan. 3: *nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non intrabit in regnum coelorum.* Ulterius Christus ait: *qui non manducaverit carnem filii hominis, et biberit eius sanguinem, non habebit vitam in semetipso;* quibus verbis efficitur, ut sit etiam falsum quod Pelagiani dicunt, infantes non damnandos. Sine baptismo enim nemo potest edere Corpus et bibere Sanguinem Christi. *Dicant ergo eos in morte perpetua constitui, si non aestimantur esse damnati. Tollant de medio nescio quem tertium, quem decipiendis parvulis faciant, locum.* In Evangelio enim legimus nullam praeter has esse partem, *dexteram et sinistram.*

Tertium caput refutat Pontifex; non solum homo potest vi suarum virium beatitudinem consequi, sed hanc vim non habet nisi a Deo, et liberum arbitrium, quod habet, ad malum est pronum. Et si arbitrium hoc tendit ad bonum, non aliunde hoc habet nisi a morte Christi, solus Christus *venit quaerere et salvare quod perierat*; Deus est, *qui operatur in nobis velle, et perficere pro bona voluntate*; et tantum ab homine est mala voluntas.

Huius tertii capitis alteram partem, nimirum gratiam dari iuxta merita confutat Gelasius pluribus Scripturarum testimoniis, illis praecipue Pauli, *si gratia, non ex meritis: gratia Dei sum id, quod sum; et gratia eius in me vacua non fuit; ut ostenderet quia donum gratiae, non ipse praecesserit, sed fuerit subsequutus, atque monstraret cooperatorem se esse gratiae subsequendo;* demum *non ego, sed gratia Dei mecum.*

Praeter intellectum etiam mores corruptos habebant Pelagiani. Leges enim dabant, *ut servi Dei cum puellis sacris congregatione dedecorosissima miscerentur.* Si enim animus spiritualis etiam sine his consortiis imaginariis infestatur illecebris, quomodo non magis accendetur *alterutrius sexus intuitu? discreta ergo suis habitationibus virorum atque feminarum, sicut sanctum propositum decet, exerceatur circumspecta devotio.*

D. kal. nov. Albino V. C. Cos. a. 493.

XII.

Ad imperatorem ut pacem Ecclesiae servet;
de professione fidei Episcopi Mennae.

VIGILIUS Justiniano Augusto.

Incipit *Litteris Clementiae, etc.* (1).

Ut porro pergat Imperator Justinianus, et fidem alacriter defendat, eum hic hortatur Pontifex, illum admonens, nihil magis prodesse augendis imperiis, quam fidem; *sancti per fidem regna* vicerunt. Jam quae credenda sint, quae repudianda, generalia concilia satis superque indigitasse, sanctumque Leonem in sua epistola ad Flavianum Constantinopolitanum Episcopum scripsisse quae tenenda forent.

Quia vero Episcopus Mennas in libello, *quem ordinationis suae tempore clementiae imperialis consensu porrexerat, sequens revera Apostolicae Sedis disciplinam*, tanquam haereticos anathematizaverat Severum Eutychianum, Petrum Apamenum, Anthimum, qui *etiam Ecclesiam Constantinopolitanam prava ambitione invaserat* Xenoae, Theodosium Alexandrinum, Constantium Laodicensem, Antonium Versentanum, Dioscorum, sententiam huius damnationis confirmat Vigilius, praecipuae cum haec damnatio in haereticos ita sentientes prius inflicta fuerit a conciliis, et approbata postea a S. Sede.

XIII.

Duas esse in Christo voluntates
contra quosdam haereticos probat Martinus.

MARTINUS I Episcopis, presbyteris, diaconis, abbatibus, monachis.

Incipit *Gratia vobis, etc.* (2).

Theodorus quondam Episcopus Phanaritanus, Cyrus Alexandriae, Sergius Constantinopolitanus, vel eius successores Pyrrhus et Paulus *scripto*

(1) Ib. p. 87. C. C.
(2) Ib. p. 115. C. C.

asserunt Christum Dominum minime habere secundum formam servi, vel secundum quod factus est homo, voluntatem aut operationem naturalem, sed sine substantia eum, sine natura, et non solum sine anima, et irrationabilem, et insensibilem secundum eos existere; nam quidquid absque voluntate consistit et operatione, ab omni caret natura substantiali.

Sed cum ii dicant, perfectam caeteroquin Christum humanam naturam habuisse, quomodo perfectam eam habere potuit, si voluntate caruit? Nam *proprietas naturalis nostrae substantiae, consistit essentialis eius operatio et voluntas.*

Praeterea omnes Ss. Patres docuerunt, unitis in Christo duabus naturis, fuisse utrique suam voluntatem, suas operationes.

Neque vero dici potest, eos errasse per inscientiam; Pontifices enim, *synodorum generalitates, Episcopi eos* admonuerunt, ut a perversa haeresi discederent; *sed ii addere peccata super peccata properaverunt, et per impiissimum typum, qui ex maligna instigatione eorum factus est contra fidem a Serenissimo Principe, blasphemarunt humanitatem, et deitatem Salvatoris; definientes in eodem typo neque duas operationes, neque duas voluntates in Christo se confiteri.*

Quare secutus Pontifex praedecessorum vestigia, ne latius haec opinio serperet et inficeret animos fidelium, coëgit Lateranensem Synodum, quae impios negantes in Christo duas voluntates et duas operationes, et impiam ecthesim et typum, *et omnes, qui eos, vel quidquam de his, quae exposita sunt in eis, suscipiunt, aut defendunt,* cum Pontifice anathematizavit.

Monet ergo Episcopos Martinus, ut caveant, ne haec opinio populos suos pervadat, et si aliquis iam infectus est, ut eum ad veritatem reducant. Praecipue advertant, quam sint inter se contraria ecthesis et typus, ut hic illam destruat, illa hunc et arguant inde insaniam horum haereticorum, qui sibi ipsi contradicunt.

Ad orthodoxos demum orationem convertit suam Pontifex, eos admonens, ne se abduci falsis dogmatibus patiantur, sed quam ebiberunt immaculatam fidem conservent, neque novis doctrinis aures praebeant.

XIV.

Deputat Pontifex vicarium Sedis Ap. et quid ille de Monothelitis agere debeat, praescribit.

MARTINUS I Joanni Episcopo Philadelphiae.

Incipit *Fidelis sermo, etc.* (1).

Joannem Philadelphiae Episcopnm vicarium Sedis Apostolicae in Oriente depntat; expositisque illi Episcopi muneribus ex Apostolo 1. Timoth. 3, ei praecipit, nt corrigat praecipne, et visitet Episcopos, presbyteros, et diaconos, qui subsnnt Ecclesiis Hierosolymitanae et Antiochenae. Eos, qui abrepti fuernnt haeresi Monothelitarum, si resipiscant, dentque libellos de ortodoxa fide et de abiurato falso dogmate, *confirmet in proprio ordine.*

Mandat, ut *despuat importunas litteras et minas Macedonii, ut rabidi canis latratum, qui falso Episcopatus nomen sibi affinxit*; ita agat et de Petro in Episcopum Alexandriae electo ab haereticis, ut eo tamquam patrono nterentur ad defendendas suas erroneas sententias, qnos iam dicit nominatim fuisse anahematizatos a sancta Lateranensi Synodo, cuius decreta ait se mittere ad enm per quosdam nuntios, quae ipse pnblicabit, ut unusquisque cognoscat errores eorum haereticorum, et errores et haereticos fugiat, et haeretici confundantnr. Ad haec strenue peragenda Joannem hortatur.

XV.

Depositio, et anathematizatio Pauli Episcopi Thessalonicensis, quod faverit Monothelitis.

MARTINUS I Paulo Thessalonicae Episcopo.

Incipit *Dominus, ac Deus, etc.* (2).

Quam dedeceant peccata gravissima Episcopnm, initio statim ostendit Pontifex Paulo Episcopo Thessalonicensi. Et tamen haec peccata pa-

(1) Ib p. 118. C. C.
(2) Ib. p. 120. C. C.

travit Paulus, cum edidit litteras suas synodales, per quas aperte opponitur catholicae fidei veritati. Correctus bis, terque ut resipisceret, noluit parere; evocatus Romam ad se purgandum, ire recusavit. Imo a catholica fide abduxit apocrisarios Sedis Apostolicae. Ergo statuit facere Pontifex, quod monet Divus Paulus, *publice peccantem publice argue.* Ergo illi indicit, *a die prima mensis novembris* ind. VIII, *qua die missas ab eo litteras accepit* Pontifex, se eum condemnavisse; *et quoad ea, quae synodaliter gesta ab eo sunt, et quae ante, vel postea scripsit cum iis omnibus, qui quomodocumque vel sine scripto illi patrocinantur, aut ea scripta* defendunt, anathematizare; idque ait se facere Pontifex, *primum quidem propter haerentem in his scriptis absurditatem reprehensibilium duodecim capitum, quae iam privato scripto Pontifex ei nota fecerat*; *deinde quod in iis impium dogma Monothelitarum confirmat*; tum quod in *secundo synodali* anathematizat quaecumque Pontifex cum Lateranensi Synodo sanxit.

Eum propterea anathematizatum *deponit ab omni sacerdotali dignitate et ministerio in Sancta Dei Catholica et Apostolica Ecclesia, quod sine ulla praetermissione omnia,* quae a Lateranensi Synodo *sancita sunt ac definita, scripto* confirmet, et revocet quaecumque scripsit, et confiteatur in Christo duas voluntates, duas operationes divinam et humanam fuisse.

Eum in fine monet, ut meminerit primum mandatum esse *recte credere in Jesum Christum;* pietatem esse initium sapientiae; tantum cognoscat iniquitatem suam in Deum; cognitio haec ad poenitentiam eum impellet.

XVI.

Clerum et populum Thessalonicensem, depositum esse Paulum Episcopum, monet Martinus.

MARTINUS I Clero et populo Ecclesiae Thessalonicensis.

Incipit *Universitatis opifex, etc.* (1).

I. Paulum mutatum de pastore in lupum, et eum, qui debuerat fieri forma gregis sui, factum fuisse scandalum et petram offensionis, dolet Martinus.

II. Tum clero et populo Thessalonicensi exponit quae, qualiaque, et quam patienter egerit Apostolica Sedes, ut eum a suis erroribus abduceret; cui ipse scripta opposuit impia et scelesta; ut apocrisarios S. Sedis in errorem abduxerit, ut fuerit anathematizatus et depositus a sua sede.

III. Clerum ergo et populum monet cum Isaiae verbis c. 25, *recedite inde, pollutum nolite tangere;* ne pareat amplius Paulo, ut detestetur eius opiniones; sed credat, quae quinque generales Synodi de Jesu Christo vero Deo et homine, homine cum humana perfecta voluntate et operatione, Deo cum divina perfecta voluntate et operatione docuerunt.

IV. Interim synaxis ministerium iubet fieri in ea Ecclesia per presbyteros et diaconos, *qui diligenter et acceptabiliter rectam Catholicae Ecclesiae doctrinam suscipiunt.*

XVII.

Gregorius probat Leoni Isauro imperatori non esse idolatriam venerari sacras Imagines.

GREGORIUS III Leoni Isauro imperatori.

Incipit *Litteras vestras, etc.* (2).

Litteras a Leone imperatore acceptas, ait Pontifex, se posuisse *in limine Confessionis s. Petri,* ubi diligenter servabantur et aliae praede-

(1) Ib. p. 713. C. C.
(2) R. R. t. 6, p. 137. C. C.

cessorum imperatorum. Jam primordia eius regni fuerant vere catholica, at progressu temporis *post annos decem regni* inciderat in eam opinionem, ut putaret idololatras, qui sacras venerentur imagines; et alios quamplurimos in hunc errorem induxit; dictus propterea fuit Iconoclasta, hoc est imaginum osor; unde postea haeresis, a qua per has litteras conatur Pontifex eum abducere, quae revera sacerdotali libertate exaratae sunt.

Eum ergo reprehendit, quod sapientes in hac re non consuluerit, quod ad Sanctam Sedem non confugerit, quae et auctoritate Scripturarum et Ss. Patrum in rectum tramitem eum deduxisset, et sex Synodorum testimonia ei exposuisset.

Sed *necesse habemus*, inquit, *crassa tibi et indocta scribere, ut indoctus es et crassus; per Deum te obtestamur, ut arrogantiam deponas et superbiam, qua circumfluis.*

Deus ergo, cum inhibuit Hebraeis manufacta adorare, cum in terram promissionis pervenerint, inhibuit, eos adorare muta animalia expressa auro, argento, ligno, qualia Palestinae populi venerabantur. Caeterum idem Deus super arcam foederis voluit poni Cherubim et Seraphim, et artifices Bezeleel et Elial benedixit; etenim haec signa erant ad gloriam et ad ministerium Dei, ut sunt apud catholicos. Nonne ergo accenduntur fideles, dum pictum vident Filium hominis pro nostra salute operantem ea, quae Evangelistae eum egisse narrant?

Jam antiquissima est traditio in Ecclesia, Christum fuisse depictum, Joannem, Stephanum dum lapidabatur. *Cum Hierosolymis ageret Christus Auganus* (vel Abgarus), *qui rex Edessenorum erat, et audisset miracula Christi, scripsit ad Christum, et Christus manu propria ad eum rescripsit et gloriosissimam faciem suam misit.* Ne ergo idololatriam dicat venerari sacras imagines Leo.

Advertat imperator, quot in errorem induxit partim praemiis, partim minis; et hoc consideret, si non sumus idololatrae, cum dicimus *Jesu Christe Fili Dei succurre nobis, sancta Dei Genitrix intercede pro nobis, sancte Stephane pro nobis ora*, neque erimus tunc, cum Christi, eiusque matris, eorumque martyrum depictas imagines venerabimur.

Sed sic imperator ad Pontificem scripserat; *Ozias* (4 reg. 38.) *rex Iudaeorum post octingentos annos serpentem aeneum e templo eiecit, ego vero post annos octingentos ex Ecclesiis idola eieci.* Egregium, respondet Pontifex, vero virum, quem Leo imitetur. Uterque sacerdotum osor, uterque in Deum iniuriosus; ille destruxit serpentem, quem Deus iusserat in deserto erigi, qui venturum Christum praesignabat, *quem David cum Arca sancta in templum invexerat*; Leo tot imagines comburens et destruens mira ad virtutes excitamenta populo sustulit.

Multo minus malum esset, si haereticus esset imperator, quam imaginum persecutor et destructor. Nam haereticus non multis est notus; deinde eius haeresis non ab omnibus intelligitur, sed a doctis tantum. Leo adurens imagines ab omnibus cernitur, docti, indoctique, pueri etiam et femellae, quae oculos habent, norunt eum male agere.

At habebat Germanum Patriarcham Constantinopolitanum, quem et probitas, et aetas (attingebat enim annum nonagesimum quintum) et longus rerum usus (*inservierat siquidem singulis Patriarchis, et imperatoribus*) commendabat. Neglexit talem virum Leo, et adhaesit improbe illi Ephosio Apsimari filio.

Non ita se gessit Constantinus Junior, qui videns mala in Ecclesiam serpere ad Pontificem scripsit, ut synodum generalem cogeret, cui praesedit ipse non ut imperator, sed ut unus ex illis.

At etiam ego, inquit Leo, concilium expostulavi. Vanum fuisset, respondet Pontifex, illud cogere. Nam tum, cum Leo exposcebat concilium, saltem dum illud cogeretur, debebat abstinere manus a destructione imaginum, praecipue cum iam saepe Pontifex illi scripsisset, ut iis parceret; tum praecipue quemdam *Jovinum Spatharo* misit *ad Chalcopratia, qui everteret imaginem Crucifixi, ubi multa miracula fiebant;* sed bene habuit; scelestus enim ille dum Christi faciem securi proscindebat, *attracta scala mulieres illuc affluentes eum necarunt;* imo statuam imperatoris illic positam everterunt et redegerunt in frusta.

Mittam, inquit imperator, satellites Romam, qui Constantinopolim ducant Gregorium, sicut ductus fuit Martinus I et carceri emancipabo; cui respondet Pontifex; *ad quatuor et viginti stadia in regionem* Ca-

paniae secedet Pontifex, tum tu vade, ventos persequere. Imitetur Constantinum, qui Martinum comprehendi iussit: exitus Constantini, qui excommunicatus interfectus fuit, manet et Leonem; se autem, si comprehendatur, sperare exitum Martini, aeternam gloriam.

Hortatur eum denuo, ut a sacrilego in sacras imagines bello abstineat; ei significat, se Septetum ire ad baptizandum, *qui in interiori occidente est*; expectat ab imperatore litteras, et quidem tales, quales maxime cupit. a. 730.

XVIII.

In idem argumentum.

GREGORIUS III Leoni Isauro imperatori.

Incipit *Accepimus vestri*, *etc.* (1).

Significat Gregorius, se accepisse litteras Leonis, sed quas accipere noluisset; intellexisse se enim ex iis, adhuc in impio dogmate perseverare. Ut eum ab hoc errore avertat, ait, se proferre illi doctores Ecclesiae Orientalis, tres Gregorios, Basilium, Chrysostomum, proferre exempla maiorum imperatorum, Constantini Magni, Theodosii Magni, Valentiniani Magni, Constantini, Justiniani patris, qui omnes paruerunt Romanis Pontificibus, neque a recto tramite recesserunt.

Praeterea quid sunt Ecclesiae, in quibus ornamus altaria, super quibus immolamus? Quid calices, nisi manufacta?

Ad haec diiudicare, an imagines (sunt enim res Ecclesiae) sint destruendae, nec ne, ad Pontificem spectat, non ad imperatorem.

Fuse differentiam hanc inter imperatorem et Pontificem explicat Gregorius; arma, supplicia, carceres minantur imperatores et reis infligunt; Pontifices ieiunia, obedientiam: minae, verba, milites comitantur imperatorem; preces, admonitiones adhibent Pontifices.

Haec omnia valeant apud Leonem; agat poenitentiam, revertatur a via mala. Legat antiquas historias, invenietque, neminem se ad iter accinxisse, quin aliquam sacram imaginem secum adferret; sacrae imagines etiam ad concilia deferebantur.

Resipiscat ergo, et meminerit, Deum esse iustum remuneratorem. a. 730.

(1) Ib. p. 140. C. C.

XIX.

Laudat Galliae Episcopos, quod detexerint Petri Abaelardi errores, eosque damnat Pontifex.

INNOCENTIUS II Henrico Senonensi, Reinaldo Rhemensi Archiepiscopis, eorumque suffraganeis, et Bernardo Claraevallensi Abbati.

Incipit *Testante Apostolo, etc.* (1).

Exemplis probat Pontifex, quod Christus dixit, *portas inferi non praevalituras contra suam Ecclesiam*, ita revera esse.

Utcumque enim fallaces, vafrique haeretici fuerint, semper tamen eorum errores fuerunt detecti et damnati, et ordine incipiens a Nicaena Synodo usque ad suam aetatem, Pontifex ostendit vigilantiam Episcoporum, Ecclesiae sedulitatem in exstirpandis ab agro Domini enati malis seminibus.

Ita suis temporibus evenisse, ait Innocentius, ad quem Galliae Episcopi perniciosam doctrinam magistri Petri Abaelardi miserant.

Gratulatur tamen Ecclesiae, quod in Galliae Episcopis suscitavit Deus ardorem illum in profligandis Petri erroribus, quem iam indiderat Ecclesiae antiquis pastoribus, ita ut clare appareat, Christum sponsam suam Ecclesiam numquam deservisse, nec vero deserturum esse unquam.

Coëgerunt enim Galliae Episcopi Senonensem Synodum, et in ea Petri doctrinam perniciosam damnarunt.

Horum exemplum, zelumque sequens Pontifex de consilio Episcoporum Cardinalium *Petri dogmata sanctorum canonum auctoritate damnat eique tamquam haeretico perpetuum silentium imponit;*

Universos quoque erroris sui sectatores, et defensores a fidelium consortio sequestrandos et excommunicationis vinculo innodandos esse censet.

Datum Laterani XII cal. augusti anno 1140.

(1) Ib. p. 250. C. C.

XX.

Mandat ut includantur carcere separatim Petrus Abaelardus et Arnaldus de Brixia Pontifex.

INNOCENTIUS II Sansoni Rhemensi, Henrico Senonensi Archiepiscopis, et Bernardo Abbati Claraevallensi.

Incipit *Per praesentia, etc.* (1).

Mandat Innocentius praedictis Archiepiscopis et Abbati, *quatenus Petrum Abaelardum et Arnaldum de Brixia, perversi dogmatis fabricatores et Catholicae fidei impugnatores, in religiosis locis, ubi eis melius visum fuerit, separatim faciant includi, et libros erroris eorum, ubicumque reperti fuerint, igne comburi.*

Datum Laterani XVII cal. augusti anno 1140.

XXI.

Mandat omnibus, ut fugiant consortium Arnaldi de Brixia, Pontifex.

EUGENIUS III Universo clero Romano.

Incipit *Fallax et invidus, etc.* (2).

Multi Capellani sequentes errorem Arnaldi de Brixia, *Cardinalibus et archipresbyteris suis obedientiam et reverentiam promittere et exhibere debitam contradicebant.*

Per praesentia ergo mandat et praecipit Eugenius, ut omnes Arnaldum tamquam schismaticum modis omnibus devitent;

Monens, *quia tam officio, quam beneficio ecclesiastico aliter facientes redderet prorsus alienos.*

D. Brixiae idibus iulii a. 1148.

(1) B. R. t. 2, p. 30. C. C.
(2) Ib. p. 39. C. C.

XXII.

Errores quidam quarumdam feminarum damnantur.

BONIFACIUS VIII ad p. r. m.

Incipit *Saepe sanctam, etc.* (1).

Dogmatizabant feminae quaedam in quibusdam conventiculis diurnis nocturnisque, se quoque habere potestatem clavium absolvendi et ligandi in confessione.

Se quoque posse habere characterem sacerdotalem, se quoque per impositionem manuum dare Spiritum Sanctum,

Efficaciores esse illas orationes, quae fiunt a nudatis toto corpore;

Fidelibus operari manibus non licere;

Mulieres se se invicem desponsant;

Mares autem nudi huiusmodi sectae damnatae feminas antecedunt.

Inter hos et has quidam ex Ordinibus apostatae interveniebant.

Pontifex hos omnes errores tamquam haereticos damnat et proscribit;

Damnat eos praedicantes et eos credentes.

Committit inquisitoribus fidei, ut hos inquirant, in eos, in receptores, in fautores tanquam in haereticos procedant, sint cuiuscumque gradus, conditionis, sexus; leges a Friderico contra haereticos statutas observent.

D. Anagniae cal. aug. P. a. II, a. D. 1296.

XXIII.

Confutantur ii, qui spiritum libertatis defendebant.

CLEMENS V Raynerio Episcopo Cremonensi.

Incipit *Dilectus Domini, etc.* (2).

In nonnullis Italiae partibus, tam Spoletanae provinciae, quam etiam aliarum circumiacentium regionum nonnulli Ecclesiastici regulares et

(1) B. R. t. 3, p. 2, p. 81. C. C.

(2) Ib. p. 135. C. C.

saeculares, *et utriusque sexus homines* in eam iverant opinionem, ut crederent, *licere sibi quod libebat*, quem ipsi appellabant *libertatis spiritum*, trahentes ad id corfirmandum multa testimonia Apostoli aientis, nos esse liberos, *Christum nos donasse libertate*, falso interpretantes haec verba. Sed hi, qui ita sentiunt, sunt dediti vitiis omnibus, inde mirum non est, eos id dicere, quo aliquo modo sua vitia excusent, vel leviora reddere curent.

Sed cur non legunt huiusmodi homines quod Apostolus ad Galatas scribit; *vos in libertatem vocati estis, ne libertatem in occasione carnis detis?*

Contra hos in spiritu invectus est s. Iudas in sua Canonica dicens *quosdam transtulisse in luxuriam gratiam Dei.*

Quam ergo iactant isti, non est libertas; peccare siquidem est diabolo servire; servare se ab immunditiis, cum timore Dei vivere, haec est libertas, hoc est vere regnare.

Episcopo ergo Cremonensi mandat Clemens, ut contra quoscumque tam foeda labe infectos procedat, nulla habita ratione dignitatis et personarum et sexus.

Vere poenitentes benigne excipiat *sub modis et forma, iustitia mediante.*

In alios obstinatos animadvertat severe, invocato ad id, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescat.

D. Avenione cal. apr. P. a. VI, a. D. 1312.

XXIV.

Errores Bizochorum et Beguinorum refellit Pontifex.

JOANNES XXII Patriarchis, Archiepiscopis, etc.

Incipit *Gloriosam Ecclesiam, etc.* (1).

Pulcherrimum Ordinem a b. Francisco de Assisio institutum, adeoque utilem Catholicae Fidei, multi pseudo-fratres variis nominibus appellari Bizochi, Beguini, Fraticelli deformarunt, damnosumque reddere sunt conati.

(1) B. M. l. 1. p. 160. C. C.

Curavit hos reprimere Clemens IV ac proinde mandavit generali Magistro Ordinis eos coercere;

Sed acrius insurrexerunt sub pontificatu Clementis V, variasque proponendo quaestiones, ostenderunt se quid maius corde fovere.

Eos tamen Clemens iussit parere superioribus suis, et contumaces repressit.

Ex his tamen nonnulli contra Apostolica decreta in Siciliam recesserunt, et novum Ordinem instituere conati sunt, cui praefecerunt quemdam Henricum de Cena dicti Ordinis apostatam, ministros provinciales, custodes, guardianos elegerunt, quasdam domos usurparunt, mutarunt habitum.

Errores etiam disseminare inceperunt, quorum aliquot recenset Pontifex.

I. Duas dicebant esse Ecclesias, carnalem unam divitiis oppressam, cui praeerat Romanus Pontifex; spiritualem alteram in frugalitate fundatam, quibus praeerant ipsi.

Quorum errorem refellit iam Apostolus cum inquit, *ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius.* Et sicut in area sunt paleae cum grano mixtae, ita in Ecclesia sunt boni malis commixti, perfecta autem Ecclesia, in qua nihil est coinquinatum, est illa sursum; at haec quoque perfecta est, si caput eius inspiciatur, quod est Christus, si leges, quae continentur in Evangelio.

II. Docebant sacerdotes, aliosque ministros facultate carere administrandi Sacramenta, confessiones audiendi, populum instruendi, quia scilicet sunt perfidi; se autem, quia iustos se iactabant, *quia spiritualis sanctitas in se est,* solos posse Sacramenta ministrare.

Quem errorem populus ipse sic perhorruit, ut eos dignos censeret, quos vitaret et odio haberet; scit enim quilibet de populo, hanc potestatem fuisse in Christo, ab ipso in Apostolos, ab his in praelatos Ecclesiae fuisse derivatam, et per successionem legitimam Romanorum Pontificum perdurare in Ecclesia perduraturam usque ad consummationem saeculi.

III. Asserebant, sicut Waldenses, nunquam licitum esse iuramentum.

Sed Dominus, *qui iuravit*, exemplo suo, Paulus itidem, *qui iuravit* exemplo quoque suo satis abunde eos confutant, ostenduntque licere interdum iurare.

IV. Docebant, sacerdotes legitime etiam ordinatos ob quaedam crimina Sacramenta conficere non posse; quod ex eodem venenato Waldensinm fonte hauserunt.

Qnos redarguunt sancti Patres, cum dccent in sacramentis non ministros operari, sed in virtutem Spiritus Sancti nihil nocere malitiam ministrorum; ubi bonus est iudex.

V. Asserebant *Evangelium Christi in se solos hoc tempore esse completum.*

Sed errorem hunc, quem a Manichaeis desumpserunt, redarguit promissio Christi, qui pollicitns est numquam Ecclesiae suae defuturum; qui ait, se missurum Spiritum Sanctum, quem misit, qui doceret veritatem, cuius charitas diffunderetur in corde fidelium per baptisma renatorum.

Multos errores effutiebant contra sacramentum Matrimonii, de cursu temporum, de fine saeculi, de adventu Antichristi; quos, quia partim proscripti ab Ecclesia fuere, partim satis est eos proferre, ut derideantur, non refellit Pontifex.

Pontifex rogavit Fridericum Trinacriae regem, ut eas compesceret, et eorum superioribus traderet; quod rex cum iussisset fieri, illi id praesentientes, inde abiere diversi.

Mandat itaque Pontifex omnibus Christi-fidelibus, ut ubicumque eos repererint, capiant, tradantque superioribus.

Cassat et irritat quaecumque ipsi patrarunt pro institutione novi Ordinis.

Vult eos examinari de fide, inventosque reos, nisi errores abiurent, vult iuxta vim legum puniri.

Non obstantibus quibuscumque privilegiis, indultis, appellationibus, etc.

D. Avenione X cal. febr. P. a. II, a. D. 1318.

XXV.

Iubet Pontifex, ut capiantur omnes Fraticelli, fautores, etc.

BENEDICTUS XII Archiepiscopo Ebredunensi, et Episcopo

Anagnino in spiritualibus Urbis vicario.

Incipit *Dudum ad audientiam, etc.* (1).

Licet Fraticelli, seu fratres de paupere vita, a S. Sede proscripti fuissent, et data inquisitoribus facultas contra eos procedendi, tamen eorum congregatio adhuc vigebat.

Ut penitus extingueretur, committit supradictis et inquisitoribus, ut hos persequantur.

Ut eorum perceptores, fautores inquirant, et puniant per censuras Ecclesiasticas.

Praecipue cum fundata fuerit congregatio sine licentia Sedis Apostolicae, et pravos errores docebant. *Non obstantibus, etc.*

Datum Avenione IX kal. iulii, P. a. II, a. D. 1336.

XXVI.

Praelati Siciliae iubentur punire colentes cineres Fraticellorum.

GREGORIUS XI Archiepiscopis et Episcopis in insula Siciliae.

Incipit *Molesta significatio, etc.* (2).

Multi in Sicilia diabolica fraude decepti Fraticellorum cineres colebant, iis erigebant altaria, eorum anniversarium diem devote celebrabant.

Mandat itaque Pontifex Ecclesiae Siculae praelatis, ut hos coerceant per Ecclesiasticas poenas, etiam invocato brachio saeculari.

Non obstantibus, etc.

D. apud Villam Novam dioec. Aven. id. sept. P. a. II, a. D. 1372.

(1) Ib. p. 240. C. C.
(2) Ib. p. 350, C. C.

XXVII.

Damnatur opinio Marsilii de Padua et Ioannis de Ianduno, suprematum esse in imperatore, non in Papa.

IOANNES XXII Episcopo Vigorniensi.

Incipit *Certum processum, etc.* (1).

Quemdam librum, quem duo *maledictionis alunni* Marsilius de Padua et Ioannes de Ianduno Fratres MM. de observantia s. Francisci ediderant, scilicet suprematum esse in imperatore (tunc erat Ludovicus Bavarus), non in Papa, damnat Ioannes.

Errorem hunc multi alii etiam defendebant, quo nihil est magis veritati Evangelicae oppositum.

Excitatus Pontifex a praelatis multis, ut hunc perniciosum errorem damnaret, damnat et rationes eorum, qui hoc dicebant, refellit.

I. Ergo illi, Christus solvit tributum Caesari; ita eruitur ab Evangelio.

Sed hoc Christus fecit *non adstrictus, sed ut evitaret* scandalum.

Saltem ex hoc convincitur res Ecclesiae esse subiectas Caesari.

At cum non adstrictus, sed ut evitaret scandalum *staterem* solverit Christus, non elicitur res Ecclesiae subiectas esse imperatori.

II. Aiebant, divum Petrum plus auctoritatis non habuisse, quam alii Apostoli habuerint, nec Christum ullum sui vicarium in Ecclesia reliquisse.

Horum errorem confutat Christus ipse cum dixit Petro, *pasce oves meas*; *super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.*

Hoc sensit magnus imperator Constantinus.

Christus inquit se rogasse pro Petro; Petro iussit, ut confirmaret fratres suos; soli Petro inquit *pasce oves*, soli Petro *duc in altum*, et aliis discipulis *laxate retia*; ex quibus colligitur Petrum habere primatum inter alios discipulos, ac proinde plus auctoritatis.

III. Asserebant ad imperatorem spectare eligere Pontificem, illum deponere, illum punire.

(1) B. M. p. 3. vel t. 9. p. 167.

Sed illius est eligere Pontificem, qui pontificatum instituit. Cum ergo Christus illum instituerit, ad eum spectat electio.

Non ita censuit Constantinus, qui secessit Roma, ut Pontifex ibi regnaret, indignum ducens, ibi esse, ibi imperare, ubi Christi vicarius imperaret.

Iam tantum abest, ut imperator praesit Pontifici, ut imperium in Occidente instituerit Pontifex. Et catholici imperatores a Pontifice petierunt confirmationem.

Quod si quidam imperatores in electione Pontificis quaedam egerunt, ii prolapsi erant in haereses; interdum etiam rogati hoc negotium susceperunt, ut electio Pontificum esset libera, nemoque eam perturbare posset.

Probat id Pontifex exemplis petitis ab historia.

IV. Effutiebant etiam omnes in Ecclesia Pontificem, praelatos Ecclesiarum, simplices sacerdotes *ex institutione Christi esse aequalis auctoritatis et iurisdictionis.*

Sed quis nescit distinctionem fuisse inter duodecim Apostolos, et septuaginta duos discipulos?

Quis nescit, in qualibet urbe esse maiores, esse minores? esse qui pareant, esse qui imperent?

In corpore esse membra nobiliora, esse minus nobilia? Iam Ecclesia est corpus, erit ergo caput quod est Pontifex, erunt digniora membra Patriarchae, Archiepiscopi, etc. erunt et minus nobilia, tales sunt sacerdotes simplices.

Neque ad probandam hanc aequalitatem satis est dicere omnes sacerdotes, et Episcopos, et Pontificem iisdem verbis conficere idem Corpus Christi; oportet ostendere aequam potestatem omnibus aliis in rebus, quam nunquam huiusmodi blaterones ostendent.

V. Negabant in Ecclesia esse vim coactivam; et quam habet, dicebant eam habere ab imperatore.

Nae errant gravissime hi homines ita dicentes. Habet enim Ecclesia arma sua spiritualia (nec enim defendenda est more castrorum), quibus coerceat malos, habet censuras; neque hanc potestatem habet ab im-

peratoro, sed a Deo, testante Christo, in Ecclesia esse potestatem ligandi, potestatem solvendi.

His erroribus ita confutatis, ait Pontifex, se anno proxime praeterito citasse die Coenae Dominicae ad suam praesentiam Marsilium et Ioannem, horum errorum auctores et propugnatores, audituros sententiam.

Cum non comparuerint, eos haereticos declarat, quia in suis erroribus contumaces, quia communicantes cum Ludovico Bavaro, se imperatorem dicente. Hanc sententiam mandat publicari, etc.

Fautores, receptores eorum excommunicat. N. O.

D. Avenione X kal. nov. P. a. XII. a. D. 1327.

XXVIII.

Iubet Gregorius Ioannem Vicleff capi.

GREGORIUS XI universitati studii Oxoniensis.

Incipit *Mirari cogimur, etc.* (1).

Admonitus Gregorius quos errores per Angliam doceret Ioannes Vicleff rector Ecclesiae de Lurtevorth Lincolniensis dioecesis, ne malum latius serpat, mandat universitati Oxoniensi, ut eum capi faciat, captumque tradat Archiepiscopo vel Cantuariensi, vel Lincolniensi;

Neque permittat, quemquam eos errores defendere, et defendentes coarguat et impugnet.

D. Romae apud S. M. Mai. XI kal. iunii, P. a. VII, a. D. 1377.

XXIX.

Damnatio operum Ioannis Wicleff.

IOANNES XXIII ad p. r. m.

Incipit *In generali*, etc. (2).

Libros Ioannis Wicleff, dialogos, et trialogos, aliosque variis sub nominibus continentes multa haeretica dogmata, multosque errores de sententia Concilii (Constantiensis) damnat Ioannes.

(1) Ib. p. 208.

(2) B. R. t. 3. p. 2. p. 416, C. C.

Iam prius voluit, eos examinari per viros doctos, professores theologiae et utriusque iuris;

Eos vult comburi publice;

Vetat illos legi, retineri, doceri;

Vult Episcopos procedere tanquam contra haereticos in defensores Wicleffi doctrinae, quos citat, ut reddant rationem suae fidei.

Nulli ergo, etc. Si quis, etc.

D. Romae apud s. Petrum IV non. feb. P. a. III, a. D. 1413.

XXX.

Errores Ioannis Wicleff, Ioannis Husz, Hieronymi de Praga.

MARTINUS V Archiepiscopis, Episcopis, inquisitoribus, etc.

Incipit *Inter cunctas, etc.* (1).

Episcoporum negligentia factum esse constat, ut in nonnullis regionibus, in regno Bohemiae praecipue, et in marchionatu Moraviae disseminarentur opiniones erroneae Ioannis Wicleffi de Anglia, Ioannis Husz de Bohemia et Hieronymi de Praga. Si enim initio statim praelati auctores horum errorum comprehendissent, non adeo pertinuissent longe lateque perversa dogmata.

Quare Constantiense Concilium hos damnavit haereticos, eorum libros comburi iussit, interdixit fautoribus, et asseclis eos defendere, eorum libros legere et retinere.

Ut autem error omnis eradicetur, mandat Martinus omnibus Ecclesiae praelatis, ut infectos hac labe tamquam haereticos ducant et canonicis poenis submittant;

Quas poenas extendant in fautores, receptores et consiliarios eorum.

Principes hortatur, ne desint in tanto periculo Ecclesiae, sed eiiciant e regnis suis haereticos, sed auxilium praelatis et inquisitoribus praebeant ad illos coercendos et puniendos.

(1) B. M. t. 1. p. 288. B. R. t. 3. p. 2. p. 419, C. C.

Mandat, negari sepulturam Ecclesiasticam his, confiscari eorum bona; suspectos autem, neque se purgare volentes, tamquam haereticos haberi.

Tum ut sciant Episcopi et inquisitores, qui sunt Wicleffi errores, eos constitutioni subnectit, quos ut lectorum honestae curiositati satisfaciamus, de verbo ad verbum transcribemus.

TENOR ARTICULORUM JOANNIS WICLEFF.

1. *Substantia panis materialis, et similiter substantia vini materialis remanent in Sacramento altaris.*

2. *Accidentia panis non remanent sine subiecto in eodem Sacramento.*

3. *Christus non est in eodem Sacramento identice et realiter in propria praesentia corporali.*

4. *Si Episcopus vel sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non consecrat, non conficit, non baptizat.*

5. *Non est fundatum in Evangelio, quod Christus missam ordinaverit.*

6. *Deus debet obedire diabolo.*

7. *Si homo fuerit debite contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua et inutilis.*

8. *Si Papa sit praescitus et malus, et per consequens membrum diaboli, non habet potestatem super fideles sibi ab aliquo datam, nisi forte a Caesare.*

9. *Post Urbanum VI non est aliquis recipiendus in Papam, sed vivendum est more Graecorum sub legibus propriis.*

10. *Contra Scripturam Sacram est, quod viri ecclesiastici habeant possessiones.*

11. *Nullus praelatus debet aliquem excommunicare, nisi prius sciat eum excommunicatum a Deo; et qui sic excommunicat, sit ex hoc haereticus vel excommunicatus.*

12. *Praelatus excommunicans clericum, qui appellavit ad regem, vel ad concilium regni, eo ipso traditor est regis et regni.*

13. *Illi, qui dimittunt praedicare, sive audire verbum Dei propter excommunicationem hominum, sunt excommunicati, et in Dei iudicio traditores Christi habebuntur.*

14. *Licet alicui diacono, vel praesbytero praedicare verbum Dei absque auctoritate Sedis Apostolicae, sive Episcopi catholici.*

15. *Nullus est dominus civilis, nullus est praelatus, nullus est Episcopus dum est in peccato mortali.*

16. *Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ecclesia possessionatis delinquentibus habitualiter, id est ex habitu, non solum actu.*

17. *Populares possunt ad suum arbitrium dominos delinquentes corrigere.*

18. *Decimae sunt purae eleemosynae, et possunt parochiani propter peccata suorum praelatorum ad libitum suum eas auferre.*

19. *Speciales orationes applicatae uni personae per praelatos, vel religiosos non plus prosunt eidem, quam generales, ceteris paribus.*

20. *Conferens eleemosynam fratribus est excommunicatus eo facto.*

21. *Si aliquis ingreditur religionem privatam qualemcumque tam possessionatorum, quam mendicantium redditur ineptior et inhabilior ad observationem mandatorum Dei.*

22. *Sancti instituentes religiones privatas sic instituendo peccaverunt.*

23. *Religiosi viventes in religionibus privatis non sunt de religione Christiana.*

24. *Fratres tenentur per labores manuum victum acquirere, non per mendicitatem.*

« Prima pars est scandalosa et praesuntuosa asserta, pro quanto « sic generaliter et indirecte loquitur; et secunda erronea pro quanto « asserit mendicitatem fratribus non licere. »

25. *Omnes sunt simoniaci, qui se obligant orare pro aliis eis in temporalibus subvenientibus.*

26. *Oratio praesciti nulli valet.*

27. *Omnia de necessitate absoluta eveniunt.*

28. *Confirmatio iuvenum, clericorum ordinatio, locorum consecratio reservantur Papae et Episcopis propter cupiditatem lucri temporalis et honoris.*

29. *Universitates, studia, collegia, graduationes et magisteria in eisdem sunt vana gentilitate introducta, et prosunt Ecclesiae, sicut diabolus.*

30. *Excommunicatio Papae, vel cuiuscumque praelati non est timenda, quia est censura Antichristi.*

31. *Peccant fundantes claustra, et ingredientes sunt viri diabolici.*

32. *Ditare clerum est contra regulam Christi.*

33. *Silvester Papa et Constantinus imperator erraverunt Ecclesiam ditando.*

34. *Omnes de Ordine mendicantium sunt haeretici; et dantes eis eleemosynas sunt excommunicati.*

35. *Ingredientes religionem, aut aliquem ordinem eo ipso inhabiles sunt ad observanda divina praecepta, et per consequens ad perveniendum ad regnum coelorum, nisi apostataverint ab iisdem.*

36. *Papa cum omnibus clericis suis possessionem habentibus sunt haeretici, eo quod possessiones habent, et consentientes eis, omnes videlicet domini saeculares et caeteri laici.*

37. *Ecclesia Romana est Synagoga Satanae, nec Papa est proximus et immediatus vicarius Christi et Apostolorum.*

38. *Decretales epistolae apocryphae sunt et seducunt fideles Christi, et clerici sunt stulti, qui student eas.*

39. *Imperator et domini saeculares sunt seducti a diabolo, ut Ecclesiam ditarent bonis saecularibus.*

40. *Electio Papae a Cardinalibus a diabolo est introducta.*

41. *Non est de necessitate credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias.*

«Error est, si per Romanam Ecclesiam intelligat universalem Ecclesiam, aut concilium generale, aut pro quanto negaret primatum Summi Pontificis super alias Ecclesias particulares.

42. *Fatuum est credere indulgentiis Papae et Episcoporum.*

43. *Iuramenta illicita sunt, quae fiunt ad corroborandum humanos contractus et commercia civilia.*

44. *Augustinus, Benedictus, Bernardus damnati sunt, nisi poenituerint de hoc, quod habuerunt possessiones et instituerunt et intraverunt religiones; et sic a Papa usque ad ultimum religiosum omnes sunt haeretici.*

45. *Omnes religiones indifferenter introductae sunt a diabolo.*

TENOR ARTICULORUM IOANNIS HUSZ.

I. Unica est sancta universalis Ecclesia, quae est praedestinatorum universitas; universalis Ecclesia tantum est una sicut tantum unus est numerus omnium praedestinatorum.

II. Paulus numquam fuit membrum diaboli, licet fecit quosdam actus actibus Ecclesiae malignantium consimilis.

III. Praesciti non sunt partes Ecclesiae, cum nulla pars eius finaliter excidet ab ea, eo quod praedestinationis charitas, quae ipsam ligat, non excidet.

IV. Duae naturae divinitas et humanitas sunt unus Christus.

V. Praescitus, etsi aliquando est in gratia secundum praesentem iustitiam, tamen numquam est pars sanctae Ecclesiae, et praedestinatus semper manet membrum Ecclesiae, licet aliquando excidat a gratia adventitia, sed non a gratia praedestinationis.

VI. Sumendo Ecclesiam pro convocatione praedestinatorum, sive fuerint in gratia, sive non secundum praesentem iustitiam, est isto modo articulus Fidei.

VII. Petrus non est, nec fuit caput Ecclesiae sanctae catholicae.

VIII. Sacerdotes quilibet criminose viventes sacerdotii polluunt potestatem, et sic, ut filii infideles, sentiunt infideliter de septem sacramentis Ecclesiae, de clavibus, officiis, censuris, moribus, caeremoniis et sacris rebus Ecclesiae, veneratione reliquiarum, indulgentiis et ordinibus.

IX. Papalis dignitas a Caesare inolevit: Papae praefectio et institutio a Caesaris potentia emanavit.

X. Nullus sine revelatione assereret rationabiliter de se vel alio, quod esset caput Ecclesiae particularis, nec Romanus Pontifex est caput Romanae Ecclesiae particularis.

XI. Non oportet credere, quod iste, quicumque est Romanus Pontifex, sit caput cuiuscumque particularis Ecclesiae sanctae, nisi Deus eum praedestinaverit.

XII. Nemo gerit vicem Christi, vel Petri, nisi sequatur eum in moribus, cum nulla alia sequela sit pertinentior, nec aliter recipiat a Deo procu-

ratoriam potestatem; quia ad illud officium vicariatus requiritur et morum conformitas et instituentis auctoritas.

XIII. Papa non est verus et manifestus successor Apostolorum, principis Petri, si vivit moribus contrariis Petro; et si quaerit avaritiam, tunc est vicarius Iudae Ischarioth. Et pari evidentia Cardinales non sunt successores veri et manifesti collegii aliorum Apostolorum Christi, nisi vixerint more Apostolorum, servantes mandata et consilia Domini nostri Iesu Christi.

XIV. Doctores ponentes quod aliquis per censuram Ecclesiasticam emendandus, si corrigi noluerit, saeculari iudicio est tradendus, pro certo sequuntur in hoc Pontifices, Scribas et Pharisaeos, qui Christum non volentem eis obedire in omnibus, dicentes, nobis non licet interficere quemquam, ipsum saeculari iudicio tradiderunt, et quod tales sunt homicidae graviores, quam Pilatus.

XV. Obedientia Ecclesiastica est obedientia secundum adinventionem sacerdotum Ecclesiae praeter expressam auctoritatem Scripturae.

XVI. Divisio immediata humanorum operum est, quod sunt vel virtuosa, vel vitiosa: quia si homo est virtuosus et agit quicquam, tunc agit virtuose; quia sicut vitium, quod crimen dicitur, seu mortale peccatum inficit universaliter actus hominis vitiosi, sic virtus vivificat omnes actus hominis virtuosi.

XVII. Sacerdotes Christi viventes secundum legem eius, et habentes Scripturae notitiam et effectum ad aedificandum populum, debent praedicare, non obstante praetensa excommunicatione. Quod si Papa, vel aliquis praelatus mandat sacerdoti sic disposito non praedicare, non debet subditus obedire.

XVIII. Quilibet praedicantis officium de mandato accipit, qui ad sacerdotium accedit: et illud mandatum debet exequi, praetensa excommunicatione non obstante.

XIX. Per censuras ecclesiasticas excommunicationis, suspensionis et interdicti, ad sui exaltationem clerus populum laicalem sibi suppeditat, avaritiam multiplicat, malitiam protegit et viam praeparat Antichristo. Signum autem evidens est, quod ab Antichristo tales procedunt censurae, quas vocant in suis processibus fulminationes, quibus clerus principalissime

procedit contra illos, qui denudant nequitiam Antichristi, qui clerum pro se maxime usurpabit.

XX. Si Papa est malus et praesertim praescitus, tunc, ut Iudas Apostolus, est diabolus, fur et filius perditionis, et non est caput sanctae militantis Ecclesiae, cum nec sit membrum eius.

XXI. Gratia praedestinationis est vinculum, quo corpus Ecclesiae et quodlibet eius membrum iungitur Christo capiti insolubiliter.

XXII. Papa, vel praelatus malus et praescitus est aequivoce pastor, et vere fur et latro.

XXIII. Papa non debet dici sanctissimus, etiam secundum officium, quia alius rex deberet dici sanctissimus secundum officium, et tortores et praecones dicerentur sancti; imo etiam diabolus deberet dici sanctus, cum sit officiarius Dei.

XXIV. Si Papa vivat Christo contrarie, etiam si ascenderet per rectam et legitimam electionem secundum constitutionem humanam vulgatam, tamen aliunde ascenderet, quam per Christum, dato etiam, quod intraret per electionem a Deo principaliter factam: nam Iudas Ischarioth rite et legitime est electus a Deo Christo Iesu ad Episcopatum, et tamen ascendit aliunde in ovile ovium.

XXV. Condemnatio quadraginta quinque articulorum Ioannis Wicleff per doctores facta est irrationabilis et iniqua et malefacta, et ficta est causa per eos allegata, videlicet ex eo, quod nullus eorum sit catholicus, sed quilibet eorum aut est haereticus, aut erroneus, aut scandalosus.

XXVI. Non eo ipso, quo electores, vel maior pars eorum consenserit viva voce secundum ritus hominum in personam aliquam, eo ipso illa persona est legitime electa, vel eo ipso est verus et manifestus successor, vel vicarius Petri Apostoli, vel alterius Apostoli in officio ecclesiastico: unde sive electores bene, sive male elegerint, operibus electi debemus credere. Nam eo ipso, quo quis copiosius operatur meritorie ad profectum Ecclesiae habet a Deo ad hoc copiosius potestatem.

XXVII. Non est scintilla apparentiae, quod oporteat esse unum caput in spiritualibus regens Ecclesiam, quod semper cum ipsa Ecclesia militante conversetur et conservetur.

XXVIII. Christus sine talibus monstruosis capitibus per suos veraces discipulos sparsos per orbem terrarum melius suam Ecclesiam regularet.

XXIX. Apostoli et fideles sacerdotes strenue Domini in necessariis ad salutem regularunt Ecclesiam, antequam Papae officium foret introductum: sic facerent, deficiente per summe possibile Papa usque ad diem iudicii.

XXX. Nullus est dominus civilis, nullus est praelatus, nullus est Episcopus dum est in peccato mortali.

Mittit etiam Pontifex ad Episcopos et inquisitores articulos, iuxta quos suspectos interrogare debeant, quos afferre supersedemus, cum nihil aliud contineant nisi interrogationes aptas ad expositos errores.

Ergo Episcopi et inquisitores haereticos et suspectos de haeresi vocent, iuramentum ab iis postulent eos veritatem dicturos, interrogent iuxta formulam interrogationum, et procedant in utrosque secundum canonicas sanctiones.

Vult has litteras damnationis, exceptis articulis et formulis interrogationum, publicari ad omnium notitiam.

Poenas infligendas haereticis, qui ad fidem redire nolunt, praescribit, confiscationem bonorum, infamiam, etc.

Redeuntes excipiant benigne, abiurata prius haeresi, dataque cautione se illam numquam amplexuros, salutaresque imponant poenitentias.

Non obstantibus, etc.

D. Constantiae VIII cal. martii, P. a. I, a. D. 1418.

XXXI.

Damnatio errorum Nicolai Serurarii.

MARTINUS V Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, etc.

Incipit *Ad hoc, etc.* (1).

Nicolaus Serurarius Ordinis Eremitarum s. Augustini in sacra Theologia magister multos *errores infestos, scandalosos, temerarios et iniuriosos in suis sermonibus* praedicabat.

Hi erant huiusmodi.

(1) B. R. t. 3 p. 3. p. 435. C. C.

I. Charitas est ad Deum et proximum, et non ad se ipsum.

II. Deus non remisit, nec remittere potest culpam peccatori absque praevia contritione.

III. Praesbyteri publici concubinarii non habent auctoritatem, seu potestatem absolvendi peccatorem; et peccator confessus sacerdoti publico concubinario recedit absque absolutione.

IV. Orationes et preces missales talium sacerdotum publicorum concubinariorum sunt nullius valoris, et missae per tales concubinarios celebratae pro defunctis, aut vivis sunt nullius valoris.

V. Oratio non debet dirigi nisi ad Deum solummodo, et non ad sanctos.

VI. Curati dicunt parochianis suis, quod saltem semel in anno parochianus tenetur confiteri suo proprio curato.

VII. Religiosi sunt proprii sacerdotes et veri curati.

VIII. Curati impediunt parochianos suos, ne dent, nec faciant eleemosynas, dona, aut legata mendicantibus et ne dicti parochiani eligant sepulturas suas in domibus eorumdem mendicantium.

IX. Mendicantibus praesentatis, ipsis confessus licite potest recipere Corpus Christi, et non potest, nec debet curatus confessor mendicantibus praefatis denegare Corpus Christi; quod si deneget, dictus curatus peccat mortaliter et est excommunicatus.

X. Statim mortali peccato commisso, peccator sub poena peccati mortalis debet illud confiteri, antequam obliviscatur.

XI. Non est mulieri opus purificari, quin imo hoc scilicet purificari est iudaizare.

XII. Presbyteri publici concubinarii sunt peiores Iuda, qui de loculis Apostolorum nutrivit suam concubinam et suas proles.

XIII. Presbyteri concubinarii sunt excommunicati, et sanctum publice scienter participantes.

XIV. Plures sacerdotes a modico tempore citra licentiaverunt ficte suas concubinas, ficte, inquam, quia occulte bibunt et comedunt cum suis concubinis, quod nullus debet pati, imo cum iisdem sacerdotibus concubinariis publicis conversantes et eos favorizantes sunt in pari peccato, et peccant qui eos nituntur excusare falsis glossis.

XV. Si parochiani alicuius curati concubinarii publici bene Deum diligerent, deberent inhibere suo curato publico concubinario, ne missam, aut aliud divinum officium coram eis parochianis celebraret.

XVI. Facientes celebrare missas per sacerdotes concubinarios publicos peccant mortaliter.

XVII. Audientes scienter missas sacerdotum publicorum concubinariorum peccant mortaliter.

XVIII. In aliquibus sermonibus suis vocavit (Serurarius) obfirmatos et reprobatos, adiiciens ulterius, quod non sine causa presbyteri vocantur ribaldi.

XIX. Deferre honorem feretro b. Antonii est crimen idololatriae.

XX. Illi, qui dant ad comedendum porcis baiulantibus campanulam b. Antonii peccant mortaliter ratione praecedente.

XXI. Multum mirabatur, quomodo praelati sustinebant tale quid, scilicet deferre huiusmodi feretrum per patrias, sicut propter larga denaria, quae a religiosis s. Antonii habebant.

XXII. Deputati ad portandum huiusmodi feretrum non sunt nisi trumpatores et abusatores.

XXIII. Non credebat, quod religiosi praefati super deportatione feretri cum caeteris, quae ibi fiunt, obtinuerunt aliqua privilegia.

XXIV. Hoc faciunt indebite et iniuste populum seducendo.

XXV. Non credebat fore verum, quod habeant illi religiosi indulgentias a Papa pro dando aliquid b. Antonio, seu nuntiis eius, seu porcis portantibus campanulam b. Antonii, addens, quod nunquam aliquis Papa dedit indulgentias pro dando victu animali.

XXVI. Tales religiosi et nuntii ipsorum intulerunt timorem audientibus, et praesertim in villagiis, quod s. Antonius comburet eos, et ideo timore perterriti, si non habeant nisi unum denarium, darent eumdem.

Episcopus Tornacensis iam auctoritate ordinaria coeperat procedere contra Fr. Nicolaum, cum res delata fuit ad Synodum Constantiensem quo citatus, Sede iam vacante, cum venisset, expositas et reprobatas suas doctrinas abiuravit in manu Patriarchae Constantinopolitani, qui primas ibi tenebat.

Patriarcha illi iniunxit in poenitentiam, ut per duos annos teneret se in Conventu Metensi sui Ordinis, nec cum quoquam saeculari conversaretur, si exiret inde, facta potestate Episcopis eum capiendi, subiectusque ut foret relaxatis censuris.

Iam evectus fuerat ad Pontificatum Martinus V, qui audiens a quibusdam ex Ordinibus Menticantibus carpi sententiam Patriarchae, voluit a delegatis ad hoc examinari et causam Fr. Nicolai et sententiam Patriarchae.

Delegati cum renuntiassent Pontifici iuste iudicasse Patriarcham, et ita Nicolaum mereri, sententiam confirmavit, et mandat Praelatis, ut eam publicent, ut ii, qui a Nicolao scandalizati fuerant, aedificentur.

Mandat etiam defensores errorum Nicolai puniri. N. O. etc.

D. Florentiae VIII id. ian. P. a. III, a. D. 1420.

XXXII.

Anima est immortalis.

LEO X ad p. r. m.

Incipit *Apostolici regiminis, etc.* (1).

Disseminatum errorem inter multos *animam esse mortalem et unicam esse in cunctis hominibus,* sacro approbante Concilio, Pontifex damnat et reprobat; cum definitum sit in sacro Viennensi Concilio, *esse vere et esse realiter eam humani corporis formam, verum et esse immortalem, et pro corporum, quibus infunditur, multitudine singulariter multiplicabilem, et multiplicatam, et multiplicandam.*

Sentientes aliter vult haberi haereticos.

Lectoribus philosophiae in universitatibus mandat, ut quoties huiusmodi opiniones contra veritatem religionis catholicae occurrent, auditores moneant, quid de iis sentiat catholica fides.

Iubet etiam, ut nemo philosophiae et poësi operam navet, nisi prius per quinquennium dialecticae et theologiae studuerit.

D. Romae in publica sessione in sacrosancta Lateranensi Basilica solemniter celebrata XIV cal. ian. P. a. I, a. D. 1513.

(1) B. M. t. 3. p. 542. B. R. t. 3. p. 3. p. 393. C. C.

XXXIII.

De libris Lutheri prohibitis et crematis.

LEO X Thomae s. Caeciliae Card. Eboracensi.

Incipit *Cum ad nihil, etc.* (1).

Narrat Cardinali Eboracensi Leo, quomodo Martinus Lutherus plures libros ediderit multorum errorum plenos contra S. Sedem;

Quos libros iussit cremari Leo, vetuit imprimi, legi, teneri domi;

Quomodo mandarit Germaniae Praelatis, ne permitterent Lutherum praedicare; ut eum, sociosque eius per brachium saeculare facerent capi et in carcerem detrudi;

Se scivisse eos libros delatos in Angliam; rogare itaque Cardinalem, ut eos inquirat, eos comburat, idem praecipiat et aliis Episcopis nomine Pontificis. N. O.

D. Romae apud s. Petrum XV cal. maii, P. a. IX, a. D. 1521.

XXXIV.

Errores Martini Lutheri.

LEO X ad p. r. m.

Incipit *Exurge Domine, etc.* (2).

Errores Martini Lutheri praedicatos et typis impressos damnat Leo Bulla hac.

Sunt ii numero unus et quadraginta, quos singillatim recenset Pontifex, eosque ut *haereticos, falsos, deviantes pios christianos a veritate* condemnat, inhibens cuique eos defendere, iis vel tacite, vel expresse assentiri.

Libros praeterea Lutheri vel typis iam datos, vel mandandos damnat, comburique iubet.

(1) B. M. p. 4. vel t. 10. p. 45.

(2) B. M. t. I. p. 610 B. R. t. 3. p. 3. p. 487. C. C.

Inde quae egerit, ut ad viam rectam Lutherum reduceret, exponit. Romam invitavit eum paratus illum illuminare. Lutherus appellavit ad futurum concilium; vocatus rursus renuit, praedicare prohibitus non destitit.

Quem amor iustitiae et virtutis a peccatis non retrahebat, tentavit Pontifex *terrore poenarum deterrere.* In eum ecclesiastica fulmina iecit, nisi intra sexaginta dies, qui erant pro tribus terminis, Martinus, eiusque asseclae a publicatione scripturarum et a praedicatione errorum desisterent.

Is inobediens cum fuerit huic Pontificis mandato, eum, sequacesque eius damnat, ut haereticum.

Iubenturque Praelati et laici, sacerdotes saeculares et regulares, et praecipue Eremitani s. Augustini, e quorum gremio ille erat, illum comprehendere et Romam mittere, quod intellige etiam de eius asseclis, sub poenis, etc.

Urbes, loca, quae illum recipient, interdicit; eisdemque mandat, ut hanc sententiam ad Lutherum pervenire faciant, et hanc damnationem legi, publicari, affigi valvis Ecclesiarum, praecipue Misnensium, Brandeburgensium, Mespurgensium.

Impedientes eius publicationem excommunicationis poena innodentur. N. O. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud s. Petrum XVIII cal. iulii, P. a. VIII, a. D. 1726.

ERRORES LUTHERI EX BULLA VERBO AD VERBUM TRANSCRIPTI.

1. *Haeretica sententia est, sed usitata, sacramenta novae legis iustificantem gratiam illis dare, qui non ponunt obicem.*

2. *In puero post baptismum negare remanens peccatum, est Paulum et Christum simul conculcare.*

3. *Fomes peccati, etiamsi nullum adsit peccatum, moratur exeuntem animam ab ingressu coeli.*

4. *Imperfecta charitas morituri fert secum necessario magnum timorem, qui se solo satis est facere poenam purgatorii, et impedit introitum regni.*

5. *Tres esse partes poenitentiae, contritionem, confessionem et satisfactionem non est fundatum in Sacra Scriptura, nec in antiquis sanctis christianis doctoribus.*

6. *Contritio, quae paratur per discussionem, collationem et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animae suae, ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, foeditatem, amissionem aeternae beatitudinis ac aeternae damnationis acquisitionem, haec contritio facit hypocritam ac magis peccatorem.*

7. *Verissimum est proverbium et omnium doctrina de contritionibus hucusque data praestantius, de cetero non facere, summa poenitentia, optima poenitentia, nova vita.*

8. *Nullo modo praesumas confiteri peccata venialia, sed omnia mortalia, quia impossibile est, ut omnia venialia cognoscas. Unde in primitiva Ecclesia solum manifesta mortalia confitebantur.*

9. *Dum volumus omnia pure confiteri, nihil aliud facimus, quam quod misericordiae Dei nihil volumus relinquere ignoscendum.*

10. *Peccata non sunt ulli remissa, nisi remittente sacerdote, credat sibi remitti: immo peccatum maneret, nisi remissum crederet; non enim sufficit remissio peccati et gratiae donatio, sed oportet etiam credere esse remissum.*

11. *Nullo modo confidas absolvi propter tuam contritionem, sed propter verbum Christi:* Quodcumque solveritis, etc.; *sic, inquam, confide, si sacerdotis obtinueris absolutionem, et crede fortiter te absolutum et absolutum vere esse, quidquid sit de contritione.*

12. *Si per impossibile confessus non esset contritus, aut sacerdos non serio, sed ioco absolveret, si tamen credat se absolutum, verissime est absolutus.*

13. *In sacramento poenitentiae ac remissione culpae non plus facit Papa, aut Episcopus, quam infimus sacerdos: immo ubi non est sacerdos, aeque tantum quilibet christianus, etiamsi mulier, aut puer esset.*

14. *Nullus debet sacerdoti respondere se esse contritum, sed sacerdos requirere.*

15. *Magnus est error eorum, qui ad sacramentum Eucharistiae accedunt huic innixi, quod sunt confessi, quod non sint sibi conscii alicuius*

peccati mortalis, quod praemiserint orationes suas et praeparatoria; omnes illi iudicium sibi manducant et bibunt; sed si credant et confidant, se gratiam ibi consecuturos, haec sola fides facit eos puros et dignos.

16. *Consultum videtur quod Ecclesia in communi concilio statueret laicos sub utraque specie communicandos, nec Bohemi communicantes sub utraque specie sunt haeretici, sed schismatici.*

17. *Thesauri Ecclesiae, unde Papa dat indulgentias, non sunt merita Christi et sanctorum.*

18. *Indulgentiae sunt piae fraudes fidelium et remissiones bonorum operum; et sunt de numero eorum, quae ligant, et non de numero eorum, quae expediunt.*

19. *Indulgentiae iis, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem poenae pro peccatis actualibus debitae apud divinam iustitiam.*

20. *Seducuntur credentes, indulgentias esse salutares et ad fructum spiritus utiles.*

21. *Indulgentiae necessariae sunt solum publicis criminibus, et proprie conceduntur duris solummodo et impatientibus.*

22. *Sex generibus hominum indulgentiae nec sunt necessariae, nec utiles: videlicet mortuis, seu morituris, infirmis, legitime impeditis, his, qui non commiserunt crimina, his, qui crimina commiserunt, sed non publica, his, qui meliora operantur.*

23. *Excommunicationes sunt tantum externae poenae, nec privant hominem communibus spiritualibus Ecclesiae orationibus.*

24. *Docendi sunt christiani plus diligere excommunicationem, quam timere.*

25. *Romanus Pontifex Petri successor non est Christi vicarius super omnes totius mundi Ecclesias ab ipso Christo in b. Petro institutus.*

26. *Verbum Christi ad Petrum:* Quodcumque solveris super terram, etc. *extenditur dumtaxat ad ligata ab ipso Petro.*

27. *Certum est, in manu Ecclesiae, aut Papae prorsus non esse statuere articulos fidei, immo nec leges morum, seu bonorum operum.*

28. *Si Papa cum magna parte Ecclesiae sic, vel sic sentiret, nec etiam erraret adhuc non est peccatum, aut haeresis contrarium sentire, praesertim*

in re non necessaria ad salutem, donec fuerit per concilium universale alterum reprobatum, alterum approbatum.

29. *Via nobis facta est enarrandi auctoritatem Conciliorum, et libere contradicendi eorum gestis, et iudicandi eorum decreta, et confidenter confitendi quicquid verum videtur, sive probatum fuerit, sive reprobatum a quocumque Concilio.*

30. *Aliqui articuli Joannis Husz condemnati in Concilio Constantiensi, sunt christianissimi, verissimi et evangelici, quos neque universalis Ecclesia posset damnare.*

31. *In omni opere bono iustus peccat.*

32. *Opus bonum optime factum est veniale peccatum.*

33. *Haereticos comburi est contra voluntatem Spiritus.*

34. *Praeliari adversus Turcas est repugnare Deo visitanti iniquitates nostras per illos.*

35. *Nemo est certus, se non semper peccare mortaliter propter occultissimum superbiae vitium.*

36. *Liberum arbitrium post peccatum est res de solo titulo, et dum facit quod in se est, peccat mortaliter.*

37. *Purgatorium non potest probari ex Sacra Scriptura, quae sit in canone.*

38. *Animae in purgatorio non sunt securae de earum salute, saltem omnes: nec probatum est ullis aut rationibus, aut Scripturis, ipsas esse nec extra statum merendi, vel augendae charitatis.*

39. *Animae in purgatorio peccant sine intermissione, quamdiu quaerunt requiem et horrent poenas.*

40. *Animae ex purgatorio liberatae suffragiis viventium minus beantur, quam si per se satisfecissent.*

41. *Praelati ecclesiastici et principes saeculares non male facerent, si omnes saccos mendicitatis delerent.*

XXXV.

Martinus Lutherus, eiusque asseclae, quod non resipuerunt, declarantur excommunicati.

LEO X ad p. r. m.

Incipit *Decet Romanum, etc.* (1).

Publicata Pontificis sententia in Lutherum, sequaces, libros, multi intra praescriptos dierum LX terminos redierunt ad poenitentiam, absolutique a nuntiis Pontificiis per Germaniam fuerunt, et plures civitates Martini libros iusserunt comburi.

Martinus et nonnulli alii non resipiscentes per praesentem constitutionem declarantur incurrisse poenas in praecedenti enunciatas;

Urbes etiam, quae illum receperunt, esse interdictas Leo denunciat;

Praelatisque mandat, ut ubique publicari faciant; Martinum et sequaces eius esse excommunicatos, ac proindo vitandos.

Ut sacerdotes eligant ex quocumquo Ordine, qui contra Lutheri errores praedicent. N. O. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud s. Petrum III non. ian. P. a. VIII, a. D. 1521.

XXXVI.

Ad Fridericum Saxoniae Ducem, ut Lutherum deserat, et redeat ad fidem.

HADRIANUS VI Friderico Saxoniae Duci.

Incipit *Satis et plus, etc.* (2).

Quemadmodum Leo X scripserat ad Fridericum Saxoniae Ducem (litterae desiderantur) ut eum induceret ad expellendum Martinum Lutherum, ita scribit eidem Hadrianus.

Multis autem argumentis utitur, ut eum ad id agendum permoveat.

(1) Ib. p. 614. Ib. p. 493. C. C.

(2) Ib. p. 626 B. R. t 4. p 1. p 2. C C.

Maiores Saxones, ex quo Carolus Magnus et Hadrianus I Pontifex fidem Catholicam iis praedicare fecerunt, devoti semper Ecclesiae fuere.

Gregorius V Saxo-electores fecit Saxoniae Duces.

Lutherus in ea regione quae mala non patrat? quae enumerantur.

Lutherus non Apostolorum vitam imitatur, sed agitatur furiis; quae docet? nisi impia. Se solum sapientem facit etiam supra Concilia, quo nonnisi doctissimi et sanctissimi conveniunt; et eo superbiae progressus est, ut se alterum Eliam, alterum Elisaeum, Danielemque iactitet.

Quae illius sensa animi? Christus charitatem, humilitatem docuit; hic arma, hic strages crepat, *ex abundantia cordis os loquitur.*

Quis illo audacior? qui in cathedram ipsam Petri invehitur? in qua certe optimi et doctissimi Pontifices sederunt; de qua tam praeclara testimonia antiquitas protulit.

Si Lutherus est verae Ecclesiae promulgator, cur schismata in illa excitat? quae certe debet esse una.

Sed manus Domini non est abbreviata. Quondam terra deglutivit Core, Datban et Abiron contra Moisem divisiones facere studentes.

Hortatur post haec Ducem, ut ad rectam semitam redeat, imiteturque Paulum persecutorem Ecclesiae, postea defensorem; respiciat praemia proposita poenitentibus; sciat Carolum imperatorem (fuerat eius praeceptor Hadrianus) filium et alumnum suum parare bellum adversus Ecclesiae rebelles.

Scripta Romae a. 1522.

XXXVII.

Laudat Brixienses, quod haereticos expulerint, iubetque perquiri quemdam Ioannem Baptistam Carmelitam haereticum Pontifex.

CLEMENS VII Paulo Zane Episcopo et inquisitori fidei Brixiensi.

Incipit *Placuit intelligere, etc.* (1).

Civitatem Brixiensem laudat Clemens, quae cum audivisset, quosdam in suum territorium confugisse, et Lutheranam haeresim disseminare, tres viros elegerat, qui eos persequerentur, captosque plecterent.

(1) Ib. p. 871. Ib. p. 71. C. C.

Ita faciendum, ait Pontifex, esse Episcopo et inquisitori contra quemdam Ioannem Baptistam Carmelitam, qui erronea praedicavit.

Exploratores mittant huc illuc, testes adhibeant, contra quoscumque infectos procedant; resipiscentes suscipiant; nolentes ad veritatem fidei redire puniant. N. O. *Nulli ergo, etc.*

D. Viterbii die XIII iulii P. a. V, a. D. 1528.

XXXVIII.

Damnatio errorum Michaëlis Molinos.

INNOCENTIUS XI ad p. r. m.

Incipit *Coelestis Pater, etc.* (1).

Michaëlis Molinos sacerdotis Hispani Romae degentis, fulgentis etiam insignis bonitatis fama, directorisque animarum, dogmata et scripta edocta et edita, *praetextu orationis quietis, in maximos errores et turpissima quaeque inducentia damnat Innocentius.*

Damnat libros omnes huius auctoris.

Damnat eos, qui illos legerint, retinuerint, qui omnes, vel aliquas, vel unam ex iis propositionibus docuerint, defenderint.

In vivis erat Molinos et carceribus mancipatus, dum ponderabantur hae propositiones a Cardinalibus et theologis. Die et hora statuta poenitentiae habitum indutus, ductus fuit in Ecclesiam s. Mariae super Minervam, et ibi in alto suggestu (lectis prius eius propositionibus erroneis turpibusque factis) coram Pontifice, Cardinalibus, theologis, et canonistis et Romanae Curiae praelatis, *frequentissimoque populo ad id etiam largitione indulgentiae invitato,* omnes et singulas propositiones abiuravit; *et ob haereses, errores, turpia facta in aliorum exemplum perpetuo carceri damnatus fuit. Nulli ergo, etc.*

Datum Romae apud S. M. Mai. XII cal. dec. P. a. XII, D. 1687

(1) B. M. p. 4 vol. 10. p. 212. B. R. t. 8. p. 441. C. C.

HAE AUTEM SUNT PROPOSITIONES.

1. *Oportet hominem suas potentias annihilare, et haec via interna;*

2. *Velle operari active est Deum offendere, qui vult esse ipse solus agens, et ideo opus est se ipsum in Deo totum et totaliter derelinquere, et postea permanere velut corpus exanime.*

3. *Vota de aliquo faciendo sunt perfectionis impedimenta.*

4. *Activitas naturalis est gratiae inimica, impeditque Dei operationes et veram perfectionem, quia Deus vult operari in nobis sine nobis.*

5. *Nihil operando anima se annihilat et ad suum principium redit, et ad suam originem, quae est essentia Dei, in qua transformata remanet ac divinitata: et Deus tum in se ipso remanet, quia tum non sunt amplius duae res unitae, sed una tantum: et hac ratione vivit Deus et regnat in nobis, et anima se ipsam annihilat in esse operativo.*

6. *Via interna est illa, in qua non cognoscitur nec lumen, nec amor, nec resignatio, et non oportet Deum cognoscere; et hoc modo recte proceditur.*

7. *Non debet anima cogitare nec de praemio, nec de punitione, nec de paradiso, nec de inferno, nec de morte, de aeternitate.*

8. *Non debet velle scire, an gradiatur cum voluntate Dei, an cum eadem voluntate resignata maneat, necne; nec opus est, ut velit cognoscere suum statum, nec proprium nihil, sed debet ut corpus exanime manere.*

9. *Non debet anima reminisci nec sui, nec Dei, nec cuiuscumque rei; et in via interna omnis reflexio est nociva, etiam reflexio ad suas humanas actiones et ad proprios defectus.*

10. *Si propriis defectibus alios scandalizet, non est necessarium reflectere, modo non adsit voluntas scandalizandi; et ad proprios defectus reflectere non posse, gratia Dei est.*

11. *Ad dubia, quae occurrunt, an recte procedatur, necne, non est opus reflectere.*

12. *Qui suum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere, nec de inferno, nec de paradiso: nec debet habere desiderium propriae perfectionis, nec virtutum, nec propriae sanctitatis, nec propriae salutis, cuius spem purgare debet.*

13. *Resignato Deo libero arbitrio, eidem Deo relinquenda est cogitatio et cura de omni re nostra, et relinquere, ut faciat in nobis sine nobis propriam voluntatem.*

14. *Qui divinae voluntati resignatus est, non convenit, ut a Deo rem aliquam petat, quia petere est imperfectio, cum sit actus propriae voluntatis et electionis; et est velle, quod divina voluntas nostrae conformetur; et illud Evangelii: petite et accipietis, non est dictum a Christo pro animabus internis, quae nolunt habere voluntatem; imo huiusmodi animae eo perveniunt, ut non possint a Deo rem aliquam petere.*

15. *Sicut non debet rem aliquam petere, ita nec illi ob rem aliquam gratias agere debet, quia utrumque est actus propriae voluntatis.*

16. *Non convenit indulgentias quaerere pro poena propriis peccatis debita, quia melius est divinae iustitiae satisfacere, quam divinam misericordiam quaerere; quoniam illud ex puro Dei amore procedit, et istud ab amore nostro interessato; nec est res Deo grata, nec meritoria, quia est velle crucem fugere.*

17. *Tradito Deo libero arbitrio et eidem relicta cura et cognitione animae nostrae, non est amplius habenda ratio tentationum, nec eis resistentia fieri debet, nisi negativa, nulla adhibita industria, et si natura commovetur, oportet sinere, quia est natura.*

18. *Qui in oratione utitur imaginibus, figuris, speciebus et propriis conceptibus, non orat Deum in spiritu et veritate.*

19. *Qui amat Deum eo modo, quo ratio argumentatur, aut intellectus comprehendit, non amat vere Deum.*

20. *Asserere, quod in oratione opus est sibi per discursum auxilium ferre et per cogitationes, quando Deus animam non alloquitur, ignorantiae est: Deus nunquam loquitur, eius loquutio est operatio et semper in anima operatur, quando haec suis discursibus, cogitationibus et operationibus eam non impedit.*

21. *In oratione opus est manere in fide obscura et universali cum quiete et oblivione cuiuscumque cogitationis particularis, ac distinctionis attributorum Dei ac Trinitatis; et sic in Dei praesentia manere ad illum adorandum et amandum, eique inserviendum, sed absque productione actuum, quia Deus in his sibi non complacet.*

22. *Cognitio haec per fidem non est actus a creatura productus, sed est cognitio a Deo creaturae tradita, quam creatura se habere non cognoscit, nec postea cognoscit, illam se habuisse; et idem dicitur de amore.*

23. *Mistici cum Bernardo in scala claustralium distinguunt quatuor gradus, lectionem, meditationem, orationem et contemplationem infusam. Qui semper in primo sistit, nunquam ad secundum pertransit, qui semper in secundo persistit, nunquam ad tertium pervenit, qui est nostra contemplatio acquisita, in qua per totam vitam persistendum est, dummodo Deus animam non trahat (absque eo quod ipsa id expectet) ad contemplationem infusam; hac cessante, anima regredi debet ad tertium gradum, et in ipso permanere absque eo quod amplius redeat ad secundum, aut primum.*

24. *Qualescumque cogitationes in oratione occurrant, etiam impurae, etiam contra Deum, sanctos, fidem, sacramenta, si voluntarie non nutriantur, sed cum indifferentia et resignatione tolerentur, non impediunt orationem fidei, imo eam perfectionem efficiunt, quia anima tunc magis divinae voluntati resignata remanet.*

25. *Etiamsi superveniat somnus et dormiatur, nihilominus fit oratio et contemplatio actualis, quia oratio et resignatio, resignatio et oratio idem sunt, et dum resignatio perdurat, perdurat et oratio.*

26. *Tres illae viae purgativa, illuminativa et unitiva sunt absurdum maximum, quod dictum fuerit in mystica, cum non sit nisi unica via, scilicet interna.*

27. *Qui desiderat et amplectitur devotionem sensibilem, non desiderat, nec quaerit Deum, sed se ipsum; et male agit cum eam desiderat et eam habere conatur, qui per viam internam incedit, tam in locis sacris, quam in diebus solemnibus.*

28. *Taedium bonorum spiritualium bonum est, siquidem purgatur amor proprius.*

29. *Dum anima interna fastidit discursus de Deo et virtutes, et frigida remanet, nullum in se ipsa sentiens fervorem, bonum signum est.*

30. *Totum sensibile quod experimur in vita spirituali, est abominabile, spurcum et immundum.*

31. *Nullus meditativus veras virtutes exercet internas, quae non debent a sensibus cognosci: opus est amittere virtutes.*

32. *Nec ante, nec post communionem alia requiritur praeparatio, aut gratiarum actio pro istis animabus internis, quam permanentia in sola resignatione passiva, quia modo perfectiore supplet omnes actus virtutum, qui fieri possunt, et fiunt in vita ordinaria; et in hac occasione communionis si insurgunt motus humiliationis, petitionis et gratiarum actionis, reprimendi sunt, quoties non dignoscatur eos esse in impulsu speciali Dei; alios sunt impulsus naturae nondum mortuae.*

33. *Male agit anima, quae procedit per hanc viam internam, si in diebus solemnibus vult aliquo conatu particulari excitare in se aliquem devotum sensum; quoniam animae internae omnes dies sunt aequales, omnes festivi; et idem dicitur de locis sacris, quia huiusmodi animabus omnia loca aequalia sunt.*

34. *Verbis et lingua Deo gratias agere non est pro animabus internis, quae in silentio manere debent, nullum Deo impedimentum opponendo, quod operetur in illis; et quo magis Deo se resignant, experiuntur se non posse orationem Dominicam, seu Pater Noster recitare.*

35. *Non convenit animabus huius viae internae, quod faciant operationes etiam virtuosas ex propria electione et activitate; alias non essent mortuae; nec debent elicere actus amoris erga B. Virginem, sanctos, aut Humanitatem Christi; quia cum ista sensibilia sint obiecta, talis est amor erga illa.*

36. *Nulla creatura, nec B. Virgo, nec sancti sedere debent in nostri corde, quia solus Deus vult illud occupare et possidere.*

37. *In occasione tentationum etiam furiosarum non debet anima elicere actus explicitos virtutum oppositarum, sed debet in supradicto amore et resignatione remanere.*

38. *Crux voluntaria mortificationum pondus grave est et infructuosum, ideoque dimittenda.*

39 *Sanctiora opera et poenitentiae, quas peregerunt sancti, non sufficiunt ad removendum ab anima vel unicam adhaesionem.*

40. *B. Virgo nullum unquam opus exterius peregit, et tamen fuit sanctis omnibus sanctior; igitur ad sanctitatem perveniri potest absque opere exteriori.*

41. *Deus permittit et vult ad nos humiliandos, et ad veram transformationem perducendos, quod in aliquibus animabus perfectis, etiam acceptitiis, daemon violentiam inferat earum corporibus, eisque actus carnales committere faciat, etiam in vigilia et sine mentis offuscatione, movendo physice illis manus et alia membra contra earum voluntatem, et idem dicitur quod illos actus per se peccaminosos; in quo earum non sunt peccata, quia in his non adest consensus.*

42. *Potest dari casus, quo huiusmodi violentiae ad actus carnales contingant eodem tempore ex parte duarum personarum, scilicet maris et feminae, et ex parte utriusque sequatur actus.*

43. *Deus praeteritis temporibus sanctos efficiebat tyrannorum ministerio, nunc vero eos efficit sanctos ministerio daemonum, qui causando in eis praedictas violentias facit, ut illi seipsos magis despiciant, annihilent et Deo se resignent.*

44. *Job blasphemavit, et tamen non peccavit labiis suis, quia fuit ex daemonis violentia.*

45. *S. Paulus huiusmodi daemonis violentias passus est in suo corpore, unde scripsit*: non quod volo bonum, hoc ago; sed quod nolo malum, hoc facio.

46. *Huiusmodi violentiae sunt medium magis proportionatum ad annihilandam animam, et eam ad veram transformationem et unionem perducendam, nec alia superest via, et haec est via facilior et tutior.*

47. *Cum huiusmodi violentiae occurrunt, sinere oportet, ut Satanas operetur, nullam adhibendo industriam, nullumque proprium conatum, sed permanere debet homo in suo nihilo: et etiamsi sequantur pollutiones et actus obsceni propriis manibus, et etiam peiora, non est opus se ipsum inquietare; sed foras emittendi sunt scrupuli, dubia, timores, quia anima fit magis illuminata, magis roborata, magis candida et acquiritur sancta libertas; et prae omnibus non opus est haec confiteri, et sanctissime fit non confitendo, quia hoc pacto superatur daemon et acquiritur thesaurus pacis.*

48. *Satanas, qui huiusmodi violentias infert, suadet deinde gravia esse peccata, ut anima se inquietet, ne in via interna ulterius progre-*

datur: unde ad eius vires enervandas melius est eu non confiteri, quia non sunt peccata, nec etiam venialia.

49. *Job ex violentia daemonis se propriis manibus polluebat eodem tempore, quo mundas habebat ad Deum preces; sic interpretando locum ex cap. Job XVI.*

50. *David, Jeremias et multi ex sanctis Patribus huiusmodi violentias patiebantur harum impurarum operationum exterarum.*

51. *In Sacra Scriptura multa sunt exempla violentiarum ad actus externos peccaminosos, ut illud de Samsone, qui per violentiam se ipsum occidit cum Philistaeis, coniugium iniit cum alienigena et cum Dalila meretrice fornicatus est, quae alias erant prohibita et peccata fuissent; de Juditha, quae Holopherni mentita fuit; de Elisaeo, qui pueris maledixit; de Elia, qui combussit duces cum turmis regis Achab. An vero fuerit violentia immediate a Deo peracta, vel ministerio daemonum, ut aliis animabus contigit, in dubio relinquitur.*

52. *Cum huiusmodi violentiae etiam impurae absque mentis offuscatione accidunt, tunc anima Deo potest uniri, ut de facto semper unitur.*

53. *Sed cognoscendum in praxi, an aliqua operatio in aliis personis fuerit violentia. Regula, quam de hoc habeo, nedum sunt protestationes animarum aliarum, quae protestantur se dictis violentiis non consessisse, aut iurare non posse, quod non his consenserint, et videre, quod sint animae, quae proficiunt in via externa; sed regulam sumere a lumine quodam actuali cognitione humana et theologica superiore, quod me certo cognoscere facit cum interna certitudine, quod talis operatio est violentia: et certus sum, quod hoc lumen a Deo procedit, quia ad me pervenit coniunctum cum certitudine, quod a Deo proveniat, et mihi nec umbram dubii relinquit in contrarium; eo modo, quo interdum contingit, quod Deus aliquid revelando, eodem tempore animam certam reddit, quod ipse sit, qui revelet, et anima in contrarium non potest dubitare.*

54. *Spirituales viae ordinariae in hora mortis se delusos invenient et confusos cum omnibus passionibus in alio mundo purgandis.*

55. *Per hanc viam internam pervenitur, etsi multa cum sufferentia, ad purgandas et extinguendas omnes passiones, ita quod nihil amplius*

sentitur, nihil, nihil; nec ultra sentitur inquietudo, sicut corpus mortuum, nec anima se amplius commoveri sinit.

56. *Duae leges et duae cupiditates, animae una et amoris proprii altera, tamdiu perdurant, quamdiu perdurat amor proprius: unde quando purgatus est et mortuus, ut sit per viam internam, non adsunt amplius duae illae leges et duae cupiditates, nec ulterius lapsus aliquis incurritur, nec aliquid sentitur amplius, ne quidem veniale peccatum.*

57. *Per contemplationem acquisitam pervenitur ad statum, non faciendi amplius peccata nec mortalia, nec venialia.*

58. *Ad huiusmodi statum pervenitur non reflectendo amplius ad proprias operationes, quia defectus ex reflexione oriuntur.*

59. *Vita interna seiuncta est a confessione, a confessariis, a casibus conscientiae, a theologia et a philosophia.*

60. *Animabus provectis, quae reflexionibus mori incipiunt et eo etiam perveniunt, ut sint mortuae, Deus confessionem aliquando efficit impossibilem, et sufficit ipse tanta gratia praeservante, quantam in sacramento reciperent; et ideo huiusmodi animabus non est bonum in tali casu ad sacramentum poenitentiae accedere, quia est id illis impossibile.*

61. *Anima cum ad mortem mysticam pervenit, non potest amplius aliud velle, quam quod Deus vult, quia non habet amplius voluntatem, et Deus eam illi abstulit.*

62. *Per viam internam pervenitur etiam ad mortem sensuum; quin imo signum, quod quis in statu nihilitatis maneat, idest mortis mysticae, est si sensus exteriores non repraesentent amplius res sensibiles, ac si non essent, quia non perveniunt ad faciendum, quod intellectus ad eas applicet.*

63. *Per viam internam pervenitur ad statum continuum immobilem in pace imperturbabili.*

64. *Theologus minorem dispositionem habet, quam rudis homo ad statum contemplativum: primo, quia non habet fidem adeo puram; secundo, quia non est adeo humilis; tertio, quia non adeo curat propriam salutem; quarto, quia caput habet refertum phantasmatibus, speciebus, opinionibus et speculationibus: et non potest in illud ingredi verum lumen.*

65. *Praepositis obediendum est in exteriore; et latitudo voti obedientiae religiosorum tantummodo ad exterius pertingit: in interiore vero res aliter se habet, quo solus Deus et director intrant.*

66. *Risu digna est quaedam nova doctrina in Ecclesia Dei, quod anima quoad internum gubernari debeat ab Episcopo; quod si Episcopus non sit capax, anima ipsum cum suo directore adeat: novam dico doctrinam, quia nec Sacra Scriptura, nec concilia, nec canones, nec Bullae, nec sancti, nec auctores eam unquam tradiderunt, nec trodere possunt; quia Ecclesia non iudicat de occultis, et anima ius habet eligendi quemcumque sibi bene visum.*

67. *Dicere, quod internum manifestandum est exteriori tribunali praepositorum et quod peccatum sit id non facere, est manifesta deceptio, quia Ecclesia non iudicat de occultis; et propriis animabus praeiudicant his deceptionibus et simulationibus.*

68. *In mundo non est facultas, nec iurisdictio ad praecipiendum, ut manifestentur epistolae directoris quoad internum animae; et ideo opus est animadvertere, quod hoc est insultus Satanae.*

XXXIX.

Proscriptio propositionum de mystica excerptarum a libro Explication des maximes des Saints.

INNOCENTIUS XII ad p. r. m.

Incipit *Cum alias, etc* (1).

Cum in eadem materia de mystica erraverit Archiepiscopus Cameracensis Franciscus de Salignac Fénélon non quidem adeo turpiter ut Molinos, rerum ordo postulat, ut huius quoque errores afferamus.

Hi errores continentur in libro, quem inscripsit:

Explication des maximes des saints sur la vie intérieure par Messire François de Salignac Fénélon Archévêque, Duc de Cambray, précepteur

(1) B. M. p. 4. vol t. 10. p. 218. B. R. t. 9. p. 499. C. C.

des Messeigneurs les Ducs de Bourgogne, d'Anjou et de Berry. A Paris, chez Pierre Auboin, Pierre Emery, Charles Clousier. 1697.

Vix ac liber prodiit, rumor maximus in Gallia fuit; namque propositiones erroneas non paucas Episcopus Bossuettus, gravissimus theologus, in eo contineri primus detexit.

Ex eo delato Romam sequentes viginti tres propositiones eruit sacra generalis Inquisitio.

Hunc ergo librum damnat Innocentius; *ex eius* enim *lectione et usu fideles sensim in errores ab Ecclesia damnatos induci possunt, ubicumque impressum et quocumque idiomate.*

Tum damnat ipsas propositiones *sive in obvio earum verborum sensu, sive attenta sententiarum connexione tamquam temerarias scandalosas, male sonantes, piarum aurium offensivas, in praxi periculosas, ac etiam erroneas respective, sub poenis legentibus, tenentibus, imprimentibus, docentibus, etc.*

1. *Datur habitualis status amoris Dei, qui est charitas pura et sine ulla admixtione motivi proprii interesse. Neque timor poenarum, neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam.*

2. *In statu vitae contemplativae, seu unitivae amittitur omne motivum interessatum timoris et spei.*

3. *Id, quod est essentiale in directione animarum, est non aliud facere, quam sequi pedetentim gratiam cum infinita patientia, praecautione et subtilitate. Oportet se intra hos limites continere, ut sinatur Deus agere, et numquam ad purum amorem ducere, nisi quando Deus per unctionem interiorem incipit aperire cor huic verbo: quod adeo durum est animabus adhuc sibimet affixis, et adeo potest illas scandalizare, aut in perturbationem coniicere.*

4. *In statu sanctae indifferentiae anima non habet amplius desideria voluntaria et deliberata propter suum interesse; exceptis iis occasionibus, in quibus toti suae gratiae non cooperatur*

5. *In eodem statu sanctae indifferentiae nihil nobis, omnia Deo volumus; nihil volumus, ut simus perfecti et beati propter interesse pro-*

prium; sed omnem perfectionem ac beatitudinem volumus in quantum Deo placet efficere, ut velimus res istas impressione suae gratiae.

6. *In hoc sanctae indifferentiae statu nolumus amplius salutem, ut salutem propriam, ut liberationem aeternam, ut mercedem nostrorum meritorum, ut nostrum interesse omnium maximum, sed eam volumus voluntate plena, ut gloriam et beneplacitum Dei, ut rem, quam ipse vult, et quam nos vult velle propter ipsum.*

7. *Derelictio non est nisi abnegatio, seu sui ipsius renuntiatio, quam Jesus Christus a nobis in Evangelio requirit, postquam externa omnia reliquerimus. Ista nostri ipsorum abnegatio non est nisi quoad interesse proprium. Extremae probationes, in quibus haec abnegatio, seu sui ipsius derelictio, exerceri debet sunt tentationes, quibus Deus aemulator vult purgare amorem, nullum ei ostendendo perfugium, neque ullam spem, quoad suum interesse proprium, etiam aeternum.*

8. *Omnia sacrificia, quae fieri solent ab animabus quam maxime disinteressatis circa earum aeternam beatitudinem, sunt conditionalia. Sed hoc sacrificium non potest esse absolutum in statu ordinario. In uno extremarum probationum casu hoc sacrificium fit aliquo modo absolutum.*

9. *In extremis probationibus potest animae invincibiliter persuasum esse persuasione reflexa, et quae non est intimus conscientiae fundus, se iuste approbatam esse a Deo.*

10. *Tunc anima divisa a semetipsa expirat cum Christo in cruce dicens:* Deus, Deus meus ut quid dereliquisti me? *In hac involuntaria impressione desperationis conficit sacrificium absolutum sui interesse proprii quoad aeternitatem.*

11. *In hoc statu anima amittit omnem spem proprii interesse; sed nunquam amittit in parte superiori, idest, in suis actibus directis et intimis spem perfectam, quae est desiderium disinteressatum promissionum.*

12. *Director tunc potest huic animae permittere, ut simpliciter acquiescat iacturae sui proprii interesse et iustae condemnationi, quam sibi a Deo indictam credit.*

13. *Inferior Christi pars in cruce non communicavit superiori suas involuntarias perturbationes.*

14. *In extremis probationibus pro purificatione amoris fit quaedam separatio partis superioris animae ab inferiori. In ista separatione actus partis inferioris manant ex omnino caeca et involuntaria perturbatione: nam totum, quod est voluntarium et intellectuale est partis superioris.*

15. *Meditatio constat discursivis actibus, qui a se invicem facile distinguuntur. Ista compositio actuum discursivorum et reflexorum est propria exercitatio amoris interessati.*

16. *Datur status contemplationis adeo sublimis, adeoque perfectae, ut fiat habitualis; ita ut quoties anima actu orat, sua oratio sit completiva, non discursiva. Tunc non amplius indiget redire ad meditationem, eiusque actus methodicos.*

17. *Animae contemplativae privantur intuitu distincto, sensibili et reflexo Iesu Christi duobus temporibus diversis: primo in fervore nascentis earum contemplationis; secundo anima amittit intuitum Iesu Christi in extremis probationibus.*

18. *In statu passivo exercentur omnes virtutes distinctae non cogitando quod sint virtutes. In quolibet momento aliud non cogitatur, quam facere id, quod Deus vult: et amor zelotypus simul efficit, ne quis amplius sibi virtutem velit, nec unquam sit adeo virtute praeditus, quam cum virtuti amplius affixus non sit.*

19. *Potest dici in hoc sensu, quod anima passiva et disinteressata nec ipsum amorem velit amplius, quatenus est sua perfectio et sua felicitas, sed solum quatenus est id, quod Deus a nobis vult.*

20. *In confitendo debent animae conformatae sua peccata detestari et condemnare se et desiderare remissionem suorum peccatorum; non ut propriam purificationem et liberationem, sed ut rem, quam Deus vult et vult nos velle propter suam gloriam.*

21. *Sancti mystici excluserunt a statu animarum transformatarum exercitationes virtutum.*

22. *Quamvis haec doctrina esset pura et simplex perfectio evangelica in universa traditione designata, antiqui pastores non proponebant passim multitudini iustorum nisi exercitia amoris interessati eorum gratiae proportionata.*

23. *Purus amor ipse solus constituit totam vitam interiorem et tunc evadit unicum principium et unicum motivum omnium actuum, qui deliberati et meritorii sunt.*

D. Romae apud S. M. Mai. die XII mart. P. a. VIII. a. D. 1696.

Rarum humilitatis et obedientiae exemplum dedit Archiepiscopus. Cum primum enim accepit proscriptum a S. Sede librum suum, ascendit in suggestum et coram suo grege damnavit, improbavitque scripta sua, rogavitque eum, immo iussit, ut si qui exemplaria haberent, comburerent, vel deferrent ad se, ne legerent.

XL.

Decretum, qui libri sint legendi, qui non.

GELASIUS.

Incipit *Post propheticas, etc.* (1).

In secunda Romana Synodo celebre hoc decretale statutum fuit de libris, qui recipi deberent, qui inter apocryphos amandari, ac proinde ne legendi quidem.

Ac primo Pontifex dignitates Ecclesiarum exponit: prima est Romana consecrata a principis Apostolorum et Doctoris gentium sanguine; secunda Alexandrina a s. Marco nomine b. Petri, cuius Marcus fuit discipulus, fundata; tertia Antiochena constituta a b. Petro antequam Romam veniret.

Tum numerat concilia recipienda: Nicaenum, *mediante* Constantino Augusto celebratum; Ephesinum, *consensu Coelestini Papae, mediante Cyrillo Alexandrinae sedis Antistite et Arcadio ab Italia destinato;* Chalcedonense, *mediante Marciano Augusto*, in qua haereses *Ariana, Antiochena*, *Eutychiana* cum sectatoribus earum damnatae sunt.

Tertio loco recenset Gelasius opera legenda Ss. Patrum, Cypriani, Gregorii Nazianzeni, Basilii, Athanasii, Chrysostomi, Theophili, Cyrilli

(1) B. R. t. 1. p. 71. C. C.

Alexandrini, Hilarii, Ambrosii, Augustini, Hieronymi, decretales quorumdam Pontificum, gesta martyrum, actus Sylvestri, scriptura inventionis Crucis Dominicae, scriptura de capite s. Ioannis Baptistae, Rufini ii libri, quos b. Hieronymus recognovit, Origenis ea opera, quae Hieronymus non repudiat, Eusebii Caesariensis *propter rerum singularum notitiam*, Orosii, Sedulii, Juvenci.

Libros demum reiiciendos affert: Ariminensem Synodum; itinerarium Petri, actus Andreae, Thomae, etc.; omnia Evangelia quocumque nomine conscripta, praeter ea quatuor, quae in Ecclesia leguntur; epistolam Abgari ad Iesum, epistolam Iesu ad Abgarum; demum omnia haereticorum scripta.

Etiam pagina 409 huius tomi primi affertur idem decretum prout est desumptum ex codice Florentino, ex codice Furensi, ex codice Vaticano.

XLI.

Vetat indoctis interpretari S. Scripturam et super illa disputare Innocentius.

INNOCENTIUS III universis Christi-fidelibus tam in urbe Metensi, quam in eius dioecesi constitutis.

Incipit *Cum ex iniuncto, etc.* (1).

In urbe et dioecesi Metensi *turba non modica, tracta quodammodo desiderio Scripturarum, evangelia, epistolas s. Pauli, psalterium, moralia Iobi, et plures alios libros sibi fecerat in Gallico sermone transferre.*

Translationi huiusmodi adeo libenter (utinam et prudenter) intendebant, ut secretis conventionibus talia inter se laici et mulieres tractare praesumerent.

Immo cum quidam parochi eos corrigere voluissent, ipsi in faciem eis restiterunt; adducentes rationes quamobrem ostenderent id sibi licere.

(1) B. R. t. 3. p. 2. p. 91. C. C.

Nam si audiunt verbi Dei concionatores, multo magis legentes ipsam Scripturam, unde ii veritates eruunt, probi efficientur;

Praeterea multos presbyteros male praedicare; a Scriptura ergo petendum, quod illi exponere nesciunt.

Licet autem Pontifex non reprehendat desiderium intelligendi Sacras Scripturas, reprehendit tamen modum de rebus in ea contentis disserendi, nempe occulte et in conventiculis, cum Christus doceat, *quod in aure auditum est, praedicandum super tecta; quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine.*

Reprehendit pravum morem eas interpretandi ad libitum; quin consulantur Ss. Patres de sensu quorumdam locorum obscurorum.

Reprehendit, quod ignari homines et mulieres de rebus ab eorum captu longe dissitis disputent. Tanta enim est S. Scripturae profunditas, ut interdum aqua haereat iis, qui studio et intellectu pollent in ea explicanda.

Recte igitur monet Apostolus, *altiora te ne quaesieris;* sicut enim non omnia membra corporis actum habent eumdem, nec unum membrum usurpat sibi actus alterius, sic in Dei Ecclesia, in qua alios Deus posuit prophetas, alios doctores, etc. magna oriatur confusio necesse est, si aures velint loqui; hoc est, si ii, qui debent audire tantum, velint praedicare.

Illud munus est feminarum et laicorum, qui a nemine ad praedicandum missi sunt; hoc ministrorum Dei, qui, velut Ioannes, a Deo missi sunt, ut evellant et aedificent.

Neque prodest dicere, se esse missos; missio enim haec non debet esse occulta, sed confirmata per ordinationem ministerii, vel per miracula; quorum neutrum est in his laicis.

Quid autem praedicabunt, nisi missi fuerint, neque Domino confirmante signis eorum sermonem, neque eorum labiis custodientibus scientiam? quod proprium est sacerdotalis ordinis.

Nihil itidem prodest, quod hi asserunt, se legere Scripturas, quia sacerdotes male praedicant. Hoc enim decidere spectat ad Episcopos, qui suorum sacerdotum studium et ingenium norunt; neque cuicumque sacerdoti promiscue dant praedicandi licentiam.

At reponent hi se facere, quod Evangelium iubet, ut corrigant proximum suum.

Sed correctio, quae demandatur cuique, debet fieri secreto; *inter te et ipsum solum;* non debet quisque suggestum ascendere et publice id facere, nisi vocatione ministerii missus fuerit.

Hoc demum Pharisaeorum superbiam sapit, qui aspernebantur alios, se solos iustos putantes. Hi laici corrigant prius errores suos, et alios reprehendant, curent se, non alios.

Eos monet itaque Pontifex, ut, si legunt Scripturas, actibus ostendant se eas intelligere, neque agant, quod illae apertissime vetant; hortatur eos ad parendum; quod nisi fecerint, *post oleum et vinum correctionis severitatem Ecclesiasticam apponet.*

XLII.

Proscriptio libri Guillelmi a Sancto Amore.

ALEXANDER IV ad p. r. m.

Incipit *Romanus Pontifex, etc.* (1).

Pluribus expositis de cura, quam Pontifices debent gerere rerum maximarum et plurimarum,

De versutia diaboli inducentis in errores mortales,

Tandem descendit ad proscribendum librum Guillelmi a S. Amore, *qui sic incipit: ecce ridentes clamabunt foris; quique, secundum ipsius titulum, tractatus brevis de periculis novissimorum temporum nuncupatur, ut iniquum, scelestum, execrabilem; damnat institutiones ac documenta in eo tradita falsa et prava et nefaria.*

Distincte praecipit, *ut quicumque libellum habuerit, eum infra octo dies a cognitione huius in toto et in qualibet sui parte comburere et omnino abolere procuret.*

Contemptores huius decreti, *tanquam contumaces et inobedientes et rebelles Romanae Ecclesiae habeantur. Nulli ergo, etc. Si quis, etc.*

D. Anagniae III non. oct. P. a. II. a. D. 1256.

(1) B. M. t. 1. p. 112. B. R. t. 3. p. 2. p. 378. C. C.

XLIII.

Damnat Pontifex scripta, leges, seu speculum Saxoniae vulgariter appellata.

GREGORIUS XI ad p. r. m.

Incipit *Salvator humani, etc.* (1).

Annullat Pontifex, irritat et damnat *quaedam detestabilia scripta, leges, seu speculum Saxoniae vulgariter appellata in Saxonia* aliisque partibus adhibita, contraria legibus humanis et sacris canonibus.

Et annullat omnes processus vigore dictarum legum factos,

Et excommunicat iis legibus utentes,

Rogatque principes, ut secundum eas iudicare noliut.

Hae porro leges sunt quatordecim.

I. Quilibet per iuramentum extra iudicium liberare se potest a quolibet crimine, etiamsi sit notorium, nec contra tale valet aliquod testimonium.

II. Papa non potest, nec aliquis alius imperatorem excommunicare, postquam consecratus, vel alias inunctus est, nisi solum in tribus casibus: 1. *si sit dubius in fide*; 2. *repudiet uxorem*; 3. *destruat Ecclesias.*

III. Excommunicatio neminem debilitat in iure terrae, vel feudi, nisi sequatur regalis proscriptio.

IV. Papa non potest aliquod ius statuere, vel concedere, per quod valeat ius, hoc est statutum terrae, vel feudi Saxonum deteriorari.

V. Nulla sententia tam iusta dari poterit in Saxonia coram regno, alias iudicio regali, quoniam si Saxo talem sententiam reprehendat, testans in manum suam dexteram, et maiorem communitatem septimus volens pugnare contra septem alios pro dicta sententia, quin tunc, ubi maior pars triumphaverit alis sententiam obtineat (sic).

VI. Quod si quis fuerit interfectus in spolio et in furto, pro quo consanguineus interfecti se praebeat ad duellum, repellit omne testimonium. nec talis mortuus tunc sine duello poterit convinci.

(1) B. R. t. 3. p. 2. p. 359.

VII. Quod si duo dicant in iudicio sententias contradictorias, tunc quicumque talium habuerit maiorem sequelam, talem sententiam obtinebit.

VIII. Quicumque fuerit appellatus ad duellum, secundum illius libri formam talis non potest negare duellum, nisi sic appellans minus bene natus fuerit, quam appellatus.

IX. Quicumque perdidit ius suum ratione furti, vel spolii, talis incusatus secundo de furto, vel spolio non potest se liberare iuramento, sed electionem habet ad ferrum ignitum, aquam bullientem, vel ad duellum: » Huius quidem pars ultima, quae electionem ad fernm, etc. concedit » erronea est. »

X. Quicumque cognoverit violenter aliquam mulierem, si postea ducat eam in matrimonium, nunquam ex ea poterit prolem legitimam procreare.

XI. Quicumque publice cognovit uxorem alicuius, vivente marito, si post mortem mariti talis eam ducat in uxorem, numquam ex ea prolem legitimam procreabit.

« Iste articulus indistincte et in omne casu intellectus non distin- » guendo, prout canonice distinguunt Saxones, erroneus, etc.

XII. Haerese non teneatur de furto respondere, vel spolio perpetrato per illum, cui succedit in haereditate.

« Quod erroneum est saltem in foro conscientiae.

XIII. Quicumque vir succinctus gladio clypeum tenens non potest de ligno, vel lapide pollicis ulnam, quantum ad altitudinem habente super dextra scandere, talis non potest cedere, dimittere, infundare, nec etiam mobilia bona dare potest, sic quod iste custoditus sit, qui talia post mortem suam expectat (sic).

XIV. Nullus sine licentia suorum haeredum et iudicio, quod Saxoniae dicitur Enghedinghe, potest dare proprietatem suam, vel homines suos; et si talia daret, aliter haeredes acquirerent illa per iudicium ac si dans illa mortuus esset.

« Isti duo articuli sunt erronei, in quantum eleemosynas et alia » pietatis opera prohibent.

Nulli ergo, Si quis, etc.

D. Aveni. VI. id. apr. P. a. IV. a. D. 1374.

XLIV.

Mittit Eugenius ad universitatem Parisiensem rationes, quibus confutentur libri contra auctoritatem et superioritatem Romani Pontificis et S. Sedis.

EUGENIUS IV rectori et universitati Parisiensi.

Incipit *Quia proximis, etc.* (1).

Libri quidam *de auctoritate et superioritate Romani Pontificis et Romanae Sedis,* fuerunt editi, *per quos alia minorque, quam debet, opinio* de Romano Pontifice habebatur.

Mittit Eugenius ad universitatem Parisiensem et ad rectorem et ad regem, sicut miserat ad alia studia generalia *rationes et fundamenta,* quibus nititur *et defenditur auctoritas Romani Pontificis ;*

Illamque rogat, ut illis utatur ad refellendos malevolos homines.

D: Florentiae non. mai. P. a. XI. a. D. 1441.

XLV.

Quaedam conclusiones Ioannis Pici damnantur.

INNOCENTIUS VIII ad p. r. m.

Incipit *Etsi ex iniuncto, etc.* (2).

Ioannes Picus Concordiae Comes *noningentas conclusiones variarum facultatum publice affigi in diversis locis almae Urbis fecit, offerens se responsurum obiectis.*

In his conclusionibus quaedam erant scandalosae, quaedam pias offendentes aures.

Pontifex, data cura Magistro Sacri Palatii, aliisque theologis et canonistis, ut eas considerarent, retulerunt rem ita esse.

(1) B. M. p. 3. vel t. 9. p. 241.
(2) B. R. t. 3. p. 3. p. 250. C. C.

Pontifex itaque Pici librum damnat, vetat teneri, legi, defendi, imprimi sub poenis, etc.

Picus autem, qui iam libellum iudicio S. Sedis subiecerat nullam poenam, nullam infamiae notam incurrisse declaratur. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud s. Petrum prid. non. aug. P. a. III. a. D. 1487.

XLVI.

Damnatio errorum Michaëlis Baii.

GREGORIUS XIII ad p. r. m.

Incipit *Provisionis nostrae, etc.* (1).

Edit Gregorius constitutionem Pii V damnantis errores Michaëlis Baii, editam a 1567, qui sunt infra scripti allati in Urbani constitutione sequenti. N. O. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud s. Petrum IV kal. feb. P. a. VIII. a. D. 1579.

XLVII.

Iterata damnatio errorum Michaëlis Baii et quorumdam librorum ad doctrinam Cornelii Iansenii et ad disputationes de auxiliis attinentium.

URBANUS VIII ad p. r. m.

Incipit *In eminenti, etc.* (2).

Propositiones Baii a Pio V damnatas, cuius constitutionem Urbanus refert datam an. 1567 confirmatamque a Gregorio XIII, Urbanus damnat.

PROPOSITIONES MICHAELIS BAII.

1. *Nec angeli nec primi hominis adhuc integri merita recte vocantur gratia.*

(1) B. R. t. 4. p. 3. p. 426. C. C.
(2) B. M. t. 5. p. 369. B. R. t. 6. p. 2 p. 270. C. C.

2. *Sicut opus malum ex natura sua est mortis aeternae meritorium, sic opus bonum ex natura sua est vitae aeternae meritorium.*

3. *Et bonis angelis et primo homini, si in statu illo perseverasset usque ad ultimum vitae, felicitas esset merces et non gratia.*

4. *Vita aeterna homini integro et angelo promissa fuit intuitu bonorum operum, et bona opera ex lege naturae ad illam consequendam per se sufficiunt.*

5. *In promissione facta angelo et primo homini continetur naturalis iustitiae constitutio, qua pro bonis operibus sine ullo respectu vitae aeternae iustis promittitur.*

6. *Naturali lege constitutum fuit homini, ut, si in obedientia perseveraret, ad eam vitam pertransiret, in qua mori non posset.*

7. *Primi hominis integri merita fuerunt primae creationis munera; sed iuxta modum loquendi Scripturae Sacrae non recte vocantur gratia, quo fit, ut tantum merita, non etiam gratia, debeant vocari.*

8. *In redemptis per gratiam Christi nullum inveniri potest bonum meritum, quod non sit gratis indigno collatum.*

9. *Dona concessa homini integro et angelo, forsitan non improbanda ratione, possunt dici gratia; sed quia secundum usum Sacrae Scripturae nomine gratiae ea tantum munera intelliguntur, quae per Iesum Christum male merentibus et indignis conferuntur, ideo neque merita, neque merces, quae illis redditur, gratia dici debet.*

10. *Solutio poenae temporalis, quae, peccato dimisso, saepe remanet, corporis resurrectio, proprie nonnisi meritis Christi adscribenda est.*

11. *Quod pie et iuste in hac vita mortali usque in finem conversati vitam consequuntur aeternam, id non proprie gratiae Dei, sed ordinationi naturali statim initio creationis constitutae iusto Dei iudicio deputandum est; neque in hac retributione bonorum ad Christi meritum respicitur, sed tantum ad primam institutionem generis humani, in qua lege naturali constitutum est, ut iusto Dei iudicio obedientiae mandatorum vita aeterna reddatur.*

12. *Pelagii sententia est; opus bonum citra gratiam adoptionis factum non est regni coelestis meritorium.*

13. *Opera bona a filiis adoptionis facta non accipiunt rationem meriti ex eo quod fiunt per spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, sed tantum ex eo quod sunt conformia legi, quodque per ea praestatur obedientia legi.*

14. *Opera bona iustorum non accipient in die iudicii extremi ampliorem mercedem, quam iusto Dei iudicio mereantur accipere.*

15. *Ratio meriti non consistit in eo, quod qui bene operatur habeat gratiam et inhabitantem Spiritum Sanctum, sed in eo solum, quod obedit divinae legi.*

16. *Non est vera legis obedientia, quae fit sine charitate.*

17. *Sentiunt cum Pelagio qui dicunt, esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum deificum.*

18. *Opera catechumenorum, ut fides et poenitentia ante remissionem peccatorum facta, sunt vitae aeternae merita, quam vitam ipsi non consequentur, nisi prius praecedentium delictorum impedimenta tollantur.*

19. *Opera iustitiae et temperantiae, quae Christus fecit, ex dignitate personae operantis non traxerunt maiorem valorem.*

20. *Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur poenam aeternam.*

21. *Humanae naturae sublimatio et exaltatio in consortium divinae naturae debita sunt integritati primae conditionis, et proinde naturalis dicenda est, non supernaturalis.*

22. *Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Romanos 2:* gentes, quae legem non habent, naturaliter quae legis sunt, faciunt, *intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus.*

23. *Absurda est eorum sententia, qui dicunt, hominem ab initio dono quodam supernaturali et gratuito super conditionem naturae suae fuisse exaltatum, ut fide, spe, et charitate Deum supernaturaliter coleret.*

24. *A vanis et otiosis hominibus secundum insipientiam philosophorum excogitata est sententia, quae ad Pelagianismum reiicienda est, hominem ab initio sic constitutum, ut per dona naturae superaddita fuerit largitate conditoris sublimatus et in Dei filium adoptatus.*

25. *Omnia opera infidelium sunt peccata, et philosophorum virtutes sunt vitia.*

26. *Integritas primae creationis non fuit indebita humanae naturae exaltatio, sed naturalis eius conditio.*

27. *Liberum orbitrium sine gratiae Dei adiutorio nonnisi ad peccandum valet.*

28. *Pelagianus est error dicere, quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.*

29. *Non soli fures ii sunt et latrones, qui Christum viam et ostium veritatis et vitae negant, sed etiam quicumque aliunde, quam per ipsum in viam iustitiae (hoc est ad aliquam iustitiam) conscendi posse docent, out tentationi ulli sine gratiae ipsius adiutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, aut ab ea non superetur.*

30. *Charitas perfecta et sincera, quae est ex corde puro et conscientia bona et fide non ficta, tam in cathecumenis, quam in poenitentibus potest esse sine remissione peccatorum.*

31. *Charitas illa, quae est plenitudo legis, non est semper coniuncta cum remissione peccatorum.*

32. *Catechumenus iuste, sancte et recte vivit, ac mandata Dei observat, et legem implet per charitatem ante obtentam remissionem peccatorum, quae in Baptismi lavacro demum percipitur.*

33. *Distinctio illa duplicis amoris naturalis, videlicet, quo Deus amatur, ut auctor naturae et gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, vana est et commentitia et ad illudendum Sacris Litteris et plurimis veterum testimoniis excogitata.*

34. *Omne, quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.*

35. *Amor naturalis, qui ex viribus naturae oritur, ex sola philosophia per elationem praesumptionis humanae cum iniuria Crucis Christi defenditur a nonnullis doctoribus.*

36. *Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturae solis, viribus ortum ducit, agnoscit.*

37. *Omnis amor creaturae rationalis, aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quae a Ioanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur.*

38. *Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere fit.*

39. *In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.*

40. *Is libertatis modus, qui est a necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, sed solum nomen libertatis a peccato.*

41. *Iustitia, qua iustificatur per fidem impius, consistit formaliter in obedientia mandatorum; quae est operum iustitia, non autem in gratia aliqua animae infusa, qua adoptatur homo in filium Dei, et secundum interiorem hominem renovatus ac divinae naturae consors efficitur, ut sic per Spiritum Sanctum renovatus deinceps bene vivere et Dei mandatis obedire possit.*

42. *In hominibus poenitentibus ante Sacramentum absolutionis, et in catechumenis ante Baptismum est vera iustificatio, separata tamen a remissione peccatorum.*

43. *Operibus plerisque, quae a fidelibus fiunt solum ut Dei mandatis pareant, cuiusmodi sunt obedire parentibus, depositum reddere, ab homicidio, a furto, a fornicatione abstinere, iustificantur quidem homines, quia sunt legis obedientia et vera legis iustitia, non tamen iis obtinent incrementa virtutum.*

44. *Sacrificium missae non alia ratione est sacrificium, quam generali illa, qua omne opus, quod fit, ut sancta societate Deo homo inhaereat.*

45. *Ad rationem et definitionem peccati non pertinet voluntarium, nec definitionis quaestio est, sed causae et originis, utrum omne peccatum debeat esse voluntarium; unde peccatum originis vere habet rationem peccati sine ulla relatione, ac respectu ad voluntatem, a qua originem habuit.*

46. *Peccatum originis est habituali parvuli voluntate voluntarium, et habitualiter dominatur parvulo, eo quod non gerit contrarium voluntatis arbitrium, et ex habituali voluntate dominante fit, ut parvulus discedens sine regenerationis Sacramento, quando usum rationis consecutus erit, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet et legi Dei repugnet.*

47. *Prava desideria, quibus ratio non consentit, et quae homo invitus patitur, sunt prohibita praecepto: non concupisces.*

48. *Concupiscentia, sive lex membrorum, et prava eius desideria, quae inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia.*

49. *Omne scelus est eius conditionis, ut suum auctorem et omnes posteros eo modo inficere possit, quo infecit prima transgressio.*

50. *Quantum est ex vi transgressionis, tantum meritorum malorum a generante contrahunt qui cum minoribus nascuntur vitiis, quam qui cum maioribus.*

51. *Definitiva haec sententia, Deum homini nihil impossibile praecepisse falso tribuitur Augustino, cum sit Pelagii.*

52. *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.*

53. *In peccato duo sunt, actus et reatus: transeunte autem actu, nihil manet nisi reatus, sive obligatio ad poenam; unde in sacramento Baptismi, aut sacerdotis absolutione proprie reatus peccati dumtaxat tollitur, et ministerium sacerdotum solum liberat a reatu.*

54. *Peccator poenitens non vivificatur ministerio sacerdotis absolventis, sed a solo Deo, qui poenitentiam suggerens et inspirans vivificat eum et resuscitat; ministerio autem sacerdotis solum reatus tollitur.*

55. *Quando per eleemosynas, aliaque poenitentiae opera Deo satisfacimus pro poenis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant (nam alioquin aliqua parte saltem essemus redemptores); sed aliquid facimus, cuius intuitu Christi satisfactio nobis applicatur et communicatur.*

56. *Per passiones sanctorum in indulgentiis communicatas non proprie redimuntur nostra peccata, sed per communionem charitatis nobis eorum passiones impartiuntur, ut digni simus, qui pretio Sanguinis Christi a poenis pro peccatis debitis liberemur.*

57. *Illa doctorum distinctio, divinae legis mandata bifariam impleri, altero modo quantum ad praeceptorum operum substantiam tantum, altero quantum ad certum quemdam modum, videlicet, secundum quem valeant operantem perducere ad regnum aeternum (hoc est ad modum meritorum), commentitia est et explodenda.*

58. *Illa quoque distinctio, qua opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex obiecto et omnibus circumstantiis rectum est, et bonum (quod moraliter bonum appellare consueverunt) vel quia est meritorium regni aeterni, eo quod fit a vivo Christi membro per spiritum charitatis, reiicienda est.*

59. *Sed et illa distinctio duplicis iustitiae, alterius, quae sit per spiritum charitatis inhabitantem, alterius, quae sit ex inspiratione Spiritus*

Sancti cor ad poenitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis et in eo charitatem diffundentis, qua divinae legis iustificatio impleatur, similiter reiicitur.

60. *Item et alia distinctio duplicis vivificationis, alterius, qua vivificatur peccator, dum ei poenitentia et vitae novae propositum et inchoatio per Dei gratiam inspiratur; alterius, qua vivificatur, qui vere iustificatur et palmes vivus in vite Christo efficitur, pariter commentitia est et Scripturis minime congruens.*

61. *Nonnisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus, et gratiae Christi iniuriam facit, qui ita sentit et docet.*

62. *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.*

63. *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessario facit.*

64. *Infidelitas pure negativa in his, in quibus Christus non est praedicatus, est peccatum.*

65. *Iustificatio impii fit formaliter per obedientiam legis, non autem per occultam communicationem et inspirationem gratiae, quae per eam iustificatos faciat implere legem.*

66. *Homo existens in peccato mortali, sive in reatu aeternae damnationis, potest habere veram charitatem et charitas perfecta potest etiam consistere cum reatu aeternae damnationis.*

67. *Per contritionem etiam cum charitate perfecta et cum voto suscipiendi sacramentum coniunctam, non remittitur crimen, extra casum necessitatis, aut martyrii, sine actuali susceptione sacramenti.*

68. *Omnes omnino iustorum afflictiones sunt ultiones peccatorum ipsorum; unde et Iob et martyres, quae passi sunt, propter peccata sua passi sunt.*

69. *Nemo praeter Christum est absque peccato originali; hinc b. Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque eius afflictiones in hac vita, sicut et aliorum iustorum, fuerunt ultiones peccati actualis, vel originalis.*

70. *Concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale, in quibus iam dominatur, peccatum est, sicut et alii habitus pravi.*

71. *Motus pravi concupiscentiae sunt pro statu hominis vitiati prohibiti praecepto: non concupisces; unde homo eos sentiens et non consentiens, transgreditur praeceptum non concupisces, quamvis transgressio in peccatum non computetur.*

72. *Quamdiu aliquid concupiscentiae carnalis in diligente est, non facit praeceptum: diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

73. *Satisfactiones laboriosae iustificatorum non valent expiare de condigno poenam temporalem restantem post culpam condonatam.*

74. *Immortalitas primi hominis non erat gratiae beneficium, sed naturalis conditio.*

75. *Falsa est doctorum sententia, primum hominem potuisse a Deo creari et institui sine iustitia naturali.*

Has omnes propositiones, *quarum nonnullae aliquo pacto sustineri possent in rigore et proprio verborum sensu ab assertoribus intento, haereticas, suspectas, temerarias, scandalosas et in pias aures immittentes offensionem,* Pius damnat, proscribit, abolet, vetatque de illis scribere, loqui, disputare.

Notae sunt turbae excitatae hinc, inde super commate, ubinam ponendum esset, utrum post *possent*, an post *rigore*.

Secus facientes honoribus, beneficiis, gradibus privat et anathematizat.

Episcopo et Cardinali Granvellano, magno nomini, mandat, ut provideat, ne hae opiniones disseminentur.

Paulus V de consilio generalis Inquisitionis an. 1611, voluit scribi nuntiis Apostolicis, ut significarent superioribus religionum et universitatibus et Ordinariis, ne sinerent, imprimi libros *de auxiliis*, etiam praetextu commentandi divum Thomam.

Urbanus in congregatione generalis Inquisitionis a. 1625 decrevit, ut de materia auxiliorum nemo agere posset et scribere sine speciali Pontificis licentia.

Cum autem Lovanii sine hac speciali licentia impressum fuisset opus *Augustinus* Cornelii Iansenii ab executoribus testamentariis eiusdem Episcopi et nonnullae patrum societatis Iesu theses contra hunc librum

impressae fuissent Antuerpiae, damnat Urbanus et illud et has, et vetat legi sub excommunicationis poena, neque quicquam scribi vult pro defensione, vel oppugnatione eiusdem libri.

Apponit catalogum librorum prohibitorum tractantium pro et contra Iansenium. Avebit fortasse lector hos libros cognoscere, et hi sunt:

1. *Augustinus*, *impressus Lovanii typis Iacobi Zegeri ann.* 1645 *et Parisiis* 1641.

2. *Theses theologicae de gratia*, *libero arbitrio et praedestinatione; Antuerpiae apud Ioannem Meursium, a.* 1641.

3. *Cornelii Iansenii Yprensis Episcopi*, *etc. laudatio funeralis dicta a Rev. Fratre Ioanne a Lapide, etc.; Lovanii, typis Bernardini Marii.*

4. *Epistola* (*idiomate Hispano*) all' eminentissimo, y *reverendissimo Sennor Cardinal de la Cueva de la congregacion de la sacra Inquisition por el Padre Pedro Rivero de la Compannia de Iesu, praedicator del Sennor Cardinal Infante; data in Bruxellas* 26 *Henero* 1641.

5. *Memoriale* (*idiomate Hispano*) *Cardinali Infanti Hispano, incipiendo Serenissimo Sennor, et finiendo como es. V. Cathol. Real. A.*

6. *Libellus, cui titulus, humilis et supplex querimonia Iacobi Zegeri typographi Lovoniensis adversus libellum R. P. I. S. Regiae Capellae Bruxellensis concionatoris et theses PP. societatis; Lovanii apud Iacobum Zegerum, an.* 1641 *primae, secundae et tertiae editionis.*

7. *Memoriale ad eminentissimum Cardinalem de la Cueva circa querimoniam frivolam Iansenianam*, *etc. contra theses theologicas*, *et libellum supplicem, etc. eiusdem de eodem tela ingesta et regesta.*

8. *Theses theologicae apologeticae et miscellaneae adversus doctrinam Cornelii Iansenii, etc. sub praetextu querimoniae typografi Lovaniensi editionis secundae, etc.; Antuerpiae apud Ioannem Meursium, an.* 1641.

9. *Libellus, cui titulus, Augustinus Hipponensis et Augustinus Yprensis de Deo omnes salvare volente, etc. homologia, etc.; Lovanii apud Iacobum Zegerum, a.* 1641.

10. *Epistola Liberti Fromundi et Henrici Caleni, Lovanii* 16 *Iulii* 1641.

11. *R. P. societatis Iesu Lovanii, incipiendo, theses vestras.*

12. *Epistola professorum s. Thomae colleg. societ. Iesu Lovanii.*

13. *Liberto Fromundo et Henrico Caleno, incipiend. gratias agimus, etc.*

14. *Epistola, cui titulus Petrus Riverus doctoribus Iansenianis, etc. ad rem, etc. incipiens ad rem, amici, etc.*

15. *Somnium Hipponense, sive de controversiis, etc. relatore Philitemo S. T. Baccal. Formato Parisiis, a.* 1641.

16. Et si quae sunt alia opera, libelli, epistolae, etc. prohibentur et haec sequentia opera nominatim.

1. *Liberti Fromundi S. T. doctoris, etc. brevis anatomia hominis; Lovanii apud Iacobum Zegerum, a.* 1641.

2. *Conventus Africanus, sive disceptatio iudicialis apud tribunal praesuli Augustini, etc. narratore Artemidoro Oneirocritico; à Roven chez Nicolas de Montaigne, a.* 1641.

3. *Mémorial au Roy, incipiens, Jean Iansenius Chanoine, etc. finiens contra illa duo decreta summorum Pontificum.*

4. *Attestatio notarialis incipiens, ego infrascriptus, et finiens Petrus Mintaert notarius.*

5. *Approbatio nonnullorum theologorum ex variis religionibus tam monachalium, quam mendicantium, nec non Archiepiscopi Philippensis, aliorumque theologorum clericorum saecularium, doctrinae Cornelii Iansenii in dicto libro Augustinus contentae, incipiens:* quid censendum sit de doctrina in opere Reverendis. D. Cornelii Jansenii Episcopi Yprensis felic. mem. nunc. Augustinus contenta, patebit ex subsequentibus attestationibus doctissimorum virorum in Belgio et alibi existentium, etc. *et finiens:* et me publico et apostolico ac dictae universitatis notario et scriba iurato. Quod attestor, Petrus Mintaert notarius.

Nulli ergo, etc.

D. Romae apud. s. Petrum prid. non. mar. P. a. XIX. a. D. 1641.

XLVIII.

Damnatio quinque propositionum excerptarum ex libro (Augustinus) Cornelii Iansenii.

INNOCENTIUS X ad p. r. m.

Incipit *Cum occasione*, *etc.* (1).

Complures Galliae Episcopi Pontifici institerunt, *ut quinque propositiones extractas ex libro Cornelii Jansenii expenderet et de quaque certam et perspicuam daret sententiam.*

HAE SUNT PROPOSITIONES

I. Aliqua Dei praecepta hominibus iustis volentibus et conantibus secundum praesentes, quas habent, vires sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.

Hanc propositionem *ut temerariam*, *impiam et blasphemam anathemate damnatam et haereticam declarat, et ut ita talem* damnat Innocentius.

II. Interiori gratiae in statu naturae lapsae numquam resistitur.

Haereticam eam declarat Pontifex, et uti talem damnat.

III. Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.

Hanc quoque Innocentius declarat *haereticam, et uti talem damnat.*

IV. Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei et in hoc erant haeretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.

Falsa et haeretica declaratur, et uti talis damnatur.

V. Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse.

(1) B. M. t. 5. p. 486. B. R. t. 6. p. 3. p. 248. C. C.

Innocentius hanc declarat *falsam, temerariam et scandalosam; intellectam eo sensu, ut Christus pro praedestinatis tantum mortuus sit*, eam declarat *impiam, blasphemam, contumeliosam, divinae pietati derogantem et haereticam* declarat et damnat.

Mandat ergo, ne quisquam audeat *sentire, docere, praedicare* iuxta has propositiones.

Et Ordinariis praecipit, ut has propositiones docentes poenis ecclesiasticis coerceant.

Non intendit ideo Pontifex his propositionibus damnatis, reliqna alia in eo Jansenii libro contenta approbare.

D. Romae apud S. M. Mai. prid. kal. iun. P. a. IX. a. D. 1653.

XLIX.

Commissio aliquot Franciae Episcopis, ut inquirant de quadam pastorali epistola Archiepiscopi Senonensis.

INNOCENTIUS X Arch. Arelat. Episc. Aniciensi, et Conserano ac Matisconensi.

Incipit *Nuper pervenit, etc.* (1).

Proscripserat Innocentius quinque Iansenii propositiones, cum in lucem editur pastoralis epistola Archiepiscopi Senonensis typis impressa, *in qua scandalosa, temeraria, schismatica et haeresim* redolentia continentur. Ita incipit:

Louis Henry de Goudrin par la grace de Dieu Archévéque de Saint Primat des Gaules et de Germanie à nôtres chers Frères les Doyens ruraux, 23 sept.

Mandat itaque Pontifex praefatis Episcopis, nt inquirant, an ille eius epistolae auctor verus fuerit, an eius iussu fuerit edita; et quaecumque repererint, Romam mittant. N. O.

D. Romae apud S. M. Mai. die XXII dec. P. a. X. a. D. 1653.

(1) B. R. t. 6. p. 3. p. 264. C. C.

L.

Idem mandatur aliis Episcopis.

INNOCENTIUS X fratribus, etc.

Incipit *Nuper pervenit, etc.* (1).

Praeter quatuor recensitos Episcopos alios quatuor deputat Innocentius Meldunensem, Rhedonensem, Macloviensem et Glandatensem ad capiendam informationem de memorata epistola.

Iubenturque repertam Romam mittere. N. O.

D. Romae apud S. M. Mai. die XVI mart. P. a. X. a. D. 1654.

LI.

Alia perquisitio de aliis epistolis iubetur.

INNOCENTIUS X venerabilibus fratribus, etc.

Incipit *Alias per nostras, etc.* (2).

Quoniam ob nimiam distantiam non poterant deputati omnes Episcopi convenire, decernit Innocentius, ut non minore numero quam duo ad verificationem epistolae deveniant.

Quia vero alii duo Episcopi Bellovacensis die XII novemb. a. 1653, et Convenarum die X octob. eodem anno, quisque epistolam ediderant contra constitutionem de propositionibus Iansenii Pontificiam, iisdem, quibus supra, Episcopis mandat, ut de his quoque duabus pastoralibus inquirant. N. O.

D. Romae apud S. M. Mai. die XXVI oct. P. a. XI. a. D. 1654.

LII.

Decanus et capitulum Bellovacense comprehenduntur appellatione Ordinariorum in suo territorio.

INNOCENTIUS X ad p. r. m.

Incipit *Exponi nobis, etc.* (3).

Capitulum Bellovacense habet territorium exemptum a iurisdictione Ordinarii.

(1) Ib. p. 274. C. C.
(2) Ib. p. 284. C. C.
(3) Ib. p. 287. C. C.

Damnationem quinque Iansenii propositiouum Decanus et capitulum in suo territorio publicari mandarunt. Episcopus Bellovacensis propterea contra Decanum et capitulum excommunicationem publicavit in praeiudicium eorum iurisdictionis in eorum territorio.

Decanus et capitulum ad congregationem concilii confugerunt, ut provideret; quae censuit *Decanum et capitulum comprehendi appellatione Ordinariorum in locis, in quibus habent iurisdictionem.*

Ad instantiam eiusdem capituli et Decani Pontifex decretum congregationis confirmat. N. O. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud S. M. Mai. die XXIII dec. P. a. XI, a. D. 1654.

LIII.

Confirmatio commissionis.

ALEXANDER VII venerabilibus fratribus, etc.

Incipit *Alias cum, etc.* (1).

Relatas modo Innocentii constitutiones praedecessoris sui Alexander confirmat;

Praecipitque supradictis Praesulibus inquisitionem verificationis epistolarum, etc. N. O.

D. Romae apud s. Petrum die XXIV P. a. I. a. D. 1665.

LIV.

Internuncius Belgii deputatur executor litterarum Ap. de damnatione quinque propositionum Iansenii.

ALEXANDER VII Abbati s. Mariae Montis Regalis.

Incipit *Quamvis in litteris, etc.* (2).

Licet omnes Praelati Belgii fuerint ab Innocentio deputati executores litterarum Ap. quibus damnantur quinque Iansenii propositiones, tamen

(1) B. R. t. 6. p. 4. p. 4. C. C.
(2) Ib. p. 145. C. C.

cum audisset Pontifex, quosdam eorum easdem propositiones defendere, deputat executorem Abbatem s. Mariae Montis Regalis, qui est internuncius Belgii,

Cui idcirco dat opportunas facultates. N. O.

D. Romae apud S. M. Mai. die VII octob. P. a. II. a. D. 1656.

LV.

Confirmatio proscriptionis quinque propositionum.

ALEXANDER VII universis Christifidelibus.

Incipit *Ad sanctam, etc.* (1).

Alexander cum Cardinalis esset, omnibus congregationibus super relatis Iansenii propositionibus habitis interfuit.

Assumptus ad Pontificatum eiusdem antecessoris Innocentii constitutionem condemnatoriam earumdem propositionum renovat et confirmat cum omnibus poenis, etc.

N. O. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud S. M. Mai. XVII kal. nov. P. a. II. a. D. 1656.

LVI.

Nova deputatio internuncii Belgii in executorem.

ALEXANDER VII Abbati s. Mariae Montis Regalis.

Incipit *Nuper constitutionem, etc.* (2).

Confirmaverat Alexander constitutionem Innocentii X damnatoriam quinque Iansenii propositionum.

Ut illa in Belgio observetur, nihilque contra illam scribatur, eius executorem Abbatem praedictum Belgii internuncium cum necessariis facultatibus iterum deputat. N. O.

D. Romae apud S. M. Mai. dio XXIV nov. P. a. II. a. D. 1656.

(1) B. M. t. 6. p. 46. Ib. p. 150. C. C.
(2) Ib. p. 163. C. C.

LVII.

Lovaniensem academiam hortatur,
ut detestetur Iansenii propositiones, Alexander.

ALEXANDER VII rectori et universitati Lovanii.

Incipit *Pacis inter ambos, etc.* (1).

Memorat in suo Brevi Alexander privilegia, quae a S. Sede Lovaniensis sedes accepit.

Eam laudat quod theologicis studiis tam sedulo vacet,

Eam hortatur, ut in controversiis Pontificis partes tutetur;

Eam demum commendat, quod a Iansenii propositionibus abhorreat, ad quod semper peragendum illam orat.

D. Romae apud S. M. Mai. die VII aug. P. a. VI. a. D. 1660.

LVIII.

Laudat Alexander Lovanienses,
quod nolint neminem ad gradum admittere, nisi iuret
se damnare dictas propositiones.

ALEXANDER VII rectori, decano et theologicae facultatis magistris regentibus Lovaniensibus.

Incipit *Litteras vestras, etc.* (2).

Scripserant Pontifici Lovanienses magistri et regentes, se neminem admissuros ad gradus doctoratus esse, qui non iurasset, se quinque Iansenii propositiones ab Innocentio X primum, deinde ab eo proscriptas condemnare.

Eos laudat Alexander, iubetque amplam mercedem a Deo illos sibi pollicere.

Hortaturque eos ad amplexandam doctrinam praestantissimorum theologorum divi Augustini et divi Thomae.

D. Romae apud S. M. Mai. die VII aug. P. a. VI. a. D. 1660.

(1) B. M. p. 4. vel t. 10. p. 201.
(2) Ib. p. 202.

LIX.

Vicarios Ecclesiae Parisiensis declarat Alexander incurrisse in censuras, quod interpretati sunt Innocentii Bullam, etc.

ALEXANDER VII nuncio A. in Gallia et Archiepiscopo Tolosano.

Incipit *Pervenit ad aures, etc.* (1).

Ioannes Baptista de Contes et Alexander de Hodeng Cardinalis de Retz Archiepiscopi Parisiensis Vicarii generales in spiritualibus an. 1660, die VIII iunii edictum publicarunt, *quo temerariis mendaciis asserere ausi sunt, tempore Innocentii X fuisse tantum tractatum, utrum illae quinque propositiones Iansenii essent catholicae, an falsae,* non fuisse autem damnatas.

Mandat igitur Alexander praefatis, ut declarent Vicarios incurrisse poenas enunciatas in Bullis Innocentii et ipsius Alexandri et ut contra illos et contra quoscumque idem sentientes procedant. N. O.

D. Romae apud S. M. Mai. kal. aug. P. a. VII. a. D. 1661.

LX.

Formula iuramenti praestandi a Praelatis, regularibus, doctoribus, etc. de non defendendis Iansenii propositionibus in regno Galliae.

ALEXANDER VII ad p. r. m.

Incipit *Regiminis Apostolicae, etc.* (2).

Cum virus Jansenianum latius serperet, nullum fore opportunius remedium rex christianissimus illi tollendo significavit Alexandro, quam si formula quaedam proponeretur, quae subscriberetur ab omnibus Ecclesiae Praelatis saecularibus et regularibus, monialibus, doctoribus licentiatis totius Galliae regni.

(1) B. R. t. 6. p. 5. p. 159. C. C.

(2) B. M. t. 6. p. 211. B. R. t. 6. p. 6. p. 57. C. C.

Eam igitur praescribit Alexander iurandam a supradictis, ac talis est: *Ego N. constitutioni Apostolicae Innocentii X datae die* 31 *maii, a.* 1653, *et constitutioni Alexandri VII datae die* 16 *octob.* 1656, *summorum Pontificum, me subiicio et quinque propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui nomen Augustinus, excerptas et in sensu ab eodem auctore intento, prout illas per dictas constitutiones Sedes A. damnavit, sincero animo reiicio et ita iuro. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia.*

Mandat Pontifex omnibus Praelatis, ut hanc formulam publicent et secundum eam iurare nolentes poenis ecclesiasticis coerceant, invocato etiam si opus fuerit brachio saeculari. N. O. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud S. M. Mai. XV kal. mar. P. a. VI. a. D. 1665.

LXI.

Duobus Archiepiscopis et aliquot Episcopis Galliae, ut mandamenta quatuor eiusdem regni Episcoporum super iusso formulario edita supprimi faciant, commissio.

ALEXANDER VII Archiepiscopis Tolosano et Bituricensi, et Episcopis Vanzen. Lamberten. Maclovien. etc.

Incipit *Cum nos, etc.* (1).

Vix ac prodiit praedictum formularium, quatuor Galliae Episcopi, Aletensis, Andegavensis, Apamiarum, Bellovacensis *quasdam protestationes, seu declarationes, quas idiomate gallico mandamenta vocant, adversus dictum formularium fecerunt et typis edi curaverunt.*

Ne malum in praedictis mandamentis contentum serpat et inficiantur populi, mandat supradictis Archiep. et Episcopis Alexander, ut curent, ut illi Episcopi revocent praedicta mandamenta, eaque colligant; et nisi intra duos menses a die intimationis praesentium illi Episcopi ostenderint, se paruisse Apostolicis mandatis, contra eos tanquam inobedientes procedant.

Haec commissio a data harum litterarum duret per annum. N. O.

D. Romae apud S. M. Mai. die XXII apr. P. a. XIII. a. D. 1667.

(1) B. R. t. 6, p. 6, p. 160. C. C.

LXII.

Mandatur praefatis Praesulibus, ut subscribant et subscribi faciant praedicto formulario.

ALEXANDER VII Archiep. Tolosano, etc.

Incipit *Licet alias, etc.* (1).

Hoc quoque negotium dat Alexander praedictis Archiep. et Episc. ut supradictos quatuor Episcopos infra triginta dies a notificatione huius decreti inducant ad subscribendum *pure, simpliciter, absque ulla omnino protestatione, exceptione, vel declaratione* et persuadeant subditis suis ad subscribendum et subscribant ipsi.

Nisi quatuor illi Episcopi hoc praestiterint, suspendantur ab exercitio Pontificalium et ab ingressu in Ecclesiam.

Haec quoque commissio duret per annum. N. O.

Nulli ergo, etc.

D. Romae apud S. M. Mai. die XXII apr. P. a. XIII, a. D. 1667.

LXIII.

Interdicit omnibus, ne verba iuramenti iussi ab Alexandro, aliter ac sonant, interpretentur, Pontifex.

INNOCENTIUS XII. Decretum.

Incipit *Sanctissimus D. N. etc.* (2).

Ad praecavendas omnes dissidiorum causas, quae Christianam pacem dilacerant tam verbis, quam scriptis super interpretatione formularii Alexandri VII in condemnatione quinque propositionum ex libro Cornelii Iansenii excerptarum et damnatarum, quoscumque alios sensus formularii praedicti praeter eum, quem in sensu obvio ipsius verba exhibent, afferri, usurpari, aut de his disputari Innocentius interdicit cuicumque cuius–

(1) Ib. p. 161. C. C.
(2) B. M. t. 7, p. 274

cumque gradus, dignitatis et instituti sit, sub poena privationis officiorum, dignitatum, munerum; qui aliter egerit, etc.

Die IV febr. a. D. 1694.

LXIV.

Reiicitur eorum opinio, qui aiebant, corde posse defendi Iansenii propositiones, satis esse ad observantiam Pontificiarum constitutionum obsequiosum silentium.

CLEMENS XI universis Christi-fidelibus.

Incipit *Vineam Domini, etc.* (1).

Repetit initio statim Clemens, quae egerit Innocentius X, ut extingueret Iansenianum virus initio sui ortus; quaeque Alexander VII (cuius constitutionem refert verbo ad verbum), confirmans quidquid Innocentius egerat. Et quia multi negabant, has quinque propositiones esse in libro Iansenii, idem Alexander per aliam constitutionem (quae hic apponitur) inhaerens Innocentii decretis, se eas damnare in eo sensu, quem habuit Iansenius, declaravit.

Ne autem subterfugia quaererentur ad eludendam eamdem constitutionem, idem Pontifex formulam tradidit, iuxta quam iurarent, qui vellent munera in regno Franciae accipere vel ecclesiastica, vel etiam saecularia.

Post haec iam debuisset supprimi haec controversia; sed opus fuit ut et Clemens IX die 19 iann. a. 1669 ad quatuor Episcopos Galliae (desideratur in utroque Bullario), et Innocentius XII die 6 febr. an. 1694 et die 24 nov. a. 1696, quia Iansenistae dicebant decreta Pontificia suis opinionibus favere, ut scriberent in forma Brevis observantiam omnimodam praedecessorum Pontificum constitutionibus praescribentes.

Nihilominus in his quoque Brevibus quaedam invenerunt quidam cur dicerent, tuto se posse sequi Iansenii opinionem; nempe posse eos, qui ex corde credunt eas propositiones in Iansenio non esse, Alexan-

(1) B. M. t. 8, p. 33. B. R. t. 10, p. 1, p. 145. C. C.

dri constitutioni se subscribere, quasi vere (reponit Pontifex) possit agi contra quod scriptum est, *qui loquitur veritatem in corde suo, etc. qui iurat proximo suo, et non decipit, etc.*

Ergo Clemens ut funditus hoc malum evellat, decernit obsequiosum silentium non satis esse ad observandas Pontificias constitutiones, sed opus esse interna et verbali condemnatione, et ita subscribendam formulam.

Renovat demum poenas inflictas a praedecessoribus iis, qui illas propositiones propugnaverint et docuerint.

Nulli ergo, etc.

D. Romae apud S. M. Mai. XVII cal. aug. P. a. V. a. D. 1705.

LXV.

Damnatio versionis Gallicae Novi Testamenti.

CLEMENS IX ad f. r. m.

Incipit *Debitum pastoralis, etc.* (1).

Prodiit *Montibus Hannoniae et Lugduni (ut inscribitur) typis impressus liber*, cuius titulus, *Le Nouveau Testament de nôtre Seigneur Jesus Christ traduit en Français selon l'édition vulgaire avec les differences du Grec.*

Hunc librum tamquam *temerarium*, *damnosum*, *a vulgata editione difformem et offendicula simplicium continentem* sub consuetis poenis eum retinentibus, legentibus, imprimentibus Clemens proscribit. N. O.

D. Romae apud s. Petrum die XX apr. P. a. I. a. D. 1668.

LXVI.

Damnatio libri Le nouveau Testament, *etc.*

CLEMENS XI ad f. r. m.

Incipit *universi Dominici*, *etc.* (2).

Prodierat Lutetiae Parisiorum liber in plures tomos distributus, sic dictus:

(1) B. R. t. 6. p. 6. p. 254. C. C.
(2) B. M. t. 8. p. 67. Ib. p. 200. C. C.

Le nouveau Testament en Français avec des réflexions morales sur chaque verset, etc. A Paris 1699.

Et aliter: Abrégé de la morale de l'Evangile, des Actes des Apôtres, des epîtres de s. Paul, des epîtres canoniques et de l'Apocalypse, ou pensées Chrétiennes sur le texte de ces livres sacres; et à Paris 1692 *et* 1694 *se vendent à Bruxelles chez Eugène Henry Fricx.*

Hunc librum, 1. *utpote qui sacrum ipsum Novi Testamenti textum exhibet damnabiliter, nec sine ausu temerario vitiatum;* 2. *et alteri versioni Gallicae damnatae a Clemente IX die* 26 *apr. a.* 1668 *in multis conformem;* 3. *et a vulgata versione, quae tot saeculorum usus in Ecclesia probata est et ab omnibus orthodoxis pro authentica haberi debet;* 4. *et notas Ianseniunam haeresim manifesto sapientes* Clemens interdicit legendum, retinendum, imprimendum sub poenis, etc.

D. Romae apud S. M. Mai. die XIII iul. P. a. VIII, a. D. 1708.

LXVII.

Damnatio epistolae super casu conscientiae, etc.

CLEMENS XI ad p. r. m.

Incipit *Cum nuper, etc.* (1).

Quaedam folia gallico idiomate in lucem edita sub titulo:

*Lettre de M. *** Chanoine de B. à monsieur T. D. A. etc. cas de conscience proposé par un confesseur de Province touchant un Ecclesiastique, qui est sous sa conduite et résolu par plusieurs de la faculté de Théologie de Paris,*

Damnat Pontifex sub poenis infligendis legentibus, retinentibus, imprimentibus, etc.

Casus erat, an parochus possit absolvere poenitentem, qui cum teneatur iurare iuxta formularium illud, iuraret secundum pacem Clementis IX et Innocentii XII. Hoc est damnando quinque propositiones tamquam haereticas in earum sensu litterali, et obsequioso silentio prae-

(1) B. M. t. 6. vel t. 12. p. 385. B. R. t. 10. p. 1. 68. C. C.

teriens, utrum tales essent, an non in libro et in sensu Iansenii. Antonius Arnaldus eum proposuerat.

D. Romae apud s. Petrum die XII febr. P. a. III. a. D. 1703.

LXVIII.

Proscriptio librorum Episcopi s. Pontii.

CLEMENS XI ad p. r. m.

Incipit *Cum alia, etc.* (1).

Proscribuntur a Pontifice hi libri Episcopi s. Pontii, sicut fuerant damnati alias, editi *non sine bonorum indignatione et pusillorum scandalo et animarum periculo*, *nec non in apertam fraudem et elusionem constitutionis* Vineam Domini *ad exstirpandam Iansenianam haeresim;*

Minitaturque Pontifex se usurum suprema potestate ad coërcendam inobedientiam.

I. Mandement de monseigneur l'Évêque de s. Pons touchant l'acceptation de la Bulle de N. S. P. le Pape Clément XI sur le cas signé par XL docteurs, avec la justification des 23 Évêques; qui voulant procurer la paix d'Église de France en 1667 se servirent de l'expression d'un silence respectueux pour marquer la soummission, qui est due aux décisions de l'Église sur les faits non révélés, avec le moyen de rétablir à présent cette paix. a. 1706.

II. Nouvelle lettre de monseigneur l'Évêque de s. Pons, qui refute celle de monseigneur l'Archevêque de Cambray touchant l'infaillibilité du Pape. a. 1707.

III. Lettre de monseigneur l'Évêque de s. Pons à monseigneur l'Archevêque de Cambray, où il justifie les XIX Évêques, qui écrivirent en 1667 au Pape et au Roy au sujet des IV célèbres Évêques de Alet, de Pasivez, de Beauvais et de Angers.

IV. Réponse de monseigneur l'Évêque de s. Pons à la lettre de monseigneur l'Archevêque de Cambray.

D. Romae apud s. Petrum die X ian. P. a X. a. D. 1710.

(1) Ib. p. 479. Ib. p. 221. C. C.

LXIX.

Proscriptio libri Entrétiens sur le decret de Rome.

CLEMENS XI ad p. r. m.

Incipit *Cum sicut, etc.* (1).

Et hic libellus contra constitutionem Clementis *Universi Dominici* prodiit Parisiis:

Entrétiens sur le décret de Rome contre le nouveau Testament de Chalons, accompagné des reflexions morales, où l'on découvre le vrai motif de ce décret, on soutient les droits des Évêques et l'on justifie l' approbation de monseigneur le Cardinal de Noailles Archévêque de Paris. a. 1709.

Clemens eum interdicit sub poenis, etc. tamquam continentem propositiones *scandalosas*, *perniciosas*, *iniuriosas Apostolicae Sedi*, *erroneas*, *schismaticas, ac haeresi proximas et haereticas.*

D. in Arce Gandulphi die VI iunii id. P. a. X. D. 1710.

LXX.

Propositiones erutae e libro Le nouveau Testament, *damnantur.*

CLEMENS XI universis Christi-fidelibus.

Incipit *Unigenitus Dei, etc.* (2).

Haec est celebris Bulla, in quam, veluti classico, excitati multi eruperunt.

Damnat et rursus Clemens librum *Le nouveau Testament, etc.*

Iussuque Pontificis, illo rursus examinato sedulo et attente, centum et una propositiones inventae sunt minus catholicae, sed purum, putumque Iansenismum olentes.

(1) Ib. p. 486. Ib. p. 235. C. C.
(2) B. M t. 8. p. 118. Ib. p. 320. C. C.

Eas ergo omnes et singulas Clemens damnat, vetatque eas, vel earum quamlibet doceri, propugnari, de ea scribi sub poenis, etc.

Ulterius mandat Praelatis omnibus, ut inobedientes ecclesiasticis poenis coërceant, invocato ad id, si opus sit, etiam brachii saecularis auxilio. *Nulli ergo, etc.*

D. R. apud. S. M. Mai. VI id. sept. P. a. XIII. a. D. 1713.

PROPOSITIONES EX EO LIBRO EXCERPTAE

1. *Quid aliud remanet animae, quae Deum atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum et peccati consecutiones, superba paupertas et segnis indigentia, hoc est generalis impotentia ad laborem, ad orationem et ad omne opus bonum?*

2. *Iesu Christi gratia, principium efficax boni cuiuscumque generis, necessaria est ad omne opus bonum: absque illa non solum nihil fit, sed nec fieri potest.*

3. *In vanum, Domine, praecipis, si tu ipse non das quod praecipis.*

4. *Ita, Domine, omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo.*

5. *Quando Deus non ammollit cor per interiorem unctionem gratiae suae, exhortationes et gratiae interiores non inserviunt, nisi ad illud magis obdurandum.*

6. *Discrimen inter foedus Iudaicum et Christianum est, quod in illo Deus exigit fugam peccati et implementum legis a peccato, relinquendo illum in sua impotentia; in isto vero Deus peccatori dat, quod iubet, illum sua gratia purificando.*

7. *Quae utilitas pro homine in veteri foedere, in quo Deus illum reliquit eius propriae infirmitati, imponendo ipsi suam legem? Quae vero felicitas non est admitti ad foedus, in quo Deus nobis donat, quod petit a nobis?*

8. *Nos non pertinemus ad novum foedus, nisi in quantum participes sumus ipsius novae gratiae, quae operatur in nobis id, quod Deus nobis praecipit.*

9. *Gratia Christi est gratia suprema, sine qua confiteri Christum nunquam possumus et cum qua nunquam illum abnegamus.*

10. *Gratia est operatio manus omnipotentis Dei quam nihil impedire potest, aut retardare.*

11. *Gratia non est aliud, quam voluntas omnipotentis Dei, iubentis et facientis quod iubet.*

12. *Quando Deus vult salvare animam, quocumque tempore, quocumque loco effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei.*

13. *Quando Deus vult animam salvam facere et eam tangit interiori gratiae suae manu, nulla voluntas humana ei resistit.*

14. *Quantumcumque semotus a salute sit peccator obstinatus, quando Iesus se ei videndum exhibet lumine salutari suae gratiae, oportet, ut se dedat, accurrat, sese humiliet et adoret Salvatorem suum.*

15. *Quando Deus mandatum suum et suam aeternam locutionem comitatur unctione sui spiritus et interiori vi gratiae suae, operatur ille in corde obedientiam, quam petit.*

16. *Nullae sunt illecebrae, quae non cedant illecebris gratiae, quia nihil resistit Omnipotenti.*

17. *Gratia est vox illa Patris, quae homines interius docet ac eos venire facit ad Iesum Christum; quicumque ad eum non venit, postquam audivit vocem exteriorem Filii, nullatenus est doctus a Patre.*

18. *Semen verbi, quod Deus irrigat, semper affert fructum suum.*

19. *Dei gratia nihil aliud est, quam eius omnipotens voluntas; haec est idea, quam Deus ipse nobis tradit in omnibus suis Scripturis.*

20. *Vera gratiae idea est, quod Deus vult sibi a nobis obediri et obeditur; imperat et omnia fiunt; loquitur tamquam dominus et omnia sibi submissa sunt.*

21. *Gratia Iesu Christi est gratia fortis, potens, suprema, invincibilis, utpote quae est operatio voluntatis Omnipotentis, sequela et imitatio operationis Dei incarnantis et resuscitantis Filium suum.*

22. *Concordia omnipotentis operationis Dei in corde hominis cum libero ipsius voluntatis consensu demonstratur illico nobis in Incarnatione, veluti in fonte atque archetypo omnium aliarum operationum misericordiae et*

gratiae, quae omnes ita gratuitae atque ita dependentes a Deo sunt, sicut ipsa originalis operatio.

23. *Deus ipse nobis ideam tradidit omnipotentis operationis suae gratiae, eam significans per illam, qua creaturas e nihilo producit et mortuis reddit vitam.*

24. *Iusta idea, quam Centurio habet de omnipotentia Dei et Iesu Christi in sanandis corporibus solo motu suae voluntatis, est imago ideae, quae haberi debet de omnipotentia suae gratiae in sanandis animabus a cupiditate.*

25. *Deus illuminat animam et eam sanat aeque ac corpus sola sua voluntate; iubet et ipsi obtemperatur.*

26. *Nullae dantur gratiae, nisi per fidem.*

27. *Fides est prima gratia et fons omnium aliarum.*

28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio.*

29. *Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia.*

30. *Omnes, quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter.*

31. *Desideria Christi semper habent suum effectum; pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat.*

32. *Iesus Christus, se morti tradidit ad liberandum pro semper suo sanguine primogenitos, idest electos, de manu Angeli exterminantis.*

33. *Pro quantum oportet bonis terrenis et sibimet ipsi renuntiasse, ad hoc, ut quis fiduciam habeat sibi, ut ita dicam, appropriandi Christum Iesum, eius amorem, mortem et mysteria, ut facit s. Paulus dicens: qui dilexit me et tradidit semetipsum pro me.*

34. *Gratia Adami non producebat nisi merita humana.*

35. *Gratia Adami est sequela creationis et erat debita naturae sanae et integrae.*

36. *Differentia essentialis inter gratiam Adami et status innocentiae ac gratiam christianam est, quod primam unusquisque in propria persona recepisset: ista vero non recipitur, nisi in persona Iesu Christi resuscitati, cui nos uniti sumus.*

37. *Gratia Adami sanctificando illum in semetipso, erat illi proportionata: gratia christiana nos sanctificando in Iesu Christo est omnipotens et digna Filio Dei.*

38. *Peccator non est liber, nisi ad malum, sine gratia liberatoris.*

39. *Voluntas, quam gratia non praevenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum; ardoris, nisi ad se praecipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum; est capax omnis mali et incapax ad omne bonum.*

40. *Sine gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem.*

41. *Omnis cognitio etiam naturalis, etiam in philosophis ethnicis, non potest venire, nisi a Deo et sine gratia non producit, nisi praesumptionem et vanitatem et oppositionem ad ipsum Deum loco affectuum adorationis, gratitudinis et amoris.*

42. *Sola gratia Christi reddit hominem aptum ad sacrificium fidei; sine hoc nihil nisi impuritas, nihil nisi indignitas.*

43. *Primus effectus gratiae baptismalis est facere, ut moriamur peccato; adeo ut spiritus, cor, sensus non habeant plus vitae pro peccato, quam homo mortuus habeat pro rebus mundi.*

44. *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones et actiones omnes nostrae nascuntur; amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; et amor, quo nos ipsos ac mundum diligimus, qui, quod ad Deum referendum est, non refert et propter hoc ipsum fit malum.*

45. *Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones eius corrumpat.*

46. *Cupiditas aut charitas usum sensuum bonum, vel malum faciunt.*

47. *Obedientia legis profluere debet ex fonte, et hic fons est charitas. Quando Dei amor est illius principium interius et Dei gloria eius finis, tunc purum est quod apparet exterius; alioquin non est, nisi hypocrisis, aut falsa iustitia.*

48. *Quid aliud esse possumus, nisi tenebrae, nisi aberratio et nisi peccatum sine fidei lumine, sine Christo et sine charitate?*

49. *Ut nullum peccatum est sine amore nostri, ita nullum opus bonum est sine amore Dei.*

50. *Frustra clamamus ad Deum, Pater mi, si spiritus charitatis non est ille, qui clamat.*

51. *Fides iustificat, quando operatur: sed ipsa non operatur, nisi per charitatem.*

52. *Omnia alia salutis media continentur in fide, tamquam in suo germine et semine: sed haec fides non est absque amore et fiducia.*

53. *Sola charitas christiano modo facit (actiones christianas) per relationem ad Deum et Iesum Christum.*

54. *Sola charitas est, quae Deo loquitur, quam solam Deus audit.*

55. *Deus non coronat nisi charitatem; qui currit ex alio impulsu et ex alio motivo, in vanum currit.*

56. *Deus non remunerat nisi charitatem, quoniam charitas sola Deum honorat.*

57. *Totum deest peccatori, quando ei deest spes et non est spes in Deo, ubi non est amor Dei.*

58 *Nec Deus est, nec religio, ubi non est charitas.*

59. *Oratio impiorum est novum peccatum et quod Deus illis concedit est novum in eos iudicium.*

60. *Si solus supplicii timor animat poenitentiam, quo haec est magis violenta, eo magis ducit ad desperationem.*

61. *Timor nonnisi manum cohibet; cor autem tamdiu peccato adducitur, quamdiu ab amore iustitiae non ducitur.*

62. *Qui a malo non abstinet, nisi timore poenae, illud committit in corde suo et iam est reus coram Deo.*

63. *Baptizatus est adhuc sub lege, sicut Iudaeus, si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore.*

64. *Sub maledicto legis nunquam fit bonum, quia peccatur sive faciendo malum, sive illud nonnisi ob timorem evitando.*

65. *Moyses, prophetae, sacerdotes et doctores legis mortui sunt absque eo quod ullum Deo dederint filium, cum non effecerint nisi mancipia per timorem.*

66. *Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque adduci per instinctum naturalem, aut per timorem, sicuti bestia, sed per fidem et per amorem, sicuti filii.*

67. *Timor servilis non sibi repraesentat Deum, nisi ut dominum durum, imperiosum, iniustum, intractabilem.*

68. *Dei bonitas abbreviavit viam salutis claudendo totum in fide et precibus.*

69. *Fides, usus, argumentum et praemium fidei totum est donum purae liberalitatis Dei.*

70. *Numquam Deus affligit innocentes et afflictiones semper serviunt vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem.*

71. *Homo ob sui conservationem potest se dispensare ab ea lege, quam Deus condidit ob eius utilitatem.*

72. *Nota Ecclesiae christianae est, quod sit catholica, comprehendens et omnes angelos coeli et omnes electos et iustos terrae et omnium saeculorum.*

73. *Quid est Ecclesia, nisi coetus filiorum Dei manentium in eius sinu adoptatorum in Christo, subsistentium in eius persona, redemptorum eius sanguine, viventium eius spiritu, agentium per eius gratiam et exspectantium gratiam futuri saeculi?*

74. *Ecclesia, sive integer Christus, Incarnatum Verbum habet ut caput; omnes vero sanctos ut membra.*

75. *Ecclesia est unus solus homo, compositus ex pluribus membris, quorum Christus est caput, vita, subsistentia et persona, unus solus Christus compositus ex pluribus sanctis, quorum est sanctificator.*

76. *Nihil spatiosius Ecclesia Dei, quia omnes electi et iusti omnium saeculorum illam componunt.*

77. *Qui non ducit vitam dignam Filio Dei et membro Christi, cessat interius habere Deum pro patre et Christum pro capite.*

78. *Separatur quis a populo electo, cuius figura fuit populus iudaicus et caput est Iesus Christus, tam non vivendo secundum evangelium, quam non credendo evangelio.*

79. *Utile et necessarium est omni tempore, omni loco et omni personarum generi studere et cognoscere spiritum, pietatem et mysteria Sacrae Scripturae.*

80. *Lectio Sacrae Scripturae est pro omnibus.*

81. *Obscuritas sancta verbi Dei non est laicis ratio dispensandi se ipsos ab eius lectione.*

82. *Dies dominicus a christiano debet sanctificari lectionibus pietatis et super omnia Sacrarum Scripturarum. Damnosum est, velle christianum ab hac lectione retrahere.*

83. *Est illusio sibi persuadere, quod notitia mysteriorum religionis non debeat communicari feminis lectione Sacrorum Librorum. Non ex feminarum simplicitate, sed ex superba virorum scientia ortus est Scripturarum abusus et natae sunt haereses.*

84. *Abripere a christianorum manibus novum Testamentum, seu eis illud clausum tenere auferendo eis modum illud intelligendi, est illis Christi os obturare.*

85. *Interdicere christianis lectionem Sacrae Scripturae, praesertim evangelii, est interdicere usum luminis filiis lucis et facere, ut patiantur speciem quamdam excommunicationis.*

86. *Eripere simplici populo hoc solatium iungendi vocem suam voci totius Ecclesiae, est usus contrarius praxi apostolicae et intentioni Dei.*

87. *Modus plenus sapientia, lumine et charitate, est dare animabus tempus portandi cum humilitate et sentiendi statum peccati, petendi spiritum poenitentiae et contritionis et incipiendi ad minus satisfacere iustitiae Dei, antequam reconcilientur.*

88. *Ignoramus quid sit peccatum et vera poenitentia, quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum, quibus nos peccatum spoliavit et detrectamus separationis illius ferre confusionem.*

89. *Quartus decimus gradus conversionis peccatoris est, quod, cum sit iam reconciliatus, habet ius assistendi sacrificio Ecclesiae.*

90. *Ecclesia auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos pastores de consensu, saltem praesumptio, totius corporis.*

91. *Excommunicationis iniustae metus numquam debet nos impedire ab implendo debito nostro. Numquam eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulsi, quando Deo, Iesu Christo, atque ipsi Ecclesiae per charitatem affixi sumus.*

92. *Pati potius in pace excommunicationem et anathema iniustum, quam perdere veritatem, est imitare s. Paulum: tantum abest, ut sit erigere se contra aut scindere unitatem.*

93. *Iesus quandoque sanat vulnera, quae praeceps primorum pastorum festinatio infligit sine ipsius mandato: Iesus restituit quod ipsi inconsiderato zelo rescindunt.*

94. *Nihil peiorem de Ecclesia opinionem ingerit eius inimicis, quam videre illic dominatum exerceri supra fidem fidelium et foveri divisiones propter res, quae nec fidem laedunt, nec mores.*

95. *Veritates eo devenerunt, ut sint lingua quasi peregrina plerisque christianis et modus eas praedicandi est veluti idioma incognitum; adeo remotus est a simplicitate Apostolorum et supra captum fidelium: neque satis advertitur, quod id defectus sit unum ex signis maxime sensibilibus senectutis Ecclesiae et irae Dei in filios suos.*

96. *Deus permittit, ut omnes potestates sint contrariae praedicatoribus veritatis, ut eius victoria attribui non possit, nisi divinae gratiae.*

97. *Nimis saepe contingit, membra illa, quae magis sancte et magis stricte unita Ecclesiae sunt, respici atque tractari tamquam indigna, ut sint in Ecclesia, vel tamquam ab ea separata: sed iustus vivit ex fide et non ex opinione hominum.*

98. *Status persecutionis et poenarum, quas quis tolerat tamquam haereticus, flagitiosus et impius, ultima plerumque probatio est et maxime meritoria, utpote quae facit hominem magis conformem Iesu Christo.*

99. *Pervicacia, praeventio, obstinatio in nolendo aut aliquid examinare, aut agnoscere se fuisse deceptum, mutant quotidie quoad multos in odorem mortis id, quod Deus in sua Ecclesia posuit, ut in ea esset odor vitae, v. g. bonos libros, instructiones, sancta exempla.*

100. *Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus, persequendo veritatem, eiusque discipulos; tempus hoc advenit... Haberi et tractari a religionis ministris tamquam impium et indignum omni commercio cum Deo, tamquam membrum putridum, capax corrumpendi omnia in societate sanctorum, est hominibus piis morte corporis mors terribilior. Frustra quis sibi blanditur de suarum intentionum puritate et zelo quodam religionis, persequendo flamma, ferroque viros probos, si propria passione est excaecatus, aut abreptus aliena, propterea quod nihil vult examinare. Frequenter credimus sacrificare Deo impium et sacrificamus diabolo servum.*

101. *Nihil spiritui Dei et doctrinae Iesu Christi magis opponitur, quam communia facere iuramenta in Ecclesia, quia hoc est multiplicare occasiones peierandi, laqueos tendere infirmis et idiotis, et efficere, ut nomen et veritas Dei aliquando deserviant consilio impiorum.*

LXXI.

Damnantur quaedam opuscula contra constitutionem Unigenitus *edita.*

CLEMENS XI. Decretum.

Incipit *Sacra congregatio, etc.* (1).

Haec opuscula edita contra vix emissam in lucem constitutionem *Unigenitus* damnat sacra Cardinalium inquisitorum fidei congregatio.

I. Lettre pastorale et mandement de monseigneur l'Évêque de Boulogne, au sujet de la constitution de notre saint Père le Pape le 8 *septembre* 1713, quod incipit *Pierre, etc. Ce qui c'est passé, etc.* et desinit, *donné à Boulogne le* 12 *mars* 1714.

II. Lettre pastorale et mandement de monseigneur l'illustrissime et reverendissime Évêque comte de Chalons, pair de France ou sujet de la constitution de notre s. Père le Pope 8 *septembre* 1713, quod incipit *Goston, etc. l'intérêt, que vous avez pris, etc.* et desinit *donné à Cholons, etc. le quinzième de mars* 1714.

III. Lettre pastorol, ou mandement de monseigneur l'Évêque de Bayonne au sujet de lo constitution de notre soint Père le Pope 8 *septembre* 1713, quod incipit, *Andrée, etc. Des incommodités;* et desinit, *donné à Bayonne, etc. Ce* 22 *mars* 1714.

Dio V mai. 1714.

LXXII.

Suspenduntur privilegia universitatis Sorbonae ad beneplacitum S. Sedis, quod contra constitutionem Unigenitus *reclamavit.*

CLEMENS XI ad p. r. m.

Incipit *Circumspecto*, *etc.* (2).

Nihil magis curarunt Romani Pontifices, quam ut collegia et universitates instituerent, privilegiisque ornarent. Inter has universitates Sorbona praecipue eminet, quae plurima accepit a Pontificibus privilegia et indulta.

(1) Ib. p. 402.

(2) Ib p. 180 B. R. t. 1. p. 2. p. 95. C. C.

Ea, vix ac edita fuit a Clemente constitutio *Unigenitus*, illam suscepit, in suas tabulas referri iussit, praecepitque, *ut ab omnibus et singulis magistris, doctoribus, baccalaureis et canditatis pari obsequio coleretur et observaretur.*

Sed paulo post quidam doctores immemores beneficiorum a S. Sede acceptorum, sui doctoratus immemores decretum pontificium *ut falsum adulterinum, commentitium, atque ex ipsius facultatis commentariis credendum esse declaraverunt.*

Hinc ii, *moderno praesertim Syndico viam aberrantium praecunte*, ausi sunt eam constitutionem *impetere, atque proscindere:* collegas suos qui illam defendebant, *plurimum divexare, Episcopos, qui illi adhaerebant, abiudicare et despicere et etiam publice impetere.*

Diu, ait Pontifex, se continuisse, sperantem, in veritatis viam aberrantes redire posse, neque statim eam academiam sub immediata b. Petri protectione existentem voluisse arguere.

Sed cum ii doctores *ad cor redire nolint, abiecta paterna charitate,* omnia indulta ac privilegia ei scholae a summis Pontificibus concessa suspendit ad beneplacitum S. Sedis.

Interim dum suspensio perdurat, neminem ad gradus scholasticos vult promoveri et si quis promoveator, negat eum debere recognosci a S. Sede et a quovis ecclesiastico Praelato Sorbonae doctorem.

Membra tamen eius scholae, quae his refractariis non adhaerent, his poenis subiecta esse non debent.

D. Romae apud S. M. Mai. die XVIII nov. P. a. XVI. a. D. 1716.

LXXIII.

Hortatio ad Episcopos Galliae, qui acceptarunt constitutionem, ut inducant et alios ad eam acceptandam; refractariis excommunicationis minitatio.

CLEMENS XI universis Christi-fidelibus.

Incipit *Pastoralis officii*, *etc.* (1).

Narrat Clemens, causam dissidiorum in Ecclesia Gallicana fuisse damnationem libri inscripti *Le nouveau Testament*, *etc.*

Se eum damnasse, quia cum sit pastor primus Ecclesiae, debet ea semina evellere, quae in gregis Dominici perniciem crescunt.

Sed id egisse motum plurimorum proborum virorum in Gallis existentium precibus, precibus etiam Ludovici XIV regis.

Indocti quidam videntes nonnullos Galliae Episcopos huic constitutioni sese opponere, datis in publicum mandatis, excusserunt reverentiam illam, quae Apostolicae Sedi in rebus fidei debetur.

Iam volebat Clemens remediis acrioribus rem prosequi, sed Cardinalium collegium eum rogavit, ut mitius ageret, ut expectaret, donec spiritus defervesceret. Igitur per annos quatuor Pontifex distulit.

Interim Episcopi quidam, qui primo constitutioni adversabantur, re serius perpensa, in rectum tramitem redierunt, confessique sunt, iure librum illum Vaticani fulminibus fuisse confictum.

Nunc ergo rogat Pontifex probos viros, et iam veritatem amplexos, ut divinam opem implorent pro iis, qui in tanta luce caecutiunt, ut ad agnitionem veri luminis perveniant; hortatur refractarios ut resipiscant;

Obtemperantes monet, ut eos fugiant, ne ab illis inducantur in errorem;

Si refractarii parere recusent, eos monet se post hac eos ab Ecclesiae gremio expulsuros;

(1) Ib. p. 205 Ib p. 139. C. C.

Episcopos, qui vera sentiunt, admonet, nt vigilantius custodiant gregem suum, neque permittant, eum abduci ab incredulis in errorem. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud S. M. Mai. V cal. sept. P. a. XVIII. a. D. 1718.

LXXIV.

Decernitur, debere ab omnibus denunciari inobedientes constitutionibus Unigenitus et Pastoralis.

CLEMENS XI. Edictum.

Incipit *Essendo a noi, ecc.* (1).

Congregatio sacrae universalis inquisitionis, ut evellat penitus nonnullorum inobedientiam constitutionibus pontificiis *Unigenitus et Pastoralis*, praescribit terminos tres, dierum decem quemlibet, intra quos debeant denuntiare.

I. Quos norunt his constitutionibus inobedientes, qui disputant de iis propositionibus, eas defendunt, eas docent;

II. Qui carpunt eas pontificias constitutiones.

III. Qui vendunt, retinent, legunt, imprimunt et commodant libros dictas propositiones defendentes, et apostolica decreta parvi pendentes, et etiam lacerantes;

IV. In omnes et singulos ita delinquentes animadvertet sacra congregatio ut in schismaticos et haereticos;

V. Quod si qnis aliquem ex supradictis agnoscens non denuntiabit, subiaceat excommunicationis latae sententiae poenae.

VI. Neque satis erit per litteras, chirographnm, internnntium peccantes denuntiare, sed qui eos novit, debet se omnino ad tribunal sistere et eornm nomina exponere.

D. Romae ex aedibus s. officii die XIX. dec. a. D. 1718.

(1) Ib. p 404.

LXXV.

Proscriptio libri Première instruction pastorale de son Éminence Monseigneur le Cardinal de Noailles Archévèque de Paris.

CLEMENS XI. Decretum.

Incipit *in congregatione, etc.* (1).

Librum editum *cum magna bonorum offensione, atque animarum periculo inscriptum:*

Premièrc instruction pastorale de son Éminence Monseigneur le Cardinal de Noailles Archévèque de Paris au Clergé séculier, et régulier de son diocèse sur la constitution Unigenitus;

Parisiis impressum apud Ioannem Baptistam Delespine anno 1719;

Examinatum *per specialiter ad id deputatos tamquam continentem doctrinas falsas, captiosas, scandalosas, omnibus Episcopis Italiae et Ecclesiae catholicae iniuriosas* interdicit Pontifex sub poenis, etc.

D. Romae die XV aug. a. D. 1719.

Series controversiarum; articuli cleri gallicani congregati, Archiepiscopi articuli missi Romam ad Benedictum XIII.

Ne pigeat lectorem scire (quoniam incidit mentio Cardinalis de Noaillio) rem totam de eo, praecipue cum allatura multum sit claritatis dissidiis enatis ex illa constitutione.

Rem deprompsimus ex Ottierio Hist. l. 16. p. 447. et II. Edit. Venetae.

Iam ab Episcopis Galliae habebantur congressus, bonaque pars acceptare pontificiam constitutionem attestata est. Sed Cardinalis Noaillius iam tum ostendebat, se pacem turbaturum; obstacula enim opponebat.

Conventus Praesulum septem capitula statuit:

I. Cardinales et Episcopos Galliae agnoscere in constitutione Unigenitus *Ecclesiae doctrinam;*

II. Submisse, et reverenter se acceptare praedictam constitutionem;

(1) Ib. p. 405.

III. Se damnare librum le Nouveau Testament *et centum et unam propositiones in eo contentas;*

IV. Antequam solvatur congressus, se efformaturos instructionem Pastoralem, quam singuli Episcopi in suis dioecesibus edant;

V. Se scripturos haec omnia ad Praesules absentes:

VI. Et ad Pontificem in gratiarum actionem;

VII. Gratias agent regi.

Archiepiscopus Parisiensis finxit se haec omnia approbare, Bullaque fuit *registrata in parlamento.*

Ergo Episcopi scripserunt Pontifici, eumque fecerunt certiorem de actis a clero gallicano in congressu, a quo etiam benigne iis responsum. Sorbona quoque Bullam acceptavit.

Interim Praesules Parisiensis et Turnensis turbas movere per se et per alios.

Indignatus magnopere ad haec rex Romam legatum misit, qui significaret Pontifici, nullam esse potiorem ad stabiliendam pacem rationem, quam cogere nationale concilium; a quo tamen cogendo aula romana abhorrebat, licet summopere exoptaretur a rege.

Caeterum conditiones illae appositae in Bulla, ut acceptaretur *pure et simpliciter*, magnopere displicebant Noaillio; videbatur enim Pontifex ita statuens, velle Episcopos Galliae esse tantum executores, ac proinde derogare aliqua ex parte libertati Ecclesiae Gallicanae, cuius iura Noaillius inter caeteros vel speciali ratione tueri debere se credebat.

Interim mortuo Ludovico XIV rege, a Philippo Aurelianensi Duce, assumpto ad regimen, Ludovico XV inter minoritatis annos versante, data fuit Episcopis facultas constitutionem acceptandi, vel reiiciendi ad libitum.

Ad haec ergo Noaillius, caeterique eius socii appellarunt ad futurum concilium, nihilque motus Archiepiscopus litteris, quibus Clemens eum hortabatur, ut ad concordiam rediret, instructionem pastoralem *(quae damnata fuit, in praecedenti proximo decreto)* edidit contra constitutionem *Unigenitus*.

Haec acta fuerant usque ad pontificatum Benedicti XIII, qui cum iniisset amicitiam cum Cardinali Noaillio Romae in conclavi, in quo

electus fuit Innocentius XII, semperque eum coluisset, speravit fore, ut Noaillius resipisceret si ad eum scriberet, quod fecit Benedictus. Enimvero iam discesserat a sua sententia non parum ad humanissimas litteras, quas optimus Pontifex crebras familiariter ad eum miserat.

Cardinalis itaque, antequam se submitteret, articulos duodecim Romam misit, Pontificem interrogans, admitteretne eos, an non. Articuli sunt hi.

I. Post Adae peccatum nemo deinceps veram iustitiam, aut salutem aeternam adipisci potest absque mediatoris et Redemptoris fide, modo magis explicita, seu distincta, pro varietate temporum et personarum.

II. Lex Moysis vi propria necessariam ad implenda Dei praecepta gratiam non conferebat.

III. Absolutae Dei voluntati nemo resistit.

IV. Ut in statu naturae lapsae liberum hominis arbitrium peccare, aut mereri censeatur, non requiritur aequalis ad bonum et ad malum facilitas, aut aequalis utrimque propensio, nec vires in voluntate aequales.

V. Caecis et obduratis omnem gratiam interiorem aliquando subtrahi in poenam praecedentium peccatorum multi et celebres theologi sine erroris periculo propugnant. Qui autem omni gratia destituti gravia peccata controherent, coram Deo reos non esse, nemo docere audeat.

VI. Praecipuum religionis caput est divinum mandatum de dilectione Dei a caeteris praeceptis distinctum.

VII. Omnium nostrarum actionum ad Deum directio res est praecepti, non consilii tantum; non sufficit, si tendant interpretative tantum ad Deum.

VIII. Qui Deum ignorans, vel de Deo actu non cogitans vel expresse ad peccati malitiam non advertens graviter peccat, Deum offendit.

IX. Tutam salutis viam minime sequuntur, qui in sacramento Poenitentiae non requirunt eam Dei dilectionem, quam ad iustificationem in Baptismo ab adultis exquirunt concilium Arausicanum II et concilium Tridentinum.

X. Evangelicis praeceptis et Ecclesiae regulis consentanea est praxis, qua differtur absolutionis beneficium poenitentibus gravissimorum, aut publicorum scelerum reis, vel iis, qui in peccati lethalis consuetudine, aut

occasione proxima versantur, vel iis, qui inimicitias deponere, ablata proximo suo bona, seu famam, honoremve restituere, scandala reparare renuunt, aut sua culpa procrastinant, vel qui sincerae conversionis dubia exhibent signa, vel iis, qui mysteria fidei, aut christianae vitae praecepta addiscere negligunt; vel generatim iis omnibus quos, non, sicut oportet, dispositos prudens confessarius iudicarit.

XI. Scripturae Sacrae lectio omnibus et singulis hominibus non est ad salutem necessaria; nec unicuique licet Scripturas pro suo arbitrio, aut ex privato spiritu interpretari, aut eas legere absque debita pastoribus reverentia et obedientia, aut sine sincera animi submissione erga Ecclesiam, cuius est de vero sensu et interpretatione Scripturarum iudicare, earumdem lectioni vacare.

XII. Si qua excommunicatio manifeste prohibeat virtutis verae actum, aut a vero praecepto avertat, iniusta simul et invalida est iuxta Ecclesiae praecepta.

De his articulis per se et per alios serio expensis noluit Benedictus iudicium ferre, edidit tamen ad instantiam FF. Praedicatorum constitutionem, qua doctrinam sanctorum Augustini et Thomae approbabat, et eam defendendam iubebat.

Haec est constitutio.

LXXVI.

Commendatur, laudatur et inculcatur doctrina Ss. Augustini et Thomae Aquinatis.

BENEDICTUS XIII universis fratribus Ordinis Praedicatorum professoribus.

Incipit *Demissas preces, etc.* (1).

Refractarii Bullae *Unigenitus* aiebant, se nihil aliud defendere, nisi quod summi Ecclesiae doctores d. Augustinus et d. Thomas de gratia

(1) B. M. t. 8. p. 478. B. R. t. 12. p. 3-1. C. C.

et libero arbitrio docuissent. Quae res non poterat, quin magnopere affligeret Fratres Dominicanos praecipue.

Quorum angor cum ad aures Benedicti pervenisset, suos fratres consolatur.

Et auctoritate plurium summorum Pontificum sanam declarans Augustini et Thomae doctrinam, et hortatur ad sequendum iter, quod instituerunt, et ad tenendam mordicus sententiam d. Thomae.

Aurea vere est haec epistola, dignaque Pontifice, tantisque doctoribus.

D. Romae apud S. M. Mai. die VI nov. P. a. I. a. D. 1724.

Valuit haec Benedicti constitutio plurimum ad sedandos in Gallia motus; in qua summa reverentia habetur, uti par est, illis duobus sanctissimis doctoribus, putabaturque per Clementinam constitutionem detractum usque ad ea tempora excultae illorum doctorum sententiae, et Cardinalis Noaillius, qui convinci rationibus volebat, manus dedit, et constitutionem *Unigenitus* est amplexatus.

Scripsit ergo Pontifici, se acceptare *vere et sincere* constitutionem.

Gestiens ergo Pontifex eo maiori gandio, quo saepius dixerat, se pertracturum ad unitatem Cardinalem, de hoc certiores in concistorio secreto Cardinales fecit, legitque litteras a Noaillio acceptas datas die XIX iulii, an. 1728.

Tum Breve scripsit ad eumdem Archiepiscopum, cuius hic est tenor.

BENEDICTUS XIII Archiepiscopo Parisiensi, etc.

Incipit *Sapientissimum consilium, etc.*

Laudat Pontifex consilium Cardinalis, quod divinae luci effulgenti lumina non clauserit et acceptarit *humiliter et submisse* Pontificiam constitutionem;

Quod revocarit mandatum a se editum an. 1719.

Ait, Deum effecturum, ut populus motus exemplo sui pastoris redeat ad bonam mentem.

Demum ei concedit requisitas indulgentias iubilaei.

D. Romae apud s. Petrum die XXI augusti, P. a. V. a. D. 1728.

Miserat una cum epistola Pontifici Cardinalis edictum, quod per urbem et dioecesim suam publicarat, quo significabat populo suo,

Se illustratum a Deo acceptare *reverenter et vere submisse* constitutionem *Unigenitus*;

Non posse se nisi cum gravi moerore gravia dissidia ob eam enata videre; se curaturum, ut ea de medio tollat;

Damnare se librum *le Nouveau Testament*, etc. cum centum et una propositionibus erroneis in eo contentis.

Inbebat, omnes libros contra constitutionem *Unigenitus* editos deferri a possessoribus ad suam cancellariam;

Vetabat a quoquam scribi, dici, doceri contra illam;

Revocabat demum pastoralem instructionem, quam ipse contra praedictam Bullam ediderat; rogavitque Pontificem, nt iubilaeum suae urbi et dioecesi concederet.

Parisiis die XI oct. a. 1728.

His omnibns lectis, consistorio finito, Cardinales, licet quibusdam non arriderent omnino illa tantum verba *reverenter et vere submisse* ab Archiepiscopo in suo edicto adhibita, tamen repntantes, non esse tempus novas lites movendi, scripserunt Cardinali,

Se summopere laetatos fuisse ad nuncium, enm acceptasse Bullam *Unigenitus*.

Quibus offitiosissime Cardinalis respondit.

Praeter allatum superius Breve propria manu Pontifex Cardinali scripsit, qua solebat, humanitate; snum gaudium ei significat; eum hortatur, ut quemdam libellum, qui lucem in Gallia aspexerat sub nomine Cardinalis, despiciat; ei pollicetur auxilium, si opus fuerit. Conceditque exoptatum iubilaeum.

Cuius Pontificis epistolae respondit Noaillius.

Acceptatio Bullae facta ab Archiepiscopo caeteros alios refractarios fregit.

Opportune rediit ad unitatem Ecclesiae Cardinalis, infra illum enim eumdem annum die V maii obiit.

Eo mortuo, quidam prodlit libellus velut ab eo scriptus, qui dicebatur inventus apud eum, quo revocabat edictum suum. Sed quisque novit, librum fuisse confictum.

LXXVII.

Declaratio, refractarios non esse capaces indulgentiae iubilaei.

BENEDICTUS XIII ad f. r. m.

Incipit *Nupér nos, etc.* (1).

Ad instantiam Cardinalis de Noailles Parisiensis Archiepiscopi, qui iam paternis litteris Benedicti motus acceptarat Bullam *Unigenitus*, concesserat Benedictus iubilaeum pro urbe et dioecesi Parisiensi sub solitis clausulis.

Ne autem homines quidam hallucinarentur, declarat Pontifex per hanc constitutionem, huius indulgentiae non esse capaces, qui erunt a Pontifice et Ecclesia separati.

Eos tamen fore capaces decernit, si resipuerint et fuerint amplexati quod decreverunt summi Pontifici (innuit hic Benedictus acceptationem Bullae *Unigenitus*). N. O. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud s. Petrum die VIII mar. P. a. V. a. D. 1729.

LXXVIII.

Edictum Episcopi Montis Pessulani damnat Clemens.

CLEMENS XII ad p. r. m.

Incipit *Quamvis iamdiu, etc.* (2).

Episcopus Montis Pessulani *animo erat infensissimo in constitutionem* Unigenitus, et licet paterne fuisset admonitus a praedecessoribus Ponti–

(1) B. M. p. 7. vel t. 13. p. 390. B. R. t. 12. p. 358. C. C.
(2) B. M. p. 8. vel t. 14. p. 162. B. R. t. 13. p. 197. C. C.

ficibus tamen nunquam voluerat obtemperare; imo scripta edebat identidem contra ea, quae ab iisdem Pontificibus fuerunt proscripta.

Novissime ediderat mandatum, cui titulus:

Ordonnance de Monseigneur de Mont-Pellier contre la délibération de son Chapitre.

Canonici, aliaeque personae ecclesiasticae cathedralis Ecclesiae Montis Pessulani, Deo corda eorum tangente, in unitatis et obedientiae spiritu congregati publico solemnique actu eam constitutionem acceptaverunt *pure et simpliciter*, et decretis Pontificum sese submiserunt.

Excanduit ad haec Episcopus, et reputans *actum hunc laesivum suae iurisdictionis*, illum proscripsit et nullum declaravit edictumque publicavit, quo subditis suis *incredibili ausu* prohibuit, ne eorum quisquam praedictam constitutionem reciperet, *se inconsulto.*

Itaque Pontifex edictum, quo Episcopus declaravit nullum actum sui Capituli et offensivum suae iurisdictionis cassat, et actum Canonicorum laudat et habet ratum.

Cassat itidem mandatum editum pro subditis suis, et declarat non facturum contra Episcopum, qui constitutionem apostolicam recipiet.

Scriptum Episcopi, legi, retineri, imprimi vetat sub poenis, etc., ut iniuriosum S. Sedi, ad schisma tendens, falsum, temerarium.

D. Romae apud S. M. Mai. die XXVII aug. P. a. II. a. D. 1731.

LXXIX.

Damnatio epistolae pastoralis eiusdem Episcopi.

CLEMENS XII ad p. r. m.

Incipit *Cum sicut, etc.* (1).

Libellum Episcopi Montis Pessulani ut continentem propositiones erroneas, scandalosas, falsas, seductrices simplicium, iniuriosas Apostolicae Sedi damnat Clemens.

Titulus libri, etc.:

(1) B. M. p. 5. vel t. 15. p. 4.

Lettre pastorale de Monseigneur l'Évêque de Mont-Pellier adressée au Clergé et aux fidèles de son diocèse, pour leur notifier un miracle operé dans son diocèse par l'intercession de M. François de Paris, et les premunir contre un Bref de N. S. P. le Pape en date de trois d'octobre mil sept cent trente trois, et deux écrits de M. l'Archévêque d'Embrun de la même année 1734.

Quis fuerit Franciscus Parisius, quam acer hostis constitutionis Unigenitus, *quae miracula putatus fuerit post mortem patrasse, nemo nisi hospes et peregrinus ignorare potest.*

Caeterum etiam omnia scripta eiusdem Episcopi edita, vel edenda in hac materia damnat Clemens.

D. Romae apud S. M. Mai. die XI oct. P. a. V. a. D. 1734.

LXXX.

Vetat dici doctrinam d. Thomae proscriptam constitutione Unigenitus, *et sententiam contrariam doctrinae d. Thomae dici erroneam Clemens.*

CLEMENS XII ad p. r. m.

Incipit *Apostolicae providentiae, etc.* (1).

Praeter alias turbas, quas constitutio *Unigenitus* excitavit, acuit etiam osores doctrinae s. Augustini, et s. Thomae, ut dicerent horum sanctorum Patrum doctrinam proscriptam fuisse illa constitutione; alii autem d. Thomae adhaerentes per laudes eius doctrinae a Pontificibus datas dicebant sententiam contrariam sententiae d. Thomae in explicanda gratiae divinae efficacia esse damnatam.

Clemens inhaerens Pauli V vestigiis poenas iam ab eo enuntiatas minitatur cuicumqne, qui vel docendo, vel praedicando, vel scribendo sententiam contrariam suae erroneam et haereticam appellare audebit;

(1) B. M. p. s. vel t. 14. p. 297. B. R. t. 13. p. 362. C. C.

Praecipitque Ordinariis, inquisitoribus, ut huiusmodi altercationes, quae scandalum Christifidelibus parere possunt, per canonica remedia coërceant. N. O. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud S. M. Mai. die II oct. P. a. IV. a. D. 1733.

LXXXI.

Proscriptio operis Histoire du livre de réflexions morales sur le Nouveau Testament.

CLEMENS XII ad p. r. m.

Incipit *Inter caeteras, etc.* (1).

Prodiit gallico idiomate conscriptus liber in quatuor tomos distributus cuius titulus est:

Histoire du livre des réflexions morales sur le Nouveau Testament et de la constitution Unigenitus *à Amsterdam.*

Erroneas et falsas Jansenii et Quesnellii sententias continet et renovat hic liber, propterea eius lectio, retentio et impressio prohibetur solitis sub poenis.

D. Romae apud S. M. Mai. die XXVI ian. P. a. X. a. D. 1740.

LXXXII.

Proscriptio libri Arrest de la Cour du Parlement, etc.

CLEMENS XII ad p. r. m.

Incipit *Cum sicut, etc.* (2).

Vix ac prodiit folium gallico idiomate, quod habet hunc titulum:

Arrest de la Cour du Parlement portant suppression d'un imprimé intitulé: Lettres de plusieurs Évêques sur l'obligation de priver l'oblation du sacrifice de la messe et des suffrages de l'Église ceux, qui meurent appellantes de la constitution *Unigenitus*;

(1) B. M. p. 9, vel t. 15. p. 134. B. R. t. 14. p. 553. C. C.
(2) Ib p. 346. Ib. p. 445. C. C.

A Ypres chez Pierre Jacques Rave imprimeur de Monseigneur l'Évêque, rue Messine, avec approbation, 1739;

A Paris chez Pierre Simon imprimeur du Parlement, rue de l'Harpe à l'Hercule 1739;

Cum Pontifex M. P. illud damnat.

Illud retinentibus, legentibus, imprimentibus solitas denuntiat poenas.

Dat. Romae apud S. M. Mai. die XXVI ian. P. a. V. a. D. 1740.

LXXXIII.

Proscribitur liber Apologie de tous les jugements, etc.

BENEDICTUS XIV ad p. r. m.

Incipit *Militantis Ecclesiae, etc.* (1).

Damnat Benedictus librum *gallico constantem idiomate absque auctoris nomine et impressionis* loco solitis sub poenis.

Inscribitur: *Apologie de tous les jugementes rendus par les tribunaux séculiers en France contre le schisme; dans laquelle on établit* 1. *L'injustice et l'irrégularité des refus de Sacremens, de sépulture et des autres peines, qu'on prononce contre ceux, qui ne sont pas soumis à la constitution* Unigenitus; 2. *La compétence des juges laïques pour s' opposer à tous ces actes de schisme. Tom. I et II en France MDCCLII.*

D. Romae apud S. M. Mai. die XX novemb. P. a. XIII. a. D. 1752.

LXXXIV.

Quandonam dandum sit Viaticum, quando negandum refractariis constitutioni Unigenitus.

BENEDICTUS XIV Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis regni Galliarum in novissimis comitiis cleri Gallicani congregatis.

Incipit *Ex omnibus, etc.* (2).

Quantum cordi fuerit et aliis Pontificibus superioribus et sibi Gallicanae Ecclesiae tranquillitas, ostendit Benedictus, qui praeter

(1) B. M. t. 19. p. 20.
(2) B. M. t. 19. p. 251.

fervidas ad Deum preces fusas, saepe imploravit regis auxilium et brachium.

Enimvero sollicitudinem hanc de pace, iure et merito clerus Gallicanus virtutibus omnibus insigoitus, regisque pietas insignis et inconcussa religio meretur.

Cum itaque in comitiis cleri Gallicani habitis die 3 octobris an. 1755, dubitatum fuerit, an refractariis constitutioni *Unigenitus* denegandum esset Ss. Corporis Christi Viaticum, *sine haesitatione* respondet Pontifex, *denegandum*, si publice et notorie constitutioni sese opponant, idque *ex generali Ecclesiae regula, quae vetat publicum et notorium peccatorem ad Eucharisticae communionis participationem admitti sive eam publice, sive privatim requirat.*

Publici autem et notorii refractarii sunt, quicumque per sententiam a competente iudice prolatam rei declarati sunt, quod debitam obedientiam dictae constitutioni denegaverint; etiam illi censendi sunt refractarii, qui licet a iudice tales iudicati non fueriot, nec reatum suum in iudicio fuerint confessi, tamen vel eo tempore, quo sacrum Viaticum suscepturi sunt, propriam inobedientiam et contumaciam confessi sunt sponte, vel in anteactae vitae decursu aliquid commisisse noscuntur oppositum omnino venerationi et obedientiae eidem constitutioni, et in sua obstinatiooe perseverare.

Duplex porro est notorietas, una facti, ut est notorietas usurarii, concubinarii, quae gravibus probationibus evinci debet; altera, cum ex multis externis actibus aoimi dispositio arguitur, quam *gravioribus, certioribusque argumentis probari oportebit.*

Proinde haec inobedieotiae notorietas non debet inniti coniecturis, praesumptionibus incertisque vocibus, quae originem suam plerumque a male affectis hominibus, vel ignaris trahunt.

Pastoribus igitur animarum Ecclesiaeque ministris, qui, dum advocantur ad aliquem horum, sunt anxii et solliciti quid agant, certam praescribit Benedictus agendi regulam.

Ergo advertatur, an illi, qui Viaticum petit, praesertim tempore Paschali, a loci illius, in quo degebat, parocho non fuerit Eucharistia

denegata; ad eum igitur Viaticum deferatur: nisi intra tempus elapsum ab ultima communione aliquid commiserit, ex quo necessario colligatur eius constitutioni inobedientia.

Quod si rationes certissimae non siut, cnr Viaticum denegetur, sed contra aegrotnm militent quaedam praesumptiones, tunc parochus cum aegroto colloquatnr, illique exponat, quae de eo loquuntur homines, quae dederit signa inobedientiae, a quibus omnibus si se infirmns purgaverit, vel resipuerit, particeps Eucharistiae fiat.

Normam hanc agendi ut teneant hortatur Praesules, hanc praescribant inferioribus ministris; quae norma nititur Ecclesiae regulis, conciliis in Gallia habitis, theologorum Gallorum sententiis; si rursus emergent alia dubia, ad Apostolicam Sedem confugiant.

Non deerit illis ita agentibus apostolicum praesidium, non regium auxilium.

D. R. apud S. M. M. die XVI oct. P. a. XVII. a. D. 1756.

LXXXV.

Proscriptio epistolae contra methodum tenendam erga refractarios praescriptam a Pontifice.

BENEDICTUS XIV ad p. r. m.

Incipit *Cum ad nonnullos, etc.* (1).

Contra proxime praedictam Benedicti epistolam encyclicam ad Episcopos Galliae, missa fuit ad Cardinalem Albericum Archintum segretarium epistola M. S. ut ostenderetur Pontifici, inscripta:

Amplissimis S. R. E. Cardinalibus et clarissimis theologis in urbe Praeneste congregatis post pacem Ecclesiae Gallicanae constitutam, et methodum propediem edituris pro studiis peragendis ab alumnis collegii Urbani de propaganda Fide, ad haereticos profligandos, ad gentiles et atheos in sinum Ecclesiae reducendos; quaeque incipit, *haec sunt dubia, etc.* ac desinit in ea verba: *et explodendam novitatem, etc.*

(1) B. M. t. 19. p. 287.

Examine huius epistolae facto, *tamquam continentem assertiones respective falsas, temerarias, scandalosas, multimode iniuriosas, contumeliosas, impudentes, captiosas, seditiosas et schismati faventes*, eam damnat Pontifex, etc.

Quia vero audacius auctor epistolae perstringit Pontificem et litteras ad Galliae Praesules datas, iubet Benedictus, ut officium s. Inquisitionis reum perquirat, et statim ac collectà sint indicia *ad semiplenam probationem ad capturam rei iuxta stylum s. Officii deveniatur*, completoque processu *ad ulteriores poenas contra eum procedatur*.

» Benedicti epistolam defendit Eusebius Eranistes, P. Patuzzi Ord.
» Praed. de observantia.

D. R. apud S. M. M. die V sept. P. a. XVIII, a. D. 1757.

LXXXVI.

Damnatur propositio de occidendis licite tyrannis.

PAULUS V ad p. r. m.

Incipit *Cura Dominici, etc.* (1).

Licet Constantiensis Synodus damnarit hanc propositionem, *quilibet tyrannus potest et debet licite et meritorie occidi per quemcumque vassallum suum, vel subditum, etiam per clanculares insidias et subtiles blanditias, vel adulationes, non obstante quocumque praestito iuramento, seu confoederatione factis cum eo, non expectata sententia et mandato iudicis cuiuscumque, ut multipliciter scandalosam totiusque reipublicae statum subvertentem*, eamque defendentes haereticos dixerit;

Cum adhuc quidam eam defenderent et promulgarent, Paulus eam iterum damnat sub anathematis poena. N. O.

D. R. apud S. M. M. die XXIV ian. P. a. X. a. D. 1615.

(1) B. R. t. 5. p. 4. p. 170. C. C.

LXXXVII.

Propositiones viginti octo desumptae ab auctoribus Theologiae Moralis proscribuntur.

ALEXANDER VII. Decretum.

Incipit *Sanctissimus Dominus, etc.* (1).

In congregatione generali universalis Inquisitionis coram Sanctissimo habita sequentes propositiones desumptae a theologorum moralium libris *ad minimum ut scandalosae* proscribuntur, declaraturque incidere in excommunicationem qui eas, vel aliquam earum defenderit, etc.

Indict. III. die II oct. P. a. XI, a. D. 1665.

1. *Homo nullo unquam vitae suae tempore tenetur elicere actum fidei, spei et charitatis ex vi praeceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.*

2. *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.*

3. *Sententia asserens Bullam C. prohibere absolutionem haeresis et aliorum criminum, quando publica sunt, et id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, an. 1629, 18 iulii in consistorio sacrae congregationis eminentiss. Cardinalium visa et tolerata est.*

4. *Praelati regulares possunt in foro conscientiae absolvere quoscumque saeculares ab haeresi occulta et ab excommunicatione propter eam incursa.*

5. *Confessarius, qui in sacramentali confessione tribuit poenitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in confessione, ac proinde non est denuntiandus.*

6. *Modus evadendi obligationem denuntiandae sollicitationis est; si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest absolvere absque onere denuntiandi.*

7. *Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem missa libere accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urbani VIII.*

(1) B. R. 1. 5. p. 4. p. 170 C. C.

8. *Post decretum Urbani potest sacerdos, cui missae celebrandae traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.*

9. *Non est contra iustitiam pro pluribus unum sacrificium offerre: neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione etiam iuramento firmata danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.*

10. *Peccata in confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitae, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.*

11. *Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.*

12. *Satisfacit praecepto annuae confessionis, qui confitetur regulari Episcopo praesentato, sed ab eo iniuste reprobato.*

13. *Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit praecepto Ecclesiae.*

14. *Poenitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius poenitentiam adimpleat.*

15. *Qui beneficium curatum habent, possunt ibi eligere in confessarium simplicem sacerdotem non approbatum ab Ordinario.*

16. *Est licitum religioso, vel clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi religioso, vel eius religioni publice et coram gravissimis viris praedicta impingere, nisi occidatur.*

17. *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes ac etiam iudicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.*

18. *Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.*

19. *Restitutio a Pio V imposita beneficiatis non recitantibus officium, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam iudicis, eo quod sit poena*

20. *Habens cappellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suae obligationi, si officium per alium recitet.*

21. *Non est contra iustitiam beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod sibi conferre non tenebatur.*

22. *Quamvis evidenter tibi constet, Petrum esse haereticum, non teneris denuntiare, si probare non possis.*

23. *Frangens ieiunium Ecclesiae, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, et inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subiicere praecepto.*

24. *Mollities, sodomia et bestialitas sunt peccata eiusdem speciei infimae, ideoque sufficit dicere in confessione, se procurasse pollutionem.*

25. *Qui habuit copulam cum soluta satisfacit confessionis praecepto dicens, commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.*

26. *Quando litigantes habent pro se opiniones aeque probabiles, potest iudex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius prae alio.*

27. *Si liber sit alicuius iunioris et moderni debet opinio censeri probabilis, cum non constet, reiectam esse a Sede Apostolica tamquam improbabilem.*

28. *Populus non peccat etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a principe promulgatam.*

LXXXVIII.

Alias decem et septem propositiones ex iisdem auctoribus haustas damnat Alexander.

ALEXANDER VII. Decretum.

Incipit *Sanctissimus D. N.* (1).

Etiam hae propositiones ab iisdem fontibus haustae, de consilio eiusdem congregationis generalis Inquisitionis sub iisdem poenis damnantur ab Alexandro, etc.

(1) B. M. t. 6. ap. p. 2. B. B. t. 6. p. 6. p. 110. C. C.

Indict. IV. die XXIII mar. P. a. XI. a. D. 1666.

1. *In die ieiunii qui saepius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit ieiunium.*

2. *Omnes officiales, qui in republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione ieiunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum ieiunio.*

3. *Excusantur absolute a praecepto ieiunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, et etiamsi iter unius diei conficiant.*

4. *Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova et lacticinia in Quadragesima obliget.*

5. *Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea beneficiatus de fructibus sui beneficii fecerit.*

6. *In die Palmarum recitans officium Paschale satisfacit praecepto.*

7. *Unico officio potest quis satisfacere duplici praecepto pro die praesenti et crastino.*

8. *Regulares possunt in foro conscientiae uti privilegiis suis, quae sunt expresse revocata per Concilium Tridentinum.*

9. *Indulgentiae concessae regularibus et revocatae a Paulo V, hodie sunt revalidatae.*

10. *Mandatum Tridentini factum sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali confitendi quamprimum, est consilium, non praeceptum.*

11. *Illa particula quamprimum intelligitur, cum sacerdos suo tempore confitebitur.*

12. *Est probabilis opinio, quae dicit, esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem, quae ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis.*

13. *Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si haec nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo* regalo, *dum deficiente illo, nimis aegre ageret vitam et aliae epulae taedio magno afficerent concubinarium, et alia famula nimis difficile inveniretur.*

14. *Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.*

15. *Annuum legatum pro anima relictum non durat plusquam per decem annos.*

16. *Quoad forum conscientiae, reo correcto eiusque contumacia cessante, censurae cessant.*

17. *Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur.*

LXXXIX.

Proscriptio aliarum propositionum moralium.

INNOCENTIUS XI. Decretum.

Incipit *Sanctissimus Dominus, etc.* (1).

Prosequuta sacra universalis Inquisitionis congregatio examen librorum de moribus, sequentes propositiones, inde erutas, censuit proscribendas.

Quas Innocentius *ut minimum tamquam scandalosas et in praxi perniciosas* damnat, solitis poenis subiiciens eas, vel earum aliquam docentem, etc.

Ind. II. die IV mar. P. a. III. a. D. 1679.

1. *Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis sacerdotalis, aut Episcopalis.*

2. *Probabiliter existimo, iudicem posse iudicare iuxta opinionem etiam minus probabilem.*

3. *Generatim dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.*

(1) B. M. p. 4. vel t. 11. p 254. B. R. t. 8. p 80. C. C.

4. *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus opinione minus probabili.*

5. *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.*

6. *Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare praeceptum charitatis erga Deum.*

7. *Tunc solum obligat, quando tenemur iustificari et non habemus aliam viam, qua iustificari possumus.*

8. *Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.*

9. *Opus coniugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali.*

10. *Non tenemur proximum diligere actu interno formali.*

11. *Praecepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.*

12. *Vix in saecularibus invenies, etiam in regibus, superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.*

13. *Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicuius tristari et de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere et desiderare; non quidem ex displicentia personae, sed ob aliquod temporale emolumentum.*

14. *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis haereditas.*

15. *Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrati propter ingentes divitias inde ex haereditate consecutas.*

16. *Fides non censetur cadere sub praeceptum speciale et secundum se.*

17. *Satis est actum fidei semel in vita elicere.*

18. *Si a potestate publica quis interrogetur fidem ingenue confiteri, ut Deo et fidei gloriosum consulo tacere, ut peccaminosum per se non damno.*

19. *Voluntas non potest efficere, ut assensum fidei in se ipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.*

20. *Hinc potest quis prudenter assensum repudiare, quem habebat supernaturalem.*

21. *Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis; immo cum formidine, quo quis formidet, ut non sit locutus Deus.*

22. *Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris.*

23. *Fides late dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo ad iustificationem sufficit.*

24. *Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.*

25. *Cum causa licitum est iurare sine animo iurandi, sive res sit levis, sive gravis.*

26. *Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive alio quocumque fine iuret, se non fecisse aliquod, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis additum verum, revera non mentitur, nec est periurius.*

27. *Causa iusta utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens et studiosa.*

28. *Qui mediante commendatione, vel munere ad magistratum, aut publicum officium promotus est, poterit cum restrictione mentali praestare iuramentum, quod de mandato regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.*

29. *Urgens metus gravis est causa iusta administrationem sacramentorum simulandi.*

30. *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter haec ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, si*

quis impingat alapam, vel fuste percutiat, et post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.

31. *Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius auri.*

32. *Non solum licitum est defendere defensione occisiva quae actu possidemus, sed etiam ad quae ius inchoatum habemus, et quae nos possessuros speramus.*

33. *Licitum est tam haeredi, quam legatario contra iniuste impedientem, ne vel haereditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere, sicut et ius habenti in cathedram, vel praebendam contra earum possessionem iniuste impedientem.*

34. *Licet procurare abortum ante animationem foetus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.*

35. *Videtur probabile, omne foetum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, et tunc primum incipere eamdem habere, cum paritur ac consequente dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.*

36. *Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.*

37. *Famuli et famulae domesticae possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam maiorem iudicant salario, quod recipiunt.*

38. *Non tenetur quis sub poena peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.*

39. *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.*

40. *Contractus Mohatra licitus est, etiam respectu eiusdem personae, et cum contractu retrovenditionis praeviae inito cum intentione lucri.*

41. *Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, et nullus sit, qui non maioris faciat pecuniam praesentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, et eo titulo ab usura excusari.*

42. *Usura non est, dum aliquid ultra sortem exigitur tamquam ex benevolentia et gratitudine debitum, sed solum si exigatur tamquam ex iustitia debitum.*

43. *Quidni nonnisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?*

44. *Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam iustitiam et honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in theologia.*

45. *Dare temporale pro spirituali, non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali et e contra.*

46. *Et id quoque locum habet etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale, immo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sicut illud pluris aestimetur, quam res spiritualis.*

47. *Cum dicit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, nisi quos digniores et Ecclesiae magis utiles ipsi iudicaverint, ad Ecclesias promovent, Concilium vel primo videtur per hos digniores non aliud significare, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo propositivo, vel secundo locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, vel tandem loquitur tertio quando sit concursus.*

48. *Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.*

49. *Mollities iure naturae probibita non est, unde si Deus eam non interdixisset, saepe esset bona et aliquando obligatoria sub mortali.*

50. *Copula cum coniugata, consentiente marito, non est adulterium adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.*

51. *Famulus, qui submissis humeris scienter adiuvat herum suum ascendere per fenestram ad stuprandam virginem et multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo ianuam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta, ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.*

52. *Praeceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.*

53. *Satisfacit praecepto Ecclesiae de audiendo sacro, qui duas eius partes, immo quatuor simul a diversis celebrantibus audit.*

54. *Qui non potest recitare Matutinum et Laudes potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia maior pars trahit ad se minorem.*

55. *Praecepto communionis annuae satisfit per sacrilegam Domini manducationem.*

56. *Frequens confessio et communio etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota praedestinationis.*

57. *Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modo honestam.*

58. *Non tenemur confessario interroganti fateri peccati alicuius consuetudinem.*

59. *Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos, ratione magni concursus poenitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnae alicuius solemnitatis, aut indulgentiae.*

60. *Poenitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturae aut Ecclesiae, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio; dummodo ore proferat se dolere et proponere emendationem.*

61. *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest et non vult omittere, quin immo directe et ex proposito quaerit, aut ei se ingerit.*

62. *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi succurrit.*

63. *Licitum est quaerere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.*

64. *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, et etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat mysterium sanctissimae Trinitatis et Incarnationis D. N. Jesu Christi.*

65. *Sufficit illa mysteria semel credidisse.*

XC.

Duas propositiones damnat Pontifex.

ALEXANDER VIII. Decretum.

Incipit *Sanctissimus D. N. etc.* (1).

Has duas propositiones:

1. *Bonitas obiectiva consistit in convenientia obiecti cum natura rationali, formalis vero in conformitate actus cum regula morum: ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative: hunc homo non tenetur amare neque in principio, neque in decursu vitae suae mortalis;*

2. *Peccatum philosophicum, seu morale est actus humanus disconveniens naturae rationali et rectae rationi; theologicum vero et mortale est transgressio libera divinae legis. Philosophicum quantumvis grave in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque aeterna poena dignum;*

A sacra Cardinalium super haereticam pravitatem deputatorum congregatione dignas iudicatas quae proscribantur, Alexander proscribit.

Vetat ergo, etc. sub poenis, etc.

Die XXIV aug. a. D. 1690.

XCI.

Alias propositiones censuris configit idem Alexander.

ALEXANDER VIII. Decretum.

Incipit *Sanctissimus D. N.* (2).

De consilio eiusdem Cardinalium congregationis has triginta et unam propositiones tamquam scandalosas, male sonantes, haeresi proximas, haeresim sapientes, erroneas, schismaticas damnat Alexander.

(1) B. M. p. 6. vel t. 12. p. 66. B. R. t. 9. p. 96. C. C.
(2) Ib. p. 66 Ib. p. 96. C. C.

Vetat proinde eas defendi, etc. sub poenis, etc.

Die VII dec. a. D. 1690.

1. *In statu naturae lapsae ad peccatum formale et demeritum sufficit illa libertas, qua liberum fuit et voluntarium in causa sua, peccato originali et libertate Adami peccantis.*

2. *Tametsi detur ignorantia invincibilis iuris naturae, haec in statu naturae lapsae operantem ex ipsa non excusat a peccato mortali.*

3. *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.*

4. *Christus dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus et solis fidelibus.*

5. *Pagani, Iudaei, haeretici, aliique huius generis nullum omnino accipiunt a Iesu Christo influxum; adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam et inertem, sine omni gratia sufficienti.*

6. *Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est, sicut proinde merito possimus petere, a gratia sufficienti libera nos, Domine.*

7. *Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel mundi; si Dei, charitas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est.*

8. *Necesse est, infidelem in omni opere peccare.*

9. *Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob eius turpitudinem et disconvenientiam cum natura rationali, sine ullo ad Deum offensum respectu.*

10. *Intentio, qua quis detestatur malum et prosequitur bonum, mere ut coelestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.*

11. *Omne, quod non est ex fide Christiana supernaturali, quae per dilectionem operatur, peccatum est.*

12. *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, et etiamsi videantur credere, non est fides divina, sed humana.*

13. *Quisquis etiam aeternae mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.*

14. *Timor gehennae non est supernaturalis.*

15. *Attritio, quae gehennae et poenarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiae Dei propter se, non est bonus metus ac supernaturalis.*

16. *Ordinem praemittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia,*

aut institutio Ecclesiae, sed ipsa Christi lex et praescriptio, natura rei idipsum quodammodo dictante.

17. *Per illam praxim mox absolvendi ordo poenitentiae est inversus.*

18. *Consuetudo moderna quoad administrationem sacromenti Poenitentiae, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas et multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.*

19. *Homo debet agere tota vita poenitentiam pro peccato originali.*

20. *Confessiones opud religiosos factoe pleraeque vel sacrilegae sunt, vel invalidae.*

21. *Parochianus potest suspicari de mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi et incongrua poenitentia, seu satisfactione ob quaestum, seu lucrum subsidii temporalis.*

22. *Sacrilegi sunt iudicandi, qui ius ad communionem percipiendam praetendunt, antequam condignam de delictis suis poenitentiam egerint.*

23. *Similiter arcendi sunt a sacra communione, quibus nondum inest omor Dei purissimus.*

24. *Oblatio in templo, quae fiebat a B. V. Maria in die Purificationis suae per duos pullos columbarum, unum in holocaustum et alterum pro peccatis sufficienter testontur, quod indiguerit purificatione, et quod Filius, qui offerebatur, etiam macula matris maculatus esset, secundum verba legis.*

25. *Dei Patris sedentis simulacrum nefas est Christiano in templo collocare.*

26. *Laus, quae defertur Mariae, ut Mariae, vana est.*

27. *Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus* in nomine Patris, etc. *praetermissis illis:* ego te baptizo.

28. *Valet Baptismus collotus a ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit,* non intendo facere quod facit Ecclesia.

29. *Futilis et toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra oecumenicum Concilium auctoritate, atque in fidei quaestionibus decernendis infallibilitate.*

30. *Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere et docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.*

31. *Bulla Urbani VIII* In eminenti *est subreptitia.*

XCII.

Concionis cuiusdam de probabilismo damnatio.

CLEMENS XIII. Decretum.

Incipit *Cum publico, etc.* (1).

E suggestu quidam P. Franciscus Neymayr societatis Jesu in Cathedrali Ecclesia Augustae pro probabilismo concionatus est, sermonemque typis edidit. Titulus Germanus latine talis est: *Quaestio, an probabilismus, sive mitior moralis doctrina catholicarum scholarum, horribilis et maledicenda sit? Resoluta a P. Francisco Neymayr societatis Iesu Cathedralis Ecclesiae, in imperiali civitate Augustae ordinario praedicatore contra protestantium scriptores, vulgo Novellistas, tertia Paschalis die anno Christi* 1759, *secunda editio cum permissu superiorum.* Monachii et Ingolstadii typis Francisci Xaverii Craz et Thomae Stummer.

Sacra congregatio Cardinalium censuit hunc sermonem esse proscribendum modis solitis, etc.

Clemens decretum confirmat.

D. die XXIX maii a. 1760.

Christophorus de Migazzi Cardinalis Archiepiscopus Viennensis damnationem huius libri notam fecit suae dioecesi.

XCIII.

Propositiones quaedam de probabilismo proscribuntur.

CLEMENS XIII. Decretum.

Incipit *Per suas, etc.* (2).

Parochus Avisiensis dioecesis Tridentinae in aedibus canonicalibus Avisii die 10 iunii an. 1760 has propositiones de probabilismo *contra*

(1) *In folio separato.*

(2) *In folio separato.*

probabiliorismum stricte talem, utpote negotium perambulans in tenebris proposuit.

I. Probabilismus noster versatur circa haec tria:

Licet sequi probabiliorem pro libertate, relicta minus probabili pro lege.

Licet sequi aeque probabilem pro libertate, relicta aeque probabili pro lege.

Licet sequi minus probabilem pro libertate, relicta probabiliori pro lege.

Ex iis deducuntur sequentia paradoxa:

II. Usus probabilismi maxime tutus: usus probabiliorismi maxime periculosus.

III. Usus genuini probabilismi minime in laxitatem degenerare potest; usus probabiliorismi stricte talis in rigorismum excurrere debet.

IV. Probabilioristas, qua tales, qui ex consilio sequuntur, laudabilissime operari affirmamus.

V. Probabilioristis stricte talibus, qui ex praecepto, quod nunquam clare probant, se ipsos et alios ad probabiliora impellunt, merito rigoristarum nomen impartimur;

VI. Qui nullatenus ad Christianam perfectionem tendere possunt, nisi sequendo probabilissima.

VII. Abusus probabiliorismi stricte talis non solum licentiae fraenum, sed licentiae calcar est: quod Gallorum testimonio comprobamus.

VIII. Genuinus itaque noster probabilismus, qui nec morum corruptelam inducit, nec a S. Sede unquam male fuit notatus, origine sua Thomisticus, progressu aetatis Jesuiticus, utpote a quo arctatus, emendatus et contra Jansenianos furores propugnatus fuit.

IX. Qui ergo habitat in adjutorio fundatissimi probabilismi sub protectione plurimorum ex omnibus orbis Christiani nationibus praestantissimorum theologorum commorabitur securus.

Ex historia critica.

X. Hinc sine ulla laxismi nota benignissimum *etiam vocamus; sed* legitimum, *quem suadent utraque lex, Caesarea et Pontificia; sed* Dominicanum, *quem illustris Dominicanorum ordo a primis temporibus est amplexus; sed* pium, *qui Christianam pietatem fovet; sed* Thomisticum,

quem s. Thomas in amoribus habuit, qui ducentas et plures opiniones libertati faventes in suis sententiarum libris docet; sed Christianum, *qui Christo Domino summe familiaris fuit.*

O. A. M. D. et V. G.

Pro coronide. *Probabilismus noster stans pro libertate est notabiliter probabilior ipso probabiliorismo stante pro lege.*

Episcopus Tridentinus duxit officii esse sui pastorali epistola data die III ianu. 1761 monere gregem suum, praedictos articulos esse reiiciendos, improbandosque, vetuitque eos legendos sub poenis canonicis.

Cathedralis tamen Tridentinae Ecclesiae Decanus prudenter verens, ne magnificeret Episcopale edictum, generalis Inquisitionis congregationi rem detulit;

Quae examinatos articulos ut falsos, temerarios, piarum aurium offensivos et praecipue propositionem excerptam ex art. X: *probabilismum, qui Christo Domino familiaris fuit, uti erroneam et haeresi proximam damnat et proscribit.*

Quam proscriptionem Clemens confirmavit.

D. die XXVI feb. a. 1761.

Tridentinus Episcopus aliis litteris gregi suo hanc a generali Inquisitione proscriptionem praedictorum articulorum factam notam fecit die II maii a. 1761.

XCIV.

Damnatio duorum librorum.

ALEXANDER VII ad p. r. m.

Incipit *Cum ad aures, etc.* (1).

Damnat Alexander duos libros, quorum unus titulum habet:

Censura sacrae Facultatis Theologiae Parisiensis in librum, cui titulus: La défense de l' autorité de N. S. P. le Pape, de nos seigneurs les Cardinaux, les Archévêques et Évêques et de l' emploi des religieux mendians contre les erreurs de ce temps; par Jacques de Vernant à Metz 1658.

(1) B. M. t. 6. p. 212. B. R. t. 6. p. 6. p. 73. C. C.

Alter habet titulum:

Amadaei Guimenii Lomarensis olim primarii sacrae theologiae professoris opusculum singularia universae fere theologiae moralis complectens; adversus quasdam expostulationes contra nonnullas Jesuitarum opiniones morales ad tractatus de peccatis, de opinione probabili, etc.; editio novissima, etc.; Lugduni sumptibus Philippi Borde, Laurentii Arnaud, Petri Borde, et Guillelmi Barbier 1664 cum approbatione et superiorum permissu, Parisiis 1665.

In his libris censura praesumptuosa notantur aliquae propositiones, eae praesertim quae spectant ad Pontificiam auctoritatem, Episcoporum iurisdictionem, parochorum munus, actionum moralium regulam.

Eos Alexander damnat sub poenis, etc.

D. Romae apud S. M. Mai. VII cal. iul. P. a. XI. a. D. 1665.

XCV.

Damnatio libri sub titulo: Ritualis pro dioecesi Aletensi.

CLEMENS IX ad f. r. m.

Incipit *Creditae nobis, etc.* (1).

Eo quod in libro, cui titulus: *Rituel Romain du Pape Paul V à l'usage du diocèse d'Alet avec les instructions et les rubriques en François, non solum continentur nonnulla ab ipso Rituali Romano iussu Pauli V edito aliena, sed etiam doctrinae quaedam et propositiones falsae, singulares, in praxi periculosae, erroneae et consuetudini in Ecclesia communiter receptae atque ecclesiasticis constitutionibus oppositae*, damnatur ille a Clemente sub solitis formulis.

Mandatque Pontifex Episcopis eius provinciae, aliarumque, ut comburant eum, vel tradant Metropolitanis.

D. R. apud S. M. Mai. die X febr. P. a. I. a. D. 1668.

(1) B. R. t. 6. p. 6. p. 237. C. C.

XCVI.

Confirmatio damnationis et publicatio.

CLEMENS IX ad f. r. m.

Incipit *Creditae nobis, etc.* (1).

Praeter confirmationem damnationis iuxta minutam transmissam ab Assessore S. Officii, iubet Clemens,

Ut damnatio affigatur ad valvas Basilicae s. Petri, cancellariae A. et in acie Campi Florae, quae afflictio valere debeat, non secus ac omnibus et singulis notificata fuisset.

D. R. apud s. Petrum die XIX apr. P. a. I. a. D. 1668.

XCVII.

Quatuor propositiones cleri Gallicani de auctoritate Pontificia damnantur.

ALEXANDER VIII ad p. r. m.

Incipit *Inter multiplices, etc.* (2).

Dum contentiones effervescebant inter Ludovicum XIV Galliae regem et Innocentium XI de Franchitiis ab hoc sublatis, Clerus Gallicanus in comitiis Parisiis habitis a. 1682 quatuor has propositiones edidit:

I. B. Petro eiusque successoribus Christi vicariis ipsique Ecclesiae rerum spiritualium et ad aeternam salutem pertinentium, non autem civilium et temporalium a Deo traditam potestatem. Reges ergo et principes in temporalibus nulli ecclesiasticae potestati Dei ordinatione subiici, neque auctoritate clavium Ecclesiae directe, vel indirecte deponi, aut illorum subditos eximi a fide, ac obedientia, ac praestito fidelitatis sacramento solvi posse, etc

II. Sic inesse Apostolicae Sedi ac Petri successoribus rerum spiritualium plenam potestatem, ut simul valeant, ac immota consistant s. oe-

(1) Ib. p. 252. C. C.

(2) B. M. p. 4. vel t. 10. p. 216. B. R. t. 9. p. 38. C. C.

oecumenicae Synodi Constantiensis a Sede A. comprobata, ipsorumque Romanorum Pontificum, ac totius Ecclesiae usu confirmata, atque ab Ecclesia gallicana perpetua religione custodita decreta de auctoritate conciliorum generalium, quae sessione quarta et quinta continentur, etc.

III. Hinc apostolicae potestatis usum moderandum per canones Spiritu Dei conditos et totius mundi reverentia consecratos, etc.

IV. In fidei quoque quaestionibus praecipuas summi Pontificis esse partes, eiusque decreta ad omnes et singulas Ecclesias pertinere : nec tamen irreformabile esse iudicium, nisi consensus Ecclesiae accesserit.

Edidit, inquam, *sive adversus dicti regni Ecclesiarum iura, sive adversus Romani Pontificis et Ecclesiae universae auctoritatem, praestito inibi per eum* (Clerum) *extensioni illius iuris, quod vocant* regaliam, *ad omnes dicti regni Ecclesias assensu.*

Commonefactus Innocentius, *per quasdam suas in forma Brevis die XI aprilis anni eiusdem* 1682, eas propositiones cum omnibus actis in iis comitiis, decretis, *arrestis*, mandatis, declarationibus factis *a quacumque potestate ecclesiastica, vel laicali improbavit, rescidit et cassavit.*

Innocentio mortuo et adhuc contentionibus permanentibus, idem agit Alexander; nempe improbat, rescindit, cassat et propositiones et acta in iis comitiis. N. O. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud S. M. Mai. die IV aug. P. a. I. a. D. 1690.

XCVIII.

Significat Pontifex Galliarum regi, se damnasse quatuor illas propositiones, quia ita debebat ex officio.

ALEXANDER VIII Francorum regi christianissimo.

Incipit *Cum in summopere, etc.* (1).

Quia supradictis quatuor propositionibus decretum regis additum fuerat, *ut eae propositiones in universa ditione et provinciis, atque aca-*

(1) B. M. p. 4 el. t. 10. p. 318.

demiis regnorum suorum defenderentur; neque quisquam gradum aliquem litterarum in theologia, aut iure canonico acciperet, nisi iurata prius earum defensione.

Ideo Alexander ad regem scribit significans ei, se ideo eas propositiones damnasse, quia universae Ecclesiae praeest, cuius regiminis aeterno iudici redditurus est rationem;

Eum hortatur, ne Ecclesiam, cuius eius maiores extiterunt semper defensores acerrimi, ita affligat, sed recreet, revocando edictum, quod illis propositionibus apposuerat; id Deum compensaturum felicitatibus, quas large in eum eiusque familiam, regnumque effundet.

D. Romae die XXX ian. a. D. 1691.

XCIX.

Damnatio libri Traité de la régalie, etc.

CLEMENS XI ad p. r. m.

Incipit *Cum sicut, etc.* (1).

Vix ac notitia huius libri:

Traité de l'origine de la régalie et des causes de son établissement, par M. Gaspard Audaul avocat au parlement et au conseil du roy et de monseigneur le duc d'Orléans à Paris 1708,

Romam pervenit, examinatus fuit, repertusque continere falsa circa usum regaliae, *hoc est usum custodiendi fructus quarumdam vacantium Ecclesiarum*, et contraria iis, quae statuta sunt in generali Lugdunensi concilio et iniuriosa Pontificibus Alexandro VIII, Innocentio XII et Clementi ipsi XI et Innocentio XI praecipue, qui *universalem usum regaliae* divino iuri et humano contrarium censuit, damnatur sub poenis, etc.

D. Romae apud s. Petrum die XVIII ian. P. a. X. a. D. 1710.

(1) B. M. p. 6. vel t. 12. p. 140. B. R. t. 10. p. 1. p. 221. C. C.

C.

Proscribit Clemens librum Acte d' Appel, etc.

CLEMENS XI ad p. r. m.

Incipit *Dum nos, etc.* (1).

Iam damnatus fuerat a Clemente XI a. 1701 liber inscriptus: *Ordonnance de Léopold I duc de Lorraine et de Bar, etc. donnée à Nancy au mois de juillet 1701; à Nancy chez Paul Barbier imprimeur libraire à la Ville neuve 1701.*

Subinde in defensionem huius libri prodiit alius inscriptus: *Acte d'appel interjecté par le procureur général de Lorraine et Barrois de l'exécution du Bref de 22 septembre dernier rendu contre l'ordonnance de son altesse royale du mois de juillet 1701 de notre saint Père le Pape Clément XI mal informé à notre dit s. Père le Pape, lorsqu'il sera mieux informé avec l'arrêt d'enregistrement d'icelui.*

Hunc librum tamquam continentem *propositiones falsas, temerarias, calumniosas, in praxi perniciosas, Ecclesiae iniuriosas, ac libertatis et iurisdictionis ecclesiasticae laesivas* damnat Clemens sub poenis, etc. N. O.

D. Romae apud s. Petrum die XI febr. P. a. IV. a. D. 1704.

CI.

Proscriptio libri Ragioni a pro della Città di Napoli.

CLEMENS XI ad p. r. m.

Incipit *Cum sicut, etc.* (2).

Liber, cuius titulus: *Ragioni a pro della fedelissima Città di Napoli contra il provedimento straordinario nelle cause del Sant' Officio, divise in tre capi,*

Proscribitur a Clemente, ut seditiosus, temerarius haeresim sapiens sub poenis, etc.

D. Romae apud s. Petrum die XVII feb. P. a. X. a. D. 1710.

(1) B. M. t. 8. p. 26. Ib. p. 59. C. C.
(2) B. M. p. 6. vel t. 12. p. 482. Ib. p. 229. C. C.

CII.

Damnatio trium librorum ad beneficia regni Neapolitani.

CLEMENS XI ad. p. r. m.

Incipit, *Cum sicut, etc.* (1).

De die in diem crescentibus controversiis inter Pontificem ex una parte et Carolum III Austriacum Hispaniarum tunc regem se vocitantem, et posito regno Neapolitano ex alia, prodibant quotidie libri proque contraque.

Tres editi fuere, qui vix ac lucem aspexerunt, examinati, fuerunt proscripti sub poenis, etc.

Tituli sunt:

I. Ragioni del regno di Napoli nella causa de' suoi beneficii ecclesiastici, che si tratta nel real consiglio della Maestà del Re nuovamente a tal affare ordinato 18 giugno 1708.

II. De re beneficiaria dissertationes tres; ubi Caroli III Hispaniarum regis Pii, Felicis, Victoris PP. Augusti edictum, quo fructuum captionem in sacerdotiis externorum et vagantium clericorum iubet, tum summo, tum optimo iure, recte, atque ordine factum demonstratur. Rex qui sedet in solio iudicii dissipat omne malum intuitu suo. (Prov. 20.) *a.* 1708.

III. Considerazioni teologico-politiche a pro degli editti di sua Maestà cattolica intorno alle rendite del regno di Napoli. Parte prima. a. 1708.

D. Romae apud s. Petrum die XVII feb. P. a. X. a. D. 1710.

CIII.

Damnatio libri de eadem materia.

CLEMENS XI ad p. r. m.

Incipit *Nuper nos, etc.* (2).

Partem secundam libri inscripti *Considerazioni, etc.* (v. n. III. proxime super.), cuius damnaverat partem primam, damnat Clemens; con-

(1) B. M. p. 6. vel t. 12. p. 482. Ib. p. 230. C. C.

(2) Ib. p. 483. Ib. C. C.

tinet enim *propositiones ecclesiasticae libertatis destructivas et ad schisma tendentes*, sub poenis, etc.

D. Romae apud s. Petrum die XXIV mar. P. a. X. a. D. 1710.

CIV.

Damnatur liber Traité de la puissance ecclésiastique et temporelle.

CLEMENS XI ad p. r. m.

Incipit *Ex iniuncto, etc.* (1).

Libri, cui titulus: *Traité de la puissance ecclésiastique et temporelle*, 1707, interdicit Pontifex lecturam, retentionem, impressionem sub poenis, etc.

D. Romae apud s. Petrum die XIV mai. P. a. VIII. a. D. 1708.

CV.

Damnat Benedictus in Polonam linguam versionem libri: Principes, *etc.*

BENEDICTUS XIV Primati, Archiep. et Episc. Poloniae.

Incipit *Ad assiduas, etc.* (2).

Licet anno 1753 decreto congregationis Cardinalium inquisitorum proscriptus fuisset liber, cui titulus:

Principes sur l'essence, la distinction et les limites des deux puissances spirituelle et temporelle, ouvrage postume du Père la Borde de l'Oratoire,

Tamen in Polonicum sermonem versus prodierat et per Poloniae regnum disseminatus fuerat.

(1) Ib. p. 466.
(2) Ib. p. 466. B. R. t. 10. p. 1. p. 195. C. C.

Factum fuerit id ex malitia, an ex ignorantia, damnandum semper eum esse, ait Pontifex, ob pravum systema quod continet; subiicit enim ecclesiasticam iurisdictionem temporali, quod systema iam reprobavit Ioannes XXII constitutione, quae incipit: *Licet iuxta doctrinam.*

Hortatur ergo Praesules eius regni Benedictus, ut illum librum e suis dioecesibus exterminent, ignorantes doceant eum esse proscriptum, malitiosos cöerceant.

D. Romae apud S. M. Mai. die IV mar. P. a. XV. a. D. 1755.

CVI.

Damnantur institutiones theologicae Gasparis Iuvenin.

CLEMENS XI. Decretum.

Incipit *Sacra congregatio, etc.* (1).

Confirmat Clemens decretum sanctae generalis Inquisitionis vetantis, ne legatur, retineatur, doceatur, imprimatur liber, cuius titulus:

Institutiones theologicae ad usum seminariorum, auctore Gaspare Iuvenin oratorii gallicani presbytero, et in seminario eminentissimi Card. de Noailles Archiepiscopi Parisiensis sacrae theologiae professore. Parisiis, et Venetiis 1704, 1705.

D. Romae die XV sept. a. D. 1708.

CVII.

Liber Launoii De praedestinatione et gratia *damnatur.*

CLEMENS XI ad p. r. m.

Incipit *Cum sicut, etc.* (2).

Librum hunc *tamquam blasphemum, impium, nec non fulgidissimo catholicae Ecclesiae lumini, maximoque doctori s. Augustino, quin imo*

(1) B. M. t. 19. p. 136.
(2) B. M. t. 8. p. 397.

ipsimet Ecclesiae atque Apostolicae Sedi iniuriosum damnat solitis clausulis Clemens.

Véritable tradition de l'Église sur la prédestination et la grace, par M. de Launoy docteur en théologie de la maison et société de Navarre. A Liège chez Nicolas le François proches les Carmes en Isle à la prudence 1702.

D. Romae apud S. M. Mai. die XXVIII ian. P. a. IV. a. D. 1704.

CVIII.

Damnatio thesium Martini de Prades.

BENEDICTUS XIV ad p. r. m.

Incipit *Commissa nobis, etc.* (1).

Ioannes Martinus de Prades sacerdos Montalbanensis complures edidit theses sub titulo:

Hierusalem coelestis, quaestio theologica, quis est ille, cuius in faciem Deus inspiravit spiraculum vitae? Gen. 27.

Folium continens has theses falsas, temerarias, erroneas, blasphemas, faventes deistarum et materialistarum erroribus, Benedictus damnat solitis modis.

D. Romae apud S. M. Mai. die XXII mar. P. a. XII. a. D. 1752.

CIX.

Librum Storia del popolo di Dio, *etc. proscribit Pontifex.*

BENEDICTUS XIV ad p. r. m.

Incipit *Cum ad congregationem, etc.* (2).

Opus hoc titulo: *Histoire du peuple de Dieu, depuis la naissaince du Messie jusque à la fin de la Sinagogue,*

(1) Ib. p. 25. B. R. t. 10. p. 1. p. 58. C. C.
(2) B. M. t. 18. p. 260.

Iam ab an. 1755 fuerat decreto generalis Inquisitionis, confirmato a Pontifice, proscriptum.

Nihilominus *repertus aliquis fuit, qui nimia audacia illud ipsum opus in italicam linguam conversum, typis edere non dubitavit sequenti titulo*:

Storia del popolo di Dio dalla nascita del Messia sino alla fine della sinagoga tratta dai soli libri santi dal p. Isacco Giuseppe Berruyer della compagnia di Gesù; seconda parte tradotta dal francese da un religioso della medesima compagnia: in Venezia MDCCLVI nella stamperia Remondini;

Adiectis ad calcem versionis huiusmodi non solum Mantissa dissertationum *ab auctore latine conscriptarum, sed etiam apologia ipsius operis, cuius titulus est*:

Difesa della seconda parte della storia del popolo di Dio, del p. Berruyer tradotta dal francese, etc.

Quo quid insolentius? quid arrogantius?

Hoc opus et mantissam et apologiam sub solitis formulis proscribit Benedictus.

Quem quidem librum damnavit etiam Clemens XIII.

D. Romae apud S. M. Mai. die XVII febr. P. a. XVIII. a. D. 1758.

CX.

Historia Concilii Tridentini cum notis Curayerii damnatur.

CLEMENS XII ad p. r. m.

Incipit *Creditum humilitati, etc.* (1).

Damnat Clemens solitis sub clausulis librum inscriptum:

Histoire du Concile de Trente écrite en Italien par fra Paolo Sarpi de l'Ordre des Servites, et traduite de nouveau en français avec des notes critiques, historiques et théologiques par Pierre François de Courayer,

(1) B. M. t. 19. edit. Venetae appendix altera p. 25.

docteur en théologie de l'Université d'Oxford et chanoine régulier et ancien bibliothécaire de l'abbaye de sainte Généviève de Paris. A Amsterdam 1736.

D. Romae apud S. M. Mai. die XXVI ianu. P. a. X. a. D. 1740.

CXI.

Mandement de Monseigneur l'Évêque d'Auxerres *contra Officium s. Gregorii Papae VII damnat Pontifex.*

BENEDICTUS XIII ad p. r. m.

Incipit *Cum ad Apostolatus, etc.* (1).

Officium de s. Gregorio Papa VII prodierat recens editum iussu Sanctissimi; statim etiam prodiit quaedam ordinatio sub titulo:

Mandement de Monseigneur l'Évêque d'Auxerres, qui défend de réciter l'Office imprimé sur une feuille volante, qui commence par ces mots, die XXV maii in festo s. Gregorii VII Papae et confessoris. *Donnée à Regennes ce vingt-quatre juillet mil sept cent vingt-neuf*;

Pontifex hoc edictum damnat. Non enim potest Ordinarius proscribere quod Romana Ecclesia decrevit.

D. Romae apud s. Petrum die XVII sept. P. a. VI, a. D. 1729.

CXII.

Alia similis ordinatio Episcopi Metensis proscribitur.

BENEDICTUS XIII ad p. r. m.

Incipit *Cum ad Apostolatus, etc.* (2).

Etiam Episcopus Metensis contra decretum Pontificis de recitatione officii de s. Gregorio VII edidit:

(1) B. M. p. 4. vel t. 10. p. 408. B. R. t. 12. p. 408.
(2) B. M. p. 7. vel t. 13. p. 422. Ib. p. 410. C. C.

Mandement de Monseigneur l'Évêque de Metz, qui défend de réciter l'Office imprimé sur une feuille volante, qui commence par ces mots: Die 25 maii in festo s. Gregorii VII Papae et confes. *Donnée à Frascati le seizième du mois d'août* 1729.

Quam ordinationem Benedictus damnat.

D. Romae apud s. Petrum die VIII oct. P. a. VI. a. D. 1729.

CXIII.

Alia Episcopi Montis-Pessulani.

BENEDICTUS XIII ad p. r. m.

Incipit *Cum nobis, etc.* (1).

Etiam mandatum Episcopi Montis-Pessulani vetantis recitationem Officii de eodem s. Gregorio, *Mandement, etc.* damnat Benedictus.

D. Romae apud s. Petrum die VI dec. P. a. VI, a. D. 1729.

CXIV.

Ordinationes eiusmodi magistratuum laicalium damnantur.

BENEDICTUS XIII ad p. r. m.

Incipit *Cum ad aures, etc.*

Magistratus et officiales et ministri saeculares etiam editis decretis Senatus-consultis contra officium s. Gregorii extensis ad omnes, qui tenentur ad horas canonicas, sese moverunt.

Pontifex haec omnia edicta, etc. declarat nullius roboris, quippe quae facta a potestate laicali de re mere Ecclesiastica, aeque revocat, cassat edita et edenda.

D. Romae apud s. Petrum die XIX dec. P. a. VI. a. D. 1729.

(1) B. M. p. 7. vel t. 13. p. 423. Ib. p. 411. C. C.

CXV.

Damnatio undecim librorum.

CLEMENS XI. Decretum.

Incipit *Actorum, etc.* (1).

Congregatio sacra Indicis hos libros solitis sub poenis damnat:

1. *Actorum eruditorum, quae Lipsiae publicantur, supplementa; tomus IV. Lipsiae MDCCXI.*

2. *La coscienza illuminata dalla teologia di s. Tommaso d' Aquino, ristretta e volgarizzata dal conte Gio. Battista Comazzi. In Colonia* 1711.

3. *Disputatio periucunda, qua anonymus probare nititur, mulieres homines non esse, cui opposita est Simonis Gedicci sacros. theologiae doctoris defensio sexus muliebris, qua singula anonymi argumenta, distinctis thesibus proposita viriliter enervantur. Hagae Comitis* 1644.

4. *Divine vision et relation des trois états, l'ecclésiastique, le politique, l'oeconomique; laquelle moi Jean Engelbert de Brunswic ai vue de mes yeux et veillant, étant à Winsem au pays de Luneburg l'an.* 1625; *écrite pour une seconde fois à Embden l'an.* 1640 *par l'auteur même en Allemand, et traduite en Français pour l'édification, etc. à Amsterdam* 1680.

5. *De fabula equestris ordinis Constantiniani Scipionis Maffeii Marchionis epistola. Tiguri* 1712.

6. *Histoire du regne de Louis XIII roi de France et de Navarre, etc. pour M. Michel le Vassor. Seconde édition revue et corrigée à Amsterdam. Tome prémier* 1700, *second* 1702, *troisième* 1704.

7. *Jurisprudentia ecclesiastica seu concistorialis, rerum et quaestionum, etc. definitiones succinctas, iure divino, canonico et civili, constitutionibus et ordinationibus ecclesiasticis probatas, rescriptis, decretis et responsis electoralibus corroboratas exhibens. Libri III, auctore Benedicti Carpzon J. C. Consiliario, etc. Hannoviae* 1652.

8. *Liturgia, seu liber precum communium et administrationis Sacramentorum, aliorumque rituum atque caeremoniarum Ecclesiae iuxta usum Ecclesiae Anglicanae, etc. Londini* 1681.

(1) B. M. p. 7. vel t. 13. p. 524. Ib. p. 512. C. C.

9. *De non speranda nova monarchia, dialogus; Ratisbonae an. Ch.* 1681.

10. *Sacrae theologiae summa Joannis Duns Scoti doctoris subtilissimi et commentaria, etc. magistro Angelo Vulpes a Monte Peloso Ord. Minorum Conventualium auctore, etc. Tomus secundus partis secundae, Neapoli* 1633.

11. *Salomen et Marcolphus Justiniano Gregoriani, hoc est, sapida et insipida, sana atque insana, etc. auctore.* 4. X. 4. Ego enim vitam meam non tam verbis aliorum, quam propriis meis factis studeo illustrare. Gala, etc. *Francofurti et Dresdae* 1698.

CXVI.

Damnatio libri Consultation de messieurs, *etc.*

BENEDICTUS XIII ad p. r. m.

Incipit *Nuper ad Apostolatus, etc.* (1).

Libellus cuius titulus: *Consultation de messieurs les avocats du Parlement de Paris au sujet du jugement rendu à Amborum contre monsieur l'Évéque de Senez,*

Quia plurimum detrimenti afferre potest legentibus, damnatur, etc.

D. Romae apud s. Petrum die IX iunii, P. a. V. a. D. 1728.

CXVII.

Proscriptio historiae Francisci Mariae Ottieri.

BENEDICTUS XIII. Decretum.

Incipit *Sacrae Iudicis, etc.* (2).

Librum inscriptum: *Storia delle guerre avvenute in Europa e particolarmente in Italia per la successione alla monarchia delle Spagne dall'an.* 1696 *all'an.* 1725, *scritta dal conte e marchese Francesco Maria Ottieri Accademico della Crusca; Roma* 1728,

(1) B. M. t. 8. p. 447.
(2) B. M. p. 7. vel t. 13. p. 346. B. R. t. 12. p. 284. C. C.

Continentem expressiones offensivas et iniuriosas Principibus, nec non aliquibus nationibus atque viris sanguine, dignitate et principum ministeriis conspicuis et narrationes rerum minime subsistentes, damnatum a sacra Indicis congregatione, damnat et Benedictus.

D. Romae apud s. Petrum die XIX dec., P. a. VI. a. D. 1729.

CXVIII.

Damnantur plures libri.

BENEDICTUS XIII. Decretum.

Incipit *Sacrae Indicis, etc.* (1).

Decretum sacrae Indicis congregationis damnantis sequentes libros confirmatur a Benedicto.

D. Romae in palatio Apostolico Vaticano die XVIII iul. a. 1729.

1. *Animadversiones iusti Hanningii Bohemerii in institutiones iuris ecclesiastici Claudii Fleury cum latina versione Ioannis Gabrielis Gruber, an.* 1724.

2. *Casimiri Oudini commentarius de scriptoribus Ecclesiae antiquis, illorumque scriptis, etc. Lipsiae* 1722, *tom. I, II et III.*

3. *Censura sacrae Facultatis Theologiae Duacensis in quasdam propositiones de gratia deprompta ex dictatis philosophicis dominorum Lengrand et Marechal, etc.; accedit appendix ad causam professorum primariorum Collegii Regii. Item Mantissa continens censuram in epistolam scriptam ab Er. domino Pierart sac. theologiae licentiato, etc. Typis edita annis* 1722, 1724, *donec corrigatur.*

4. *Discours contre la persécution, traduit de l'Anglais, Liège* 1725.

5. *Epistolica dissertatio Scoti-Thomistica super facti quaestione, utrum doctor Angelicus revera docuerit pluribus in locis, b. Virginem fuisse immunem a peccato originali? Cui denuo accessit duplex dissertatio scilicet, dogmatica et historica circa b. Virginis conceptionem. Stephani Chiesa labore concinnatum. Taurisii* 1716. *Donec corrigatur.*

(1) B. M. p. 7. vel t. 13. p. 415. Ib. p. 397. C. C.

6. *Histoire des chevaliers hospitaliers de s. Jean de Jérusalem, appelés depuis chevaliers de Rhodes et aujourdui chevaliers de Malte. Par monsieurs l'Abbé de Vertot*; 1726, *t.* 1, 2, 3, 4 *et* 5.

7. *Ioannis Gasparis Suiceu Thesaurus Ecclesiasticus ex PP. Graecis ordine alphabetico concinnatus*; *Amstelodami* 1682.

8. *Ioannis Georgii Walchii commentarium Concilii Lateranensis a Benedicto XIII celebrati an.* 1725. *Lipsiae* 1727.

9. *Ioannis Martini Oconensis Theologia speculativa et moralis. Venetiis* 1720; *tomus tertius.*

10. *Nouveau voyage d' Italie avec une mémoire contenant des avis à ceux, qui voudront faire le même voyage, par M. Misson. Haye* 1717.

11. *Remarques sur divers endroits d' Italie par Mr. Andison pour servir au voyage de Mr. Misson. Paris* 1722.

12. *The spiritual director for those who have none translated out of French printed in the year*, 1703, *hoc est*, *spiritualis director pro his*, *qui nullum habent, ex Gallico translatus.*

13. *Traité des loix civiles et ecclésiastiques contre les hérétiques par les Papes, les empéreurs, les rois et les conciles généraux et provinciaux approuvés par l'Église de Rome. Liège* 1725.

14. *Triumphus misericordiae*, *id est*, *sacrum Ordinis Sanctissimae Trinitatis institutum redemptio captivorum*, *cum adiuncto calendario ecclesiastico historico universi Ordinis, auctore Ioanne a sancto Felice*; *Viennae Austriae* 1704.

CXIX.

Duos libros damnat Pontifex.

BENEDICTUS XIV ad p. r. m.

Incipit *Cum sicut, etc.* (1).

Libros, unum cui titulus: *Lettres, avec ces mots latins,* ne repugnate vestro bono. Seneca de constantia sap. c. 19. *A Londres* 1750.

(1) B. M. t. 13. p. 180.

Et alterum: *La voix du sage et du peuple*; *à Amsterdam chez le sincère* 1750.

Damnat Benedictus cum solitis clausulis et poenis.

D. Romae apud S. M. Mai. die XXV ian. P. a. XI, a. D. 1751.

CXX.

Liber Esposizione del Simbolo della Fede cattolica *proscribitur.*

CLEMENS XIII ad p. r. m.

Incipit *Cum inter*, *etc.* (1).

Quamvis proscriptum fuisset a sacra Indicis congregatione opus Gallico idiomate *Exposition de la Doctrine Chrétienne, ou instruction sur les principales vérités de la religion,* an. 1757, die 21 novembris, tamen versum fuit in Italum sermonem et typis editum tomis quinque, *quorum primus hanc praefert inscriptionem:*

Esposizione del simbolo della Fede Cattolica. In Napoli 1758, *nella stamperia Simoniana, con licenza dei superiori.*

Secundus hanc: *Esposizione dell'orazione Dominicale.*

Tertius hanc: *Esposizione del Decalogo,* ibidem an. 1759.

Hanc quartus: *Esposizione dei Sacramenti.*

Quintus demum hanc: *Esposizione dei comandamenti della Chiesa con la giunta di un trattato della giustificazione; eodem solo, eodem praelo, an.* 1760.

Hanc versionem proscribit Clemens, etc.

D. in arce Gandulphi die XIV iunii, P. a. III. a. D. 1761.

(1) *In folio separato.*

CXXI.

Octodecim epistolae: Le provinciali con delle nuove annotazioni. *damnantur.*

CLEMENS XIII. Decretum.

Incipit *Cum Sacrae, etc.* (1).

Cardinales Inquisitores *octodecim litteras, vulgo dictas* Le provinciali *idiomate* Gallico *iamdiu editas et in vetitorum librorum indicem relatas*, in italam linguam versas, adiectis probrosis praefationibus, carminibus aliisque id genus additamentis et multiplicibus notis *haeresim atque impietatem ubique spirantibus*, in sex tomos distributas ementito praelo et editionis loco, hoc titulo:

Le provinciali o lettere scritte da Luigi di Montalto ad un provinciale dei suoi amici, colle annotazioni di Guglielmo Wendrock, tradotte nella italiana favella con delle nuove annotazioni; 1761,

Damnant solitis formulis, etc.

D. Romae die XVII mart. a. D. 1762.

CXXII.

Damnatio duorum librorum.

CLEMENS XIII. Decretum.

Incipit *Cum gravissimo, etc.* (2).

Libros duos, unum inscriptum: *De la nature; à Amsterdam chez E. Van-Harrelvet* 1761 in quatuor partes distributum cum notis marginalibus,

Alterum inscriptum; *Émile, ou de l'éducation par J. J. Rousseau, citoyen de Genève: à la Haye chez Jean Neaulme libraire* 1762, ut con-

(1) *In folio separato.*

(2) *Ib.*

tinentes propositiones falsas, impias, haereticas et potissima Christianae religionis dogmata funditus evertentes generalis Inquisitionis congregatio damnavit solitis poenis; decretumque Clemens confirmat.

Feria V, die IX sept. a. 1762.

CXXIII.

Aliquot librorum prohibitio.

CLEMENS XIII. Decretum.

Incipit *Sacra congregatio, etc.* (1).

Hos libros sub solitis poenis damnatos vetat sacra generalis Inquisitio teneri, legi, imprimi.

I. Examen des critiques du livre intitulé: de l'Esprit. A Londres.

II. Dictionnaire historique, litteraire et critique contenant une idée abrégée de la vie et des ouvrages des hommes illustres des tous temps, et des tous pays; t. 6. 8. duo priores a. 1758; reliqui 1756 ementitis typis Avenionensibus.

III. Memorie aneddote spettanti alla vita ed agli studi del sommo filosofo e giureconsulto fr. Paolo Servita, raccolte ed ordinate da Francesco Griselini Veneziano della celebre Accademia dell'istituto delle scienze di Bologna. Losatino 1760.

IV. L'esprit, ou les principes du droit canonique. A Avignon (ementitis loco et typis) 1760 3; vol. 12, pars prior.

V. Lettres Persannes. A *Cologne chez Pierre Murteau*, 1754.

VI. Lettre de Charles Gouju à ses frères.

VII. Candido o l'Ottimismo del signor dottor Ralph, tradotto in Italiano, 1759.

VIII. Honni soit qui mal y pense, ou histoires des filles celèbres, du XVIII siècle. Fabulae narrari creduntur, historiae sunt. A Londres 1761.

(1) *In folio separato.*

IX. Sonetti contro le opinioni di Michele Baio, di Giansenio Iprense, del Bellelli, del P. Berti Ag., del Viatore, del Rosigni e del Migliavacca, in Cosmopoli 1762.

X. La petite Encyclopédie ou dictionnaire des philosophes. Ouvrage posthume d'un des ces Messieurs. Ridiculum acri fortius, et melius plerumque secat res. *A Anvers chez Jean Gasbek imprimeur libraire.* 1762.

XI. Supplementorum ad nova acta eruditorum, quae Lipsiae publicantur. 1757.

XII. Histoire d'un peuple nouveau, ou découverte d'un'isle à 43 *degrès,* 14 *minutes de latitude méridionale, par David Tompson capitaine du vaisseau le Boston à son retour de la Chine en* 1756. *Ouvrage traduit de l'Anglais. A Londres aux dépens d'une société de libraires.* 1757.

XIII. Le voyageur philosophe dans un pays inconnu aux habitans de la terre. Multa incredibilia vera; multa credibilia falsa. *Par Mr. de Listonai. Vol.* 2. *A Amsterdam aux dépens de l'éditeur.* 1761.

XIV. Nova acta eruditorum Lipsiae publicata anno 1752.

XV. Nova acta eruditorum Lipsiae publicata a. 1753.

XVI. Energumenos dignoscendi et liberandi, tum maleficia quaelibet dissolvendi, nec non benedictiones utiliter conficiendi super aegros compendiaria et facillima ratio. Auctore Stephano Coleti Atest. Veronae 1746, *ex typis P. A. Berni.*

XVII. Folium quaestionem continens de facultate exorcizandi energumenos ex praecedenti opere desumptam sic incipiens: *Ad maiorem Dei gloriam,* et sic desinens: *loquere quod minime ignoras et recte loqueris.* Venetiis 1762, typis Antonii Zatta.

Congregationis decretum confirmat Clemens.

D. Romae die XIX ianu. a. 1763.

CXXIV.

Damnantur quidam libri.

CLEMENS XIII. Decretum.

Incipit *Sacra congregatio, etc.* (1)

Confirmat horum librorum proscriptionem a congregatione Cardinalium inquisitorum factam Clemens:

I. Del matrimonio, discorso di Antonio Cocchi Mugellano. In Londra (ementitis typis) 1762.

Item hoc titulo: *Del matrimonio, ragionamento di un filosofo Mugellano. Edizione seconda coll'aggiunta di una lettera ad una sposa tradotta dall'Inglese da una fanciulla Mugellana. In Parigi* (ementitis pariter typis) *nella stamperia Italiana.* 1762.

II. Ordonnance et instruction pastorale de Monseigneur l'Évêque de Soissons au sujet des assertions extraites par le Parlement des livres, thèses, calliers composées, publiées et dictées par les Jésuites. A Soissons chez Ponce Courtois imprimeur de Mons. l'Évêque. 1762.

III. Joannis Wandelini Ss. theologiae dum vixit doctoris et professoris primarii..... Praelectiones theologicae in epistolam Pauli ad Romanos editae cura et studio Jo. Wandelinorum filii et nepotis... Hafniae typis Viduae A. Molleri. 1760.

IV. Acta eruditorum Lipsiae publicata an. 1754.

V. Acta eruditorum Lipsiae publicata anno 1755.

VI. Jo. Jac. Zimmermanni theologiae in Symnasio Tigurino professoris... opuscula theologici, historici et philosophici argumenti. Tomi I pars prima. Tiguri typis Gesnerianis 1751.

VII. ... Eiusdem tomi I pars altera.

VIII. ... Eiusdem tomi II pars prima.

IX. ... Eiusdem tomi II pars altera.

X. Opella sic inscripta: *Dissolvitur celebre quaesitum a nemine adhuc discussum pro exorcista rite edocto, quem facit idoneum ministrum Novi*

(1) *In folio separato.*

Testamenti donum Dei. Ad ovem obsessam si quis sacerdos accedat, ad maleficiatom liberationis gratia et benedictionis ad infirmam, quid sentiant pastores earum. Veronae typis Augustini Caratoni typographi episcopalis. 1763.

XI. De miraculis quae Pithagorae, Apollonio Thianensi, Francisco Assisio, Dominico et Ignatio Loyolae tribuuntur. Editio nova multis adnotamentis aucta. Auctore Phileleuthero Helvetio. Edimburgi typis Petri Fox. 1755.

XII. Examen de la religion, dont on cherche l'eclaircissement de bonne foi, attribué à Mr. de s. Evremond, traduit de l'Anglais de Gilbert Burnet. A Londres chez P. Cook. 1761.

XIII. Justini Febronii de statu Ecclesiae et legitima potestate Romani Pontificis liber singularis ad reuniendós dissidentes in religione Christianos compositus. Bullionii apud Guillelmum Evrardi. 1763.

XIV. Discorso sopra l'Asilo ecclesiastico, in Firenze 1763. *Si vendono da Gio. Battista Pasquali in Venezia con licenza dei superiori e privilegio.*

D. Romae die XXVII febr. 1764.

CXXV.

Prohibitio libri.

CLEMENS XIII. Decretum.

Incipit *Sacra congregatio, etc.* (1).

Damnationem libri *Adami Francisci Kollarii Pannonii Neosoliensis.... De originibus et usu perpetuo potestatis legislatoriae circa sacra Apostolicorum Regum Ungariae. Vindebonae typis Joannis Thomae Trattner* 1764 propositam a sacra Cardinalium inquisitorum congregatione confirmat Clemens.

D. Romae die XIII aug. a. 1764.

(1) *In folio separato.*

CXXVI.

Multi libri damnantur.

CLEMENS XIII. Decretum.

Incipit *Sacra congregatio, etc.* (1).

Infrascriptos libros sacra congregatio censuit esse prohibendos. Eos ergo prohibet, damnatque Clemens.

I. Theses, quas de ecclesiastica potestate regium ac principum imperio nequaquam metuenda cunctisque hominibus veneranda et amanda ad normam solemnis declarationis, quam edidit clerus Gallicanus an. 1682, *assertiones dogmaticas, metaphysicas, historicas, apologeticas ad sacerdotii et imperii ius publicum spectantes inscripsere FF. Praedicatores Tolosani.* Tolosae ex typis N. *Caranovae, etc.* 1764.

II. Positiones ex iure universo, quas sine praeside publicae disputationi submittit Ignatius Jos. Joan. Andr. S. R. I. comes de Tannemberg, societatis litter. Roboretanae socius in alma Caesarea Regia Leopoldina universitate Oenipontina die 18 *iulii* 1764 *permissu superiorum.* Oeniponti formis Mich. Antonii Wagner, etc.

III. Instruzioni intorno la Santa Sede tradotte dal francese. Buglione 1765 per Guglielmo Evrardi.

IV. Ouvrages philosophiques pour servir de preuves à la religion de l'auteur. Londres 1765.

Eiusdem collectionis inscriptio altera: *l'Évangile de la raison. Ouvrage posthume de M. D.... Y.*

Quinque impia opuscula hac collectione comprehensa sunt haec :

.... *Saul et David, tragédie d'après l'Anglais, intitulé : The man after Godv own heart.* Imprimée chez Robert Freeman in Pater-noster-Row. 1760.

.... *Testament de Jean Meslier.*

.... *Catéchisme de l'honnête-homme, ou dialogue entre un Caloyer et un homme de bien. Traduit du Grec vulgaire par D. I. I. R. C. D. C. D. G.*

(1) *In folio separato.*

. . . . *Sermon des cinquante*, 1749, *on l'attribue à Mr. de Martayne, ou du Marsay, d'autres à la Metrie, mais il est d'un grand prince très instruit.*

. . . . *Examen de la religion, dont on cherche l'eclaircissement de bonne foi. Attribué à Mr. de s. Evremond.*

V. Dell' arte di amare, libri due. Opera Bernesca, Ginevra (falsis typis) 1765.

VI. L'état et les délices de la Suisse, ou description Helvétique historique et géographique. Nouvelle édition corrigée et considerablement augmentée par plusieurs auteurs, vol. 4. in 12. A Basle chez Emann. Tournessen. 1764.

VII. Jacobi Ode professoris Traiectini commentarius de angelis. Trajecti ad Rhenum. 1755.

VIII. Dictionnaire philosophique portatif. Nouvelle édition corrigée et augmentée de divers articles par l'auteur. Londres 1765.

IX. Lettres d'une Péruvienne. A Peine.

X. Lettera prima, seconda e terza intorno la Bolla che comincia: Apostolicum pascendi Dominici gregis munus. Napoli 1765 appresso Sebast. Polleti con le dovute licenze. 1765.

XI. Fiuffzeben Heimliche Leyden etc. hoc est Italice: *quindici occulti patimenti e dolori, che Cristo N. S. palesò a viva voce alla divota ed amante di Dio Suor Maria Maddalena dell'ordine di s. Chiara, la quale è vivuta in Roma in gran santità e morta ivi piamente. Con una spiegazione sopra il Gloria Patri, e la maniera da tenersi nell' applicazione di sei sante messe, sì per vivi, che per i morti. Con licenza de'superiori.* Ottobiro stampato presso Gio. Baldas. Vanchemmiller l'anno 1761.

XII. Justini Febronii Icti de statu Ecclesiae et legitima potestate Romani Pontificis liber singularis ad reuniendos dissidentes in religione Christiana compositus. Editio altera priore emendatior et multo auctior. Bullionii 1765.

XIII. Eiusdem operis. *Appendix prima.*

XIV. Appendix secunda; Justiniani Novi animadversiones in Justiniani Frobenii ad Cl. V. Justinum Febronium Ictum de legitima potestate Summi Pontificis. Bullionii 1765.

XV. Appendix tertia. Joannis Clerici Palatini ad Justinum Febronium epistola excitatoria adversus observationes quasdam summarias Heidelbergensis Jesuitae in eius librum singularem. Cum notis ad easdem observationes.

XVI. Appendix quarta. Auli Iordani Icti examen dissertationis, quam magister Carolus Fridericus Bahrdt Lipsiensis die 14 decembris anni 1765 adversus Iustini Febronii tractatum publice exposuit.

XVII. Dei delitti e delle pene. 1764.

XVIII. Traité sur la tolérance. Par. M. de Voltaire.

Datum Romae die III febr. a. 1766.

CXXVII.

Quorumdam librorum proscriptio.

CLEMENS XIII. Decretum.

Incipit *Sacra congregatio*, *etc.* (1).

Quosdam libros dignos Apostolica proscriptione iudicavit sacra generalis Inquisitionis congregatio. Eos igitur Clemens proscribit, suntque sequentes:

I. Theses, quas Antonius Pereira congregationis Oratorii Olisiponensis presbyter inscripsit: *Doctrinam veteris Ecclesiae de suprema regum etiam in clericos potestate, etc. Quo duce ac praeside Pereira eamdem doctrinam publice propugnandam suscepit Ioachimus Costius eiusdem congregationis diaconus* . . . Olisipone apud Michaëlem Rodrignezium. 1765.

II. L'esistenza della legge naturale impugnata e sostenuta da Carlantonio Pilati. Venezia 1764 presso Antonio Zatta con licenza dei superiori e privilegio.

III. Du contrat social, ou principes du droit politique, par J. J. Rousseau citoyen de Génève. A Amsterdam chez Mechel Marc. Michel Rey. 1762.

IV. Jean Jacques Rousseau citoyen de Génève à Christophle de Beaumont Archévêque de Paris, etc. . . . . A Amsterdam aux dépens de la compagnie.

(1) *In folio separato.*

V. Anti-contract social, dans lequel on refute d'une manière claire, utile et agréable les principes posés dans le contract social de J. J. de Rousseau citoyen de Genève. Par P. L. Bauclair citoyen du monde. A la Haye chez Fred. Staatman. 1765.

VI. La Chandelle d'Arras. Pöeme heroicomique en XVIII chants. A Berne aux dépens de l'Académie d'Arras. 1765.

VII. Theses, quas de Ecclesia Christi et libertatibus Gallicanis inscripsit D. Franciscus Peyrat collegii FF. Praedicatorum theologus. Lemovicis ex typo Petri Chapouland. 1765.

VIII. Liber inscriptus: *Brevi di sua Santità Clemente XIII emanati in favore dei RR. PP. Gesuiti, colle osservazioni sopra i medesimi e sopra la Bolla* Apostolicum. In Venezia 1766, presso Vincenzo Radici, con licenza dei superiori.

IX. Lettere scritte dal signor marchese Carlo Mosca Barzi ad un suo amico di Roveredo in proposito della limosina. Roveredo 1765.

Hae epistolae ab obsequente auctore solemniter retractatae ac reprobatae fuerunt die XV aprilis a. 1766.

X. Des Hochwurssisten Hocheybohrner etc. hoc est: *Reverendissimi ac Celsissimi D. D. Josephi Mariae exempti Episcopi et sacri Romani Imperii Principis Pataviensis, Comitis de Thun etc. emendata et notis illstrata versio Novi Testamenti. Pars prima complectens quatuor evangelia et actus Apostolorum.* Pataviae typis Fridrici Mangold typographi aulici 1762.

D. Romae die XXI iunii a. 1766.

CXXVIII.

Quorumdam librorum prohibitio.

CLEMENS XIII. Decretum.

Incipit *Cum ad sacram, etc.* (1).

Sequentes libri diligenter examinati perpensique solitis sub formulis damnantur de consilio sac. congregationis a Clemente:

(1) *In folio separato.*

I. Christophori Sandi nucleus historiae ecclesiasticae exhibitus in historia Arianorum tribus libris comprehensa: quibus praefixus est tractatus de veteribus scriptoribus ecclesiasticis ... Coloniae apud Ioannem Nicolai 1676.

II. . . . Appendix adendorum, confirmandorum et emendandorum cum tribus epistolis. ibid. 1678.

III. La religion des dames. Discours où l'on montre, que la religion est et doit être à la portée des plus simples des femmes, et des gens sans lettres. Traduit de l'Anglais; Amsterdam 1698.

IV. Discours un the miracles, etc. hoc est: Thomae Woolston *sermones de miraculis Servatoris nostri comparate ad quaestionem, quae nunc agitatur incredulos inter et apostatas.* Londini an. 1727 et seq.

V. . . . . Eiusdem*: Defense af the discours etc.* hoc est: *Apologia sermonum de miraculis Servatoris adversus Episcopos s. Davidis et Londinensem, caeterosque adversarios. Pars prima,* Londini 1729. *Pars II*, ibidem 1730.

VI. Traité de la morale des Pères de l'Eglise, où en défendant un article de la préface sur Puffendorf contre l'apologie de la morale des Pères du P. Ceillier religieux Benedictins de la congrégation de s. Vanne et de s. Hydulphe, on fait diverses réflexions sur plusieurs matéries importantes. Par Jean Barbeyrac. A Amsterdam chez Pierre de coup. 1728.

VII. Lettres écrites de la Montagne. Par J. J. Rousseau . . . vitam impendere vero. A Amsterdam chez Marc. Michel. Puy 1764.

VIII. Liberculus Germanica lingua impressus titulum habens, qui sic latine redditur: *Reddite quae sunt Caesaris Caesari; et quae Papae sunt Papae.*

IX. Recherches sur l'origine du dispotisme. Seconde partie tria continens opuscula, quae pariter damnantur et inscripta sunt:

. . . . Dissertations sur Élie et Énoch;

. . . . Sur Ésope fabuliste;

. . . . Traité mathématique sur le bonheur.

X. D'una riforma d'Italia, ossia dei mezzi di riformare i più cattivi costumi e le più perniciose leggi d'Italia. In Villa Franca. 1767.

Die XXXI iulii an. 1767.

CXXIX.

Aliorum librorum lectionis, retentionis impressionisque inhibitio.

CLEMENS XIII. Decretum.

Incipit *Sacra congregatio*, *etc.* (1).

Et sequentes libros solitis modis legendos, retinendos, imprimendos vetat Clemens.

I. Ad 3 *septembris* 1766. *Exercitium iuridicum* ... *thesibus ex iure varie propositis, una cum apologia historico-canonica pro sancta provincia Romana Ioannem XII Papam ut apostatam an.* 963 *reprobante et coram Ottone M. Imperatore, Henrico I* Trevirensi, aliisque Germaniae et Italiae Archi et Episcopi, Leonem VIII canonice eligente. Quas et quam praeside me Georgio Christophoro Neller ... Ss. Canonum professore publico ... defendet Nobilis ... D. Balthassar Steitz ... Augustae Trevirorum typis Eschermannianis.

II. Annotationes medico-morales quoad quaestiones ponderosiores, multasque difficultates matrimoniales cum confessariis tum casistis quotidie vix non pro resolutione occurrentes in reali et anatomica partium dilucidatione ... *sensu recentioristico fundatae. Pro quarum soliditate expositiones denique de Incarnatione Domini nostri Iesu Christi et conceptionis illibatae Deiparae* ... *Auctore Nic. Ambrosio Krapf phil. et medico, etc.* Augustae Vindelicorum ... 1765, *donec corrigatur.*

III. Belisaire. Par Marmontel de l'Académie Française. A Paris chez Merlin libraire, 1761. *Donec expurgetur.*

IV. Lettera al maresciallo Keit, sopra il vano timor della morte e lo spavento d'un'altra vita, del filosofo di Sans-Souci. In Londra per C. G. Seyffert in Pall. Mall. 1764 ex gallica editione, quae est ex adverso.

V. Piano Ecclesiatico per un regolamento da tentare nelle circostanze dei tempi presenti, con aggiunta di un discorso sopra l'autorità della Chiesa. In Venezia 1767 appresso Bortolo Baronchelli, con licenza dei superiori.

VI. Mémoire à présenter à Messieurs les commissaires proposée par le roy pour procéder à la réformation des Ordres religieux, 1767.

(1) *In folio separato.*

VII. Mélange de littérature, d'histoire e de philosophie. Nouvelle édition, etc. A Amsterdam chez Zacharie Chatelain et fils. 1767.

VIII. Inlkalt Reubens, id est raccolta di Rabbin Reuben Oschi.

IX. De l'autorité du clergé et du pouvoir du magistrat politique sur l'exercice des functions du ministère ecclésiastique. Prémiere et seconde partie. A Amsterdam chez Arkstein et Merkus 1766.

X. Instructions sur les vérités de la grace et de la prédestination en faveur des simples fidèles. Nouvelle édition revue et corrigée . . . A Avignon aux dépens de la société 1752.

. . . . Idemque Italice hoc titulo: *La verità della grazia e della predestinazione per ammaestramento dei semplici e buoni cattolici.* Venezia presso Nicolò Pezzana, 1766.

XI. Theses ex utroque iure depromptae, quas illustrissimis viris . . . *Nuncupat Vincentius Guitti. Docente Alphonso* (sic) *Mazzolani V. J. D. et antecessore* Ferrariae Iosepho Rinaldo typographo, superioribus annuentibus. Quatuor omnes et singulae *ex iure canonico* et quarta *ex iure civili.*

XII. Confermazione del ragionamento interno ai beni temporali delle Chiese, ecc. indirizzata agli autori dello scritto, che ha per titolo Mani Morte, ossia lettera all'autore del Ragionamento, ecc. divisa in cinque lettere. Venezia 1767 presso Antonio Zatta, con licenza dei superiori e privilegio.

XIII. Histoire philosophique del l'homme. A Londres chez Nourse 1766.

Die IX mar. a. 1768.

CXXX.

Proscriptio cuiusdam libri.

CLEMENS XIII. Decretum.

Incipit *Sacra congregatio, etc.* (1).

Occasione dissidiorum inter aulam Romanam et ministerium Parmense, liber prodiit sine nomine auctoris, sine nota anni lociqno impressionis: inscribitur: *Le Royaume mis en interdit. Tragédie.*

(1) *In folio separato.*

Sacra congregatio censuit eum damnatione dignum, utpote qui continet falsa, iniuriosa S. Sedi, laesiva iurisdictionis ecclesiasticae, seditiosa, erronea et haeresi proxima; dignum censuit, qui a publico ministro publice combureretur, quod factum fuit.

Vetantur ergo omnes illum legere, retinere, etc. sub solitis poenis.

Clemens decretum confirmat.

Die XXI sept. a. D. 1768.

CXXXI.

Episcopi gregem suum a noxiorum librorum lectione avertant.

CLEMENS XIII Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis et Episcopis universis.

Incipit *Christianae Reip. etc.* (1).

E caussis, cur nostra aetate adeo sint mores perversi monstrosaeque opiniones, praecipua una haec est, inquit Pontifex, ingens librorum noxiorum multitudo, qui in singulos dies in lucem emittuntur. Hi enim lecti vel ab indoctis, vel a malis hominibus cum illis contagionem communicant, his augent.

Hi porro libri conscripti sunt ab auctoribus, qui Deum ipsum negant, partim putant animam pure, puteque materialem: alii probare nituntur omnia casu regi; alii omnia inevitabili necessitate fieri; hi fundamenta ipsa religionis impugnant, illi hoc, illudve dogma. Et quamvis hos errores saepe et validissime Christianae religionis apologistae refutarint, nihilo tamen minus quotidie renovantur et disseminantur in vulgus maxime cum Christiani populi detrimento.

Haec res cum maxime sollicitum Clementem habeat, hortatur Pontifex omnes Ecclesiae Praelatos ut quam maxima contentione possunt in id incumbant, ut ab horum pestiferorum librorum lectione populum suum avertant, pollicetur que se omnia praestiturum, ut huic ingruenti malo resistat.

D. Romae apud S. M. Mai. die XXV nov. P. a. IX. a. D. 1766.

(1) *In folio separato.*

CXXXII.

Nullus liber edatur in Urbe, quin examinetur a Vicario Papae et a magistro sacri palatii.

LEO X ad p. r. m. sacro approbante Concilio.

Incipit *Inter sollicitudines, etc.* (1).

Cum multi ederentur libri, in quibus erant multa contra catholicam fidem, statuit Leo simul cum Concilio, ut nullus liber in Urbe imprimatur, qui a vicario Pontificis et a magistro sacri palatii prius examinetur et approbetur.

In aliis urbibus libri typis non edantur, nisi habeatur licentia ab Episcopo, ab inquisitore, vel ab aliis ab his delegatis.

Contra facientes puniantur per combustionem librorum et per solutionem centum ducatorum fabricae s. Petri applicandorum praeter poenam excommunicationis. N. O. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae in publica sessione in sacrosancta Lateranensi Basilica solemniter habita IV non. mai. P. a. III. a. D. 1515.

CXXXIII.

Confirmatio.

URBANUS VIII.

Incipit *Sanctissimus D. N.* (2).

Multi imprimi facientes in Statu ecclesiastico libros sine licentia magistri sacri palatii, vel Ordinariorum, vel inquisitorum prohibentur id ulterius facere.

Et in eos non parentes poenas a Leones statutas expediri vult. N. O.
D. Romae indict. VIII die III oct. P. a. III. a. D. 1625.

(1) B. M. t. 1. p. 551. B. R. t. 3. p. 3. p. 490. C. C.
(2) B. M. t. 4. p. 103. B. R. t. 5. p. 5. p. 359. C. C.

CXXXIV.

Revocatio licentiarum tenendi libros prohibitos.

PIUS IV ad p. r. m.

Incipit *Cum pro munere, etc.* (1).

Cum intellexisset Pius, quosdam, quibus data fuerat licentia tenendi libros prohibitos, in pravos sensus declinare, revocat licentias datas cuilibet tenendi et legendi eosdem, omnibus tam clericis, quam laicis, cuiuscumque gradus et praeminentiae, exceptis inqnisitoribus et commissariis haereticae pravitatis.

Tenentes et legentes incurrant poenas a canonibus sancitas.

Monet bibliopolas et mercatores hos libros tenentes, ut eos ad officium inquisitionis deferant. N. O.

D. Romae apud s. Petrum die XXIV mar. P. a. V. a. D. 1564.

CXXXV.

Idem iubet Gregorius.

GREGORIUS XV ad f. r. m.

Incipit *Apostolatus officium, etc.* (2).

Inhibet idem Gregorius, quod Pius IV circa licentias tenendi et legendi libros in indice notatos.

Et qui, hac constitutione edita, quamvis licentiam eos tenendi et legendi habuerit, adhuc retinebit et leget, vult et declarat eum incurrere in poenas enunciatas in Pontificiis constitutionibus;

Iubetque, omnes hos libros infra duos menses deferri ad inquisitores locorum. N. O.

D. Romae apud s. Petrum II cal. ian. P. a. II. a. D. 1622.

(1) B. M. t. 2. p. 115. B. R. t. 4. p. 2. p. 173. C. C.
(2) B. M. t. 3. p. 493. B. R. t. 5. p. 86. C. C.

CXXXVI.

Idem praecipitur ab Urbano.

URBANUS VIII ad p. r. m.

Incipit *Apostolatus officium, etc.* (1).

Omnes libros continentes haeresim, vel *falsi dogmatis suspicionem, etiam astrologiae iudiciariae, seu per constitutiones apostolicas, vel alias quomodolibet prohibitos* tenendi, legendi quibuscumque potestatem abrogat Urbanus.

Concessiones datas cassat,

Et sub poena excommunicationis iubet, illos vel comburi, vel deferri ad inquisitores infra duos menses citra montes, infra quatuor ultra montes a publicatione huius. N. O.

D. Romae apud s. Petrum die X apr. P. a. VIII. a. D. 1630.

CXXXVII.

Clerici et laici in Hispaniis ne legant haereticorum libros.

PAULUS V ad p. r. m.

Incipit *Cum sicut, etc.* (2).

Quibuscumque in quacumque dignitate constitutis ecclesiasticis et laicis in regnis Hispaniarum facultates tenendi, legendique libros haereticorum prohibitos datas a Romanis Pontificibus et Inquisitione generali Hispaniae Paulus revocat.

Retinentes et legentes absolvi non possunt (excepto mortis articulo), nisi a Romano Pontifice et ab inquisitore generali Hispaniarum, qui etiam executor deputatur. N. O.

D. Romae apud s. Petrum die XXVI ian. P. a. VII. a. D. 1612.

(1) B. M. t. 4. p. 186. B. R. t. 6. p. 1. p. 273. C. C.
(2) B. R. t. 5. p. 4. p. 16. C. C.

CXXXVIII.

Neque Cardinales supremi inquisitores possint dare licentiam legendi opera Caroli Molinaei.

CLEMENS VIII ad p. r. m.

Incipit *Apostolicae Sedis*, *etc.* (1).

Opera perniciosa Caroli Molinaei legendi quidam licentias carpserant. Sciens Clemens, quam damnabilia haec opera sint, vetat inquisitoribus, etiam Cardinalibus, dare licentias ea legendi, atque vult neminem dare posse licentiam hanc, nisi solum Pontificem R.

Iis, qui licentiam impetrarunt, eam revocat et nisi a lectione desistant et ad inquisitores eos libros deferant, denunciat incursionem in poenas ecclesiasticas.

Permittit tamen, legi eius annotationes, seu postillas in ius canonicum, emendatas tamen iuxta censuram editam de mandato ipsius Clementis et in typographia Camerae Apostolicae impressam an. 1602, chartis, seu foliis 24 constantem, cuius initium: *censura in omnes additiones, seu adnotationes marginales damnatae memoriae impii Caroli Molinaei ad textum iuris canonici.* N. O. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud s. Marcum XXI aug. P. a. XI. a. D. 1602.

CXXXIX.

Approbatio indicis librorum prohibitorum.

PIUS IV ad p. r. m.

Incipit *Dominici gregis*, *etc.* (2).

Reputantes Patres Concilii Tridentini, se operam perdere in extirpatione haeresum, nisi libros indigitarent, qui virus hoc continentes possunt incautos inficere, quosdam doctos Praelatos deputarunt, qui indicem horum librorum efformarent.

Efformarunt illum et ediderunt.

(1) B. M. t. 3. p. 153. B. R. t. 5. p. 2. p. 466. C. C.
(2) B. M. t. 2. p. 116. B. R. t. 4. p. 2. p. 174. C. C.

Pius eum confirmat, vetatque libros in hoc indice notatos legi, retineri, etc. sub poenis, etc. N. O.

D. Romae apud s. Petrum die XXIV mar. P. a. V. a. D. 1564.

CXL.

Nova additio librorum indicis.

CLEMENS VIII ad p. r. m.

Incipit *Gregem Dominicum, etc.* (1).

Indici librorum prohibitorum a Pio IV edito nonnullae accessiones factae fuerant sub Sixto V.

Qui etiam regulas quasdam ediderat circa modum libros examinandi.

Haec omnia confirmat Clemens iubens, si qua dubia oriantur, deferri ad congregationem indicis. N. O.

D. Tusculi die XVII mart. P. a. II. a. D. 1593.

Praefationem ad indicem fecit F. Franciscus Foresius Ord. FF. Praedicatorum deputationis Praelatorum ad eum congerendum secretarius.

Regulae praefixae indici sunt decem, quarum epitomen lector sic habeat:

I. Omnes libri damnati ante ann. MDXV censeantur positi in hoc indice.

II. Omnes haeresiarcharum libri, qui ex professo religionem impugnant, damnantur; alii eorum libri expurgati legi possunt.

III. Versiones sanctorum Patrum factae recte ab haereticis permittuntur; versiones Veteris et Novi Testamenti ab iis factae legendae non permittuntur, nisi doctis et piis viris.

IV. Sacra Biblia ne vertatur in vernaculum sermonem, eius lectio non concedatur nisi piis et sapientibus.

V. Libri exarati ab haereticis, in quibus congesta sunt aliorum dicta, ut sunt lexica, concordantiae, grammaticae, etc. expurgati poterunt legi.

VI. Libri vernaculo idiomate exarati de controversiis inter catholicos et heterodoxos non facile permittantur legendi.

VII. Librorum contra bonos mores docentium turpia ne tam facile permittatur lectio.

(1) B. R. t. 5. p. 2. p. 81. C. C.

VIII. Libri, quorum scopus bonus est, sed quaedam minus sana continent, ne legantur nisi expurgati.

IX. Libri de astrologia iudiciaria, negromantia, etc. damnantur.

X. In edendis libris servetur quod iussit Concilium Lateranense v. 5. *inter sollicitudines*. v. Conf. 1.

CXLI.

Alia additio.

ALEXANDER VII ad p. r. m.

Incipit *Speculatores, etc.* (1).

Quotidie prodeuntibus in lucem novis libris, in quibus haeretica lues inerat, vult Alexander, fieri novum indicem librorum prohibitorum, cui addatur index a Concilio Tridentino compilatus et alius editus iussu Clementis VIII.

Neque vult fieri trinam divisionem, vel disponi iuxta materias, sed ordine alphabetico.

Apponentur omnia decreta Pontificia super indicibus librorum prohibitorum publicata ad maiorem confirmationem.

Mandat, ut hunc indicem omnes Ecclesiae Praelati prae manibus habeant, ut sciant quorum librorum debeant, vel non, dare impressionis licentiam.

D. Romae apud S. M. Mai. die V mar. P. a. IX. a. D. 1664.

CXLII.

Libri linguarum Arabicae, Turcicae, Chaldaicae,
et etiam sacrae theologiae a Cardinalibus
indici deputatis examinentur ante impressionem.

SIXTUS V ad p. r. m.

Incipit *Alias fel. rec. etc.* (2).

Grammaticas et dictionaria pro collegiis a se erectis imprimi fecerat Gregorius XIII idque negotii dederat Ferdinando Cardinali de Medicis.

(1) B. M. t. 6. p. 203. B. R. t. 6. p. 5. p. 354. C. C.

(2) B. R. t. 4. p. 4. p. 344. C. C.

Res a Cardinali eo deducta fuit, *ut non solum praedicti libri, sed etiam sacri linguarum Orientalium de facili imprimi possent.*

Hos tamen imprimi non vult Sixtus, nisi prius a Cardinalibus deputatis super congregationo indicis examinentur *(vide de hac congregatione inter congregationes cardinalitias).*

Examinati et expnrgati libere imprimantur, impressique ubiqne vendi possint. N. O.

D. Romae apnd s. Marcum die V aug. P. a. III. a. D. 1587.

CXLIII.

Sacra Biblia imprimatur iuxta exemplar Vaticanae impressionis.

CLEMENS VIII ad p. r. m.

Incipit *Cum Sacrorum, etc.* (1).

Correctus expurgatusque sacrorum librorum textus proditnrus erat e typis Vaticanis.

Iubet Clemens, ne per decenninm vel ultra, vel citra montes imprimatur.

Et ut, elapso decennio, textus nullo modo alteretur in aliis impressionibus.

Bibliopolae, vel imprimentes Bibliam intra hoc decennium, vel post decennium non servantes eumdem textnm sint excommunicati.

Ordinarii omnes deputantnr huius constitutionis executores. N. O.

D. Romae apud s. Petrum die IX nov. P. a. I. a. D. 1592.

CXLIV.

Modus examinandi libros.

BENEDICTUS XIV ad p. r. m.

Incipit *Sollicitae ac providae, etc.* (2).

Modum praescribit hac constitutione Benedictus, quo a congregationibus sacrae supremae Inquisitionis et Indicis debeant examinari libri et de illis iudicium ferri.

(1) B. R. t. 5. p. 1. p. 406. C. C.

(2) B. M. t. 19. p. 59.

Hanc autem constitutionem ideo Benedictus edit, ut multi catholici auctores desistant a querelis, si sui libri aliquando proscribuntur.

Iam congregatio Inquisitionis constat pluribus Cardinalibus insignibus, aliis theologiae, aliis iuris canonici scientia; adiungitur Praesul unus, qui dicitur Assessor, unus ex Dominicana familia theologiae magister, commissarius unus et plures docti viri ex clero saeculari et regulari, qui dicuntur Qualificatores.

Detur liber a congregatione uni ex qualificatoribus, qui censuras in eum faciat, notatis paginis libri; liber mittatur cum censuris ad singulos qualificatores, qui in prima congregatione habenda dicant sententiam suam de libro et censura; liber et censura deferantur ad Cardinales, qui et ipsi sententiam ferent; assessor deferet omnia ad Pontificem.

Si liber sit conscriptus a catholico auctore, duo qualificatores debeant in eum censuram edere; si omnes hi putant eum damnandum, res deferatur ad Cardinales; si secundus disseutiat a primo, eligatur tertius, et horum opiniones communicentur cum Cardinalibus, omniaque nota fiant Pontifici.

Congregatio Iudicis constat pluribus doctis Cardinalibus; adest unus assistens, qui est Magister sacri palatii; secretarius est frater unus ex Dominicano Ordine, adsuntque consultores ex utroque clero electi.

Liber deferetur examinandus ad secretarium et ad duos consultores et ad unum relatorem, qui erit ad placitum congregationis; horum censurae legentur in plena congregatione, quae *parva* dicebatur, Benedictus vult eam dici *praeparatoriam;* quid in hac actum sit, deferetur ad congregationem generalem, et actum in hac referetur ad Pontificem.

Si auctor sit catholicus integrae famae et aliquid in libro offendet pias aures, non detur permissio eum edendi, nisi cum clausula, *donec corrigatur*, seu *donec expurgetur*, sin autem sit editus, apponatur in indice cum clausula.

Caeterum quia auctores quidam catholici sunt questi de proscriptione suorum operum, quod non fuerint antea interrogati, respondet

Benedictus, iniuria hos queri; non enim agitur de eorum personis damnandis, quae damnari non possunt, nisi interrogentur, sed de libris, qui per se satis superque auctorum sensus declarant et patefaciunt.

Haec omnia supervacua tunc sunt, cum agitur de haereticis scriptis et contraria dogmata fidei continentibus.

Iubet etiam observari regulas decem a Tridentinis Patribus traditas in examine librorom et instructionem Clementis VIII adiectam iisdem regulis *de correctione librorum* §. V.

Relatores autem librorum monet Benedictus, ut haec attente observent:

I. Ne curent traditi sibi libri omnino proscriptionem fieri, sed quae vere sentiunt exponant.

II. Ne ferant sententiam de re, de qua non habeant perfectam, conspicuamque cognitionem.

III. Neque eum librum damnent, quod suae opinioni et scholae adversetur, sed tantum respiciant, an sit contrarius catholico dogmati.

IV. Legant librum totum; male enim verus auctoris sensus elicitur, nisi totns perlustretur.

V. Si quaedam sint ambigua, cum auctor sit catholicus, aequitas postulat, ut benigne ea interpretentur.

Vult Pontifex vel emendari, vel inter prohibitos eos libros poni, in qoibus auctores aliena perversa dogmata afferunt, neque ea confutant. Legentes enim ea, nec scientes quomodo sint confutanda, facile in errores induci possunt.

Libri etiam, qui contra aliorum opiniones conscripti anctores mordacius vellicant et carpunt probris et iniuriis onerant, corrigantur.

Exemplum demum proponit iure ac merito nunquam satis digne laudandum, d. Thomam Aquinatem, qui modeste aliorum erroneas opiniones detegit non prurigine litigandi, sed veritatem inquirendi amore dnctus et laudat laudanda, et quae minus recta sunt, maxima erga auctores reverentia, coarguit.

Haec omnia sollicite observari praecipit Benedictus. N.O. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud S. M. Mai. VII id. iul. P. a. XIII. a. D. 1753.

Spondanus ad annum 1557. §. 5. *Incorruptam, quantum in se*
» *erat, religionem Christianam conservare volens* (Paulus IV) *plurimaque*
» *mala ex impiorum librorum provenire cognoscens, librorum indicem per*
» *inquisitores fieri curavit, quem deinde anno 1559 impressum publicavit,*
» *libros eo contentos gravi anathemate vel legi, vel haberi prohibens, pri-*
» *musque existens, qui universalem omnium perniciosorum cuiuscumque*
» *argumenti, etiamque profani, a quibuscumque etiamque religione ca-*
» *tholicis scriptorum vel etiam a suspectis typographis de quacumque*
» *arte editorum indicem conexere studuerit: cum ad eum usque diem*
» *librorum prohibitiones tam a Pontificibus, quam imperatoribus factae,*
» *nunquam excessissent terminos librorum haereticorum; aliive pestilentes*
» *legi prohibiti fuissent, nisi quorum auctores, etiam damnati extitissent.....*
» *illud in hoc Pauli indice rigidius visum, quod poena legentibus libros*
» *eo catalogo comprehensos ac prohibitos denunciata erat excommunicatio*
» *latae sententiae Pontifici reservata, privatio atque incapacitas quorum-*
» *cumque munerum ac sacerdotiorum, perpetua infamia cum aliis poenis*
» *arbitrariis. Quo factum est, ut Pius IV Pauli successor rigorem hunc*
» *temperans, totum illud librorum negotium ad Concilium retulerit. In-*
» *terim tamen Petrus Paulus Vergerius infamis ille apostata adversus*
» *hunc Pauli indicem, aliosque librorum haereticorum iam antea a*
» *theologis Parisiensibus Lovaniensibus et Hispanicis promulgatos ita*
» *latine, atque italice debacchatus est, ut quamvis nusquam non insaniat*
» *potius quam scribat, in libellis tamen contra huiusmodi catalogos*
» *furori suo omnes habenas laxaverit. Cuius, ac similium amentiam*
» *apposite tetigit contuditque Iacobus Gretserus in suis commentariis.* De
» librorum haereticorum, noxiorumque prohibitione. »

« Constantinus Magnus, perquiri et comburi fecit Porphyrii libros:
» Euseb. Vit. Const. Lib. 3. c. 1. »

» Die trigesima decembris a. 1768 Mediolani Augustae M. Theresiae
» publicatum fuit edictum, quo ad supremam potestatem legislativam
» censuram librorum asserit, quae antea a Senatu exercebatur. Ergo
» quosdam doctos, piosque viros deputat, qui libros examinent, evi-
» deantque, antequam typis dentur.

» Libros contra Christianam religionem neque scribi, neque imprimi » neque alibi impressos vendi vult, neque opera contra potestatem » legislativam, aut perniciosa statui vult evulgari.

» Et Ferdinandus IV utriusque Siciliae rex, ut religionem catho- » licam defendat, quosdam libercutos perniciosas sententias continentes » proscripsit publico edicto die 2 iunii an. 1769, vetuit eos teneri, » vendi, poenis denunciatis retinentibus et vendentibus, iussis utrisque » eos ad secretarium Regiae Camerae s. Clarae deferre intra quatuor » dierum spatium in urbe, et extra illam ad fiscales regiarum Audien- » tiarum, aut ad regios Gubernatores.

» Eos damnat quocumque idiomate sint impressi. Hi autem libri » sunt infrascripti :

I. La philosophie de l'histoire.

II. Dictionnaire théologique (tribuitur Voltaero).

III. La Chandelle d'Arras.

IV. Droit de l'homme sur l'homme.

V. Christianisme devoilé.

VI. Analyse de la religion Chrétienne par M. Marsais.

VII. Examen important par Mylord Bolingroke.

VIII. Cathéchisme de l'honnête homme.

IX. Dialogue de qui doute et de qui adore.

X. Derniers mots d'Epictète à son fils.

XI. Idée de la Mothe le Vayer.

XII. Mémoire sur les libertés de l'Église Gallicane, « qui quidem » liber totus in eo est, ut Pontificatum eiusque primatum evertat. »

CXLV.

De censura librorum.

CLEMENS XIII Archiepiscopo Mediolanensi.

Incipit *Ingruentibus in dies, etc.* (1).

Quum rumor percrebuisset Mediolani instituendam esse typographiam, ex qua libri evulgandi non amplius ab Ecclesiasticis censoribus, sed

(1) Ib. t. 3. p. 1071.

ab iis, quos laica potestas praefecerit, forent examinandi, s. Pontifex impium conatum denuntiat, tamquam Ecclesiae iuribus adversum, Archiepiscopumque Mediolanensem hortatur, ut veterem hac in re Ecclesiae disciplinam custodiat et vindicet.

D. Romae apud S. M. Mai. die 7 mai 1776.

CXLVI.

De noxiorum librorum lectione cavenda.

CLEMENS XIII Episcopo Herbipolensi.

Incipit *Quantae tibi, etc.* (1).

Denuntiat s. Pontifex nuper prodiisse apud Germanos librum, cui titulus: *Iustini Febronii I. C. de statu Ecclesiae et legitima potestate Romani Pontificis*, iu quo auctor snmmnm Pontificem ab eo potestatis et dignitatis fastigio, iu quo a Christo ipso, tamquam legitimus Petri successor locatns est, deiicere conatur, atque ut facilius incautos seducat, se eo consilio scripsisse dicit, nt heterodoxi, qui Pontificiae auctoritatis amplitudini tantopere sunt infensi, placati tandem rursus cum Romana Ecclesia, a qua, ea maxime de cansa descivere coniungautur.

Idcirco Episcopnm Herbipolensem hortatnr, ne sinat in animarum perniciem hnnc librum in sua dioecesi irrepere.

D. Romae apud S. M. Mai. die 14 martii 1764.

CXLVII.

De eodem argumento.

CLEMENS XIII Archiepiscopo Moguntino.

Incipit *Prodiit haud ita, etc.* (2).

Librum falso nomine Iustini Febronii evulgatum, in quo auctor Romanam cathedram, cui tamquam fundamento nititur catholica Ecclesia, se iam proscripsisse denuntiat s. Pontifex;

(1) Ib. t. 3. p. 860.
(2) Ib. t. 3. p. 861.

Idcirco Archiepiscopum Moguntinum enixe hortatur ut librum hunc a sua dioecesi omni studio eliminare conetur. Etenim, experientia teste, semper deciderunt illae Ecclesiae, quarum Episcopi sibi absentati sunt, depressa Romani Pontificis auctoritate, plus sibi accessurum esse potentiae et dignitatis.

D. Romae apud S. M. Mai. die 24 mart. 1764.

CXLVIII.

Proscriptio libri, cui titulus: Universalis professio fidei.

PIUS VI. Decretum.

Incipit *Debito Apostolatus, etc.* (1).

Sub solitis poenis in legentes et retinentes damnat s. Pontifex eum libellum ignoti auctoris, veritatem esse subiectivam autumantis, et indifferentismum adserentis.

D. Romae apud S. M. Mai. 17 novemb. 1784.

CXLIX.

Proscriptio libri, cui titulus: Quid continent, etc.

PIUS VI ad futuram rei memoriam.

Incipit *Mediator Dei et hominum, etc.* (2).

Auctor libri Eybelius confessionem auricolarem adgreditur et demonstrare nititur Ss. Patres, qui de sacramentali confessione scripserunt, non de ea confessione, qua Ecclesia nunc utitur, sed de remissione iniuriae, quae fidelium communitati a peccantibus irrogabatur locutos fuisse.

Sub solitis poenis in legentes et retinentes liber damnatur, utpote continens doctrinas falsas, et a concilio Tridentino uti haereticas damnatas.

D. Romae apud S. M. Mai. 21 novemb. 1784.

(1) Ib. t. 6. p. 1411.
(2) Ib. t. 6. p. 1419

CXLX.

Proscriptio libri, cui titulus: Quid est Papa?

PIUS VI ad fut. rei mem.

Incipit *Super soliditate, etc.* (1).

Occasione itineris a s. Pontifice religionis causa Vindebonae suscepti auctor libri Eybelius, ut decus Pontificiae dignitatis in contemptum adduceret, scribere ausus fuerat, quemlibet Episcopum non minori, quam Papa auctoritate ad Ecclesiam gubernandam a Christo Iesu donatum fuisse, ac proinde primatum, quo s. Pontifex nunc in Ecclesia potitur, non esse nisi indebitam et iniuriosam violationem iurium Episcoporum.

Patrum testimonio et conciliorum auctoritate s. Pontifex propositiones in libello contentas refellit, et sub solitis poenis in legentes, et retinentes damnat.

D. Romae apud s. Petrum 28 novemb. 1786.

CXLXI.

Propositiones damnatae a Ss. Pio VI exceptae ex libro:
Atti e decreti del Concilio diocesano di Pistoia nell'anno 1786.

PIUS VI universis Christi-fidelibus.

Incipit *Auctorem fidei, etc.* (2).

Quum Scipio de Riccis Episcopus Pistoriensis et Pratensis acta et decreta Synodi dioecesanae quam pluribus erroribus redundantia typis pervulgasset, s. Pontifex excerptas ex eodem libro quae sequuntur propositiones proscripsit et damnavit.

De obscuratione veritatum in Ecclesia.

1. Propositio, quae asserit *postremi hisce saeculis sparsam esse generalem obscurationem super veritates gravioris momenti spectantes ad religionem et quae sunt basis fidei et moralis doctrinae Iesu Christi* – *haeretica.*

(1) Ib. t. 6, p. 1746.
(2) Ib. t. 6. p. 271

De potestate communitati Ecclesiae attributa, ut per hanc pastoribus communicetur.

2. Propositio, quae statuit *potestatem a Deo datam Ecclesiae, ut communicaretur pastoribus, qui sunt eius ministri pro salute animarum*, sic intellecta, ut a communitate fidelium in pastores derivetur Ecclesiastici ministerii ac regiminis potestas – *haeretica.*

De capitis ministerialis denominatione Romani Pontifici attributa.

3. Insuper, quae statuit *Romanum Pontificem esse caput ministeriale*, sic explicata, ut R. Pontifex non a Christo in persona b. Petri, sed ab Ecclesia potestatem ministerii accipiat, qua velut Petri successor, verus Christi Vicarius, ac totius Ecclesiae caput pollet in universa Ecclesia – *haeretica.*

De potestate Ecclesiae quoad constituendam et sanciendam exteriorem disciplinam.

4. Propositio affirmans *abusum fore auctoritatis Ecclesiae transferendo illam ultra limites doctrinae, ac morum et eam extendendo ad res exteriores et per vim exigendo id, quod pendet a persuasione et corde,* « tum etiam » *multo minus ad eam pertinere, exigere per vim exteriorem subiectionem suis decretis*,

Quatenus indeterminatis illis verbis *extendendo ad res exteriores* notat velut abusum auctoritatis Ecclesiae usum eius potestatis acceptae a Deo, qua usi sunt et ipsimet Apostoli in disciplina exteriore constituenda et sancienda – *haeretica.*

5. Qua parte insinuat, Ecclesiam non habere auctoritatem subiectionis suis decretis exigendae aliter, quam per media, quae pendent a persuasione;

Quatenus intendat Ecclesiam *non habere collatam sibi a Deo potestatem non solum dirigendi per consilia et suasiones, sed etiam iubendi per leges, ac devios contumacesque exteriori iudicio ac salubribus poenis coërcendi, atque cogendi – inducens in systema alias damnatum ut haereticum.*

Iura Episcopis praeter fas attributa.

6. Doctrina Synodi, qua profitetur *persuasum sibi esse Episcopum accepisse a Christo omnia iura necessaria pro bono regimine suae dioecesis,*

Perinde ac si ad bonum regimen cuiusque dioecesis necessariae non sint superiores ordinationes spectantes sive ad fidem et mores, sive ad generalem disciplinam, quarum ius est penes summos Pontifices, et concilia generalia pro universa Ecclesia – *schismatica, ad minus erronea.*

7. Item in eo, quod hortatur Episcopum *ad prosequendam naviter perfectiorem ecclesiasticae disciplinae constitutionem,* « idque » *contra omnes contrarias consuetudines, exemptiones, reservationes, quae adversantur bono ordini dioecesis, maiori gloriae Dei, et maiori aedificationi fidelium;*

Per id quod supponit Episcopo fas esse proprio suo iudicio et arbitratu statuere et decernere contra consuetudines, exemptiones, reservationes sive quae in universa Ecclesia, sive etiam in unaquaque provincia locum habent, sine venia et interventu superioris hierarcicae potestatis, a qua inductae sunt, aut probatae et vim legis obtinent – *inducens in schisma et subversionem hierarcici regiminis, erronea.*

8. Item et quod sibi persuasum esse ait, *iura Episcopi a I. C. accepta pro gubernanda Ecclesia nec alterari, nec impediri posse*; *et ubi contigerit horum iurium exercitium quavis de causa fuisse interruptum, posse semper Episcopum, ac debere in originaria sua iura regredi, quotiescumque id exigit maius bonum suae ecclesiae;*

In eo quod innuit iurium episcopalium exercitium nulla superiori potestate praepediri, aut coërceri posse, quandocumque Episcopus proprio iudicio censuerit minus id expediri maiori bono suae Ecclesiae – *inducens in schisma et subversionem hierarcici regiminis, erronea.*

Ius perperam tributum inferioris ordinis sacerdotibus in decretis fidei et disciplinae.

9. Doctrina, quae statuit *reformationem abusuum circa ecclesiasticam disciplinam in synodis dioecesanis ab Episcopo et parochis aequaliter pendere ac stabiliri debere: ac sine libertate decisionis indebitam fore su-*

bicetionem suggestionibus et iussionibus Episcoporum – falsa temeraria, episcopalis auctoritatis laesiva, regiminis hierareici subversiva, favens haeresi Arianae a Calvino innovatae.

10. Item doctrina, qua parochi, aliive sacerdotes in Synodo congregati pronuntiantur una cum Episcopo iudices fidei, et simul innuitur iudicium in causis fidei ipsis competere iure proprio et quidem etiam per ordinationem accepto – *falsa, temeraria, ordinis hierareici subversiva, detrahens firmitati definitionum, iudiciorumve dogmaticorum Ecclesiae, ad minus erronea.*

11. Sententia enuntians veteri maiorum instituto ab apostolicis usque temporibus ducto, per meliora Ecclesiae saecula servato, receptum fuisse, *ut decreta, aut definitiones, aut sententiae etiam maiorum sedium non acceptarentur, nisi recognitae fuissent et approbatae a Synodo dioecesana – falsa, temeraria, derogans pro sua generalitate obedientiae debitae constitutionibus apostolicis, tum et sententiis a hierarchica superiore legitima potestate manantibus, schisma fovens et haeresim.*

Calumniae adversus aliquas decisiones in materia fidei ab aliquot saeculis emanatas.

12. Assertiones Synodi complexive acceptae circa decisiones in materia fidei ab aliquot saeculis emanatas, quas perhibet velut decreta ab una particulari Ecclesia, vel paucis pastoribus profecta, nulla sufficienti auctoritate suffulta, nata corrumpendae puritati fidei, ac turbis excitandis, intrusa per vim e quibus inflicta sunt vulnera nimium adhuc recentia – *falsae, captiosae, temerariae, scandalosae, in Romanos Pontifices et Ecclesiam iniuriosae, debitae apostolicis constitutionibus obedientiae derogantes, schismaticae, perniciosae, ad minus erroneae.*

De pace dicta Clementis IX.

13. Propositio relata inter acta Synodi, quae innuit Clementem IX pacem Ecclesiae reddidisse per approbationem distinctionis iuris et facti in subscriptione formularii ab Alexandro VII praescripti – *falsa, temeraria, Clementi IX iniuriosa.*

14. Quatenus vero ei distinctioni suffragatur, eiusdem fautores laudibus extollendo, et eorum adversarios vituperando – *temeraria, perniciosa, summis Pontificibus iniuriosa, schisma fovens et haeresim.*

De coagmentatione corporis Ecclesiae.

15. Doctrina, quae proponit Ecclesiam *considerandam velut unum corpus mysticum coagmentatum ex Christo capite et fidelibus, qui sunt eius membra per unionem ineffabilem, qua mirabiliter evadimus cum ipso unus solus sacerdos, una sola victima, unus solus adorator perfectus Dei patris in spiritu et veritate;*

Intellecta hoc sensu, ut ad corpus Ecclesiae non pertineant nisi fideles, qui sunt perfecti adoratores in spiritu et veritate – *haeretica.*

De statu innocentiae.

16. Doctrina Synodi de statu felicis innocentiae, qualem eam repraesentat in Adamo ante peccatum, complectente non modo integritatem, sed et iustitiam interiorem cum impulsu in Deum per amorem charitatis, atque primaevam sanctitatem aliqua ratione post lapsum restitutam;

Quatenus complexive accepta innuit statum illum sequelam fuisse creationis, debitum ex naturali exigentia et conditione humanae naturae, non gratuitum Dei beneficium – *falsa, alias damnata in Baio et Quesnellio, erronea, favens haeresi pelagianae.*

De immortalitate spectata ut naturali conditione hominis.

17. Propositio his verbis enuntiata: *edocti ab Apostolo spectamus mortem non iam ut naturalem conditionem hominis, sed revera ut iustam poenam culpae originalis;*

Quatenus sub nomine Apostoli subdole allegato insinuat, mortem, quae in praesenti statu inflicta est velut iusta poena peccati per iustam subtractionem immortalitatis, non fuisse naturalem conditionem hominis, quasi immortalitas non fuisset gratuitum beneficium, sed naturalis conditio – *captiosa, temeraria, Apostolo iniuriosa, alias damnata.*

De conditione hominis in statu naturae.

18. Doctrina Synodi enuntians *post lapsum Adami Deum annuntiasse promissionem futuri liberatoris et voluisse consolari genus humanum per spem salutis, quam J. C. allaturus erat*, « tamen, » *Deum voluisse, ut genus humanum transiret per varios status, antequam veniret plenitudo temporum*, « ac primum, ut in statu naturae » *homo relictis propriis luminibus disceret de sua caeca ratione diffidere et ex suis aberrationibus moveret se ad desiderandum auxilium superioris luminis*,

Doctrina, ut iacet, captiosa, atque intellecta de desiderio adiutorii superioris luminis in ordine ad salutem promissam per Christum, ad quod concipiendum homo relictus suis propriis luminibus supponatur se se potuisse movere – *suspecta, favens haeresi semipelagianae.*

De conditione hominis sub lege.

19. Item, quae subiungit hominem sub lege, *cum esset impotens ad eam observandam, praevaricatorem evasisse, non quidem culpa legis, quae sanctissima erat, sed culpa hominis, qui sub lege sine gratia magis magisque praevaricator evasit*, superadditque *legem si non sanavit cor hominis, effecisse ut sua mala cognosceret, et de sua infirmitate convictus desideraret gratiam mediatoris*;

Qua parte generaliter innuit hominem praevaricatorem evasisse per inobservantiam legis, quam impotens esset observare, quasi *impossibile aliquid potuerit imperare qui iustus est, aut damnaturus sit hominem pro eo, quod non potuit evitare, qui pius est – falsa, scandolosa, impia, in Baio damnata.*

20. Qua parte datur intelligi, hominem sub lege sine gratia potuisse concipere desiderium gratiae mediatoris ordinatum ad salutem promissam per Christum, quasi *non ipsa gratia faciat, ut invocetur a nobis – propositio, ut iacet, captiosa, suspecta, favens haeresi semipelagianae.*

De gratia illuminante et excitante.

21. Propositio, quae asserit *lumen gratiae, quando sit solum, non praestare, nisi ut cognoscamus infelicitatem nostri status et gravitatem nostri*

mali: gratiam in tali casu producere eumdem effectum, quem lex producebat: ideo necesse esse, ut Deus creet in corde nostro sanctum amorem et inspiret sanctam delectationem contrariam amori in nobis dominanti: hunc amorem sanctum, hanc sanctam delectationem esse proprie gratiam J. C., inspirationem charitatis, qua cognita sancto amore faciamus; hanc esse illam radicem, e qua germinant bona opera, hanc esse gratiam novi testamenti, quae nos liberat a servitute peccati et constituit filios Dei;

Quatenus intendat eam solam esse proprie gratiam Jesu Christi, quae creet in corde sanctum amorem et quae facit, ut faciamus, sive etiam qua homo liberatus a servitute peccati constituitur filius Dei, et non sit etiam proprie gratia Christi ea gratia, qua cor hominis tangitur per illuminationem Spiritus Sancti (Trid. sess. 6. cap. 5), nec vera detur interior gratia Christi, cui resistitur – *falsa, captiosa, inducens in errorem in secunda propositione Iansenii damnatum ut hareticum, eumque renovans.*

De fide velut prima gratia.

22. Propositio, quae innuit, fidem *a qua incipit series gratiarum et per quam velut primam vocem vocemur ad salutem et Ecclesiam*, esse ipsam excellentem virtutem fidei, qua homines fideles nominantur et sunt,

Perinde ac prior non esset gratia, illa, quae *ut praevenit voluntatem, praevenit et fidem – suspecta de haeresi, eamque sapiens, alias in Quesnellio damnata, erronea.*

De duplici amore.

23. Doctrina Synodi de duplici amore dominantis cupiditatis et charitatis dominantis, enuntians hominem sine gratia esse sub servitute peccati; ipsumqne in eo statu per generalem cupiditatis dominantis influxum omnes suas actiones inficere et corrumpere,

Quatenus insinuat in homine, dum est sub servitute, sive in statu peccati, destitutus gratia illa, qua liberatur a servitute peccati et constituitur filius Dei, sic dominari cupiditate, ut per generalem huius

influxum omnes illius actiones in se inficiantur et corrumpantur: aut opera omnia, quae ante iustificationem fiunt, quacumque ratione fiant, sint peccata,

Quasi in omnibus suis actibus peccator serviat dominanti cupiditati – *falsa, perniciosa, inducens, in errorem a Tridentino damnatum ut haereticum, iterum in Baio damnatum artic.* 40.

24. Qua vero parte inter dominantem cupiditatem, et charitatem dominantem nulli ponuntur affectus medii a natura ipsa insiti, suapteque natura laudabiles, qui una cum amore beatitudinis, naturalique propensione ad bonum *remanserunt velut extrema lineamenta et reliquiae imaginis Dei;*

Perinde ac si *inter dilectionem divinam, quae nos perducit ad regnum, et dilectionem humanam illicitam, quae damnatur,* « non daretur » *dilectio humana licita, quae non reprehenditur – falsa, alias damnata.*

De timore servili.

25. Doctrina, quae timorem poenarum generatim perhibet *dumtaxat non posse dici malum, si saltem pertingit ad cohibendam manum;*

Quasi timor ipse gehennae, quam fides docet peccato infligendam, non sit in se bonus et utilis, velut donum supernaturale, ac motus a Deo inspiratus praeparans ad amorem iustitiae – *falsa, temeraria, perniciosa, divinis donis iniuriosa, alias damnatâ, contraria doctrinae Concilii Tridentini, tum et communi patrum sententiae* « opus esse » *iuxta consuetum ordinem praeparationis ad iustitiam,* ut intret timor primo, per quem veniat charitas; timor medicamentum, charitas sanitas.

De poena decedentium cum solo originali.

26. Doctrina, quae velut fabulam pelagianam explodit locum illum inferorum (quem limbi puerorum nomine fideles passim designant), in quo animae decedentium cum sola originali culpa poena damni citra poenam ignis puniantur;

Perinde ac si hoc ipso quod, qui poenam ignis removent, inducerent locum illum et statum medium expertem culpae et poenae inter regnum

Dei et damnationem aeternam, qualem fabulabantur pelagiani – *falsa, temeraria, in scholas catholicas iniuriosa.*

De sacramentis, ac primum de forma sacramentali cum adiuncta conditione.

27. Deliberatio Synodi, qua praetextu adhaesionis ad antiquos canones in casu dubii Baptismalis, propositum suum declarat de omittenda formae conditionalis mentione – *temeraria, praxi, legi, auctoritati Ecclesiae contraria.*

De participatione victimae in sacrificio Missae.

28. Propositio Synodi, qua postquam statuit *victimae participationem esse partem sacrificio essentialem,* subiungit: *non tamen se damnare ut illicitas missas illas, in quibus adstantes sacramentaliter non communicant, ideo quia isti participant licet minus perfecte de ipsa victima, spiritu illam recipiendo;*

Quatenus insinuat ad sacrificii essentiam deesse aliquid in eo sacrificio, quod peragatur sive nullo adstante, sive adstantibus, qui nec sacramentaliter, nec spiritualiter de victima participant et quasi damnandae essent ut illicitae missae illae, in quibus solo sacerdote communicante, nemo adsit, qui sive sacramentaliter, sive spiritualiter communicet – *falsa, erronea, de haeresi suspecta, eamque sapiens.*

De ritus consecrationis efficacia.

29. Doctrina Synodi, qua parte tradere instituens fidei doctrinam de ritu consecrationis, remotis quaestionibus scholasticis circa modum, quo Christus est in Eucharistia, a quibus parochos docendi munere fungentes abstinere hortatur, duobus his tantum propositis: 1. Christum post consecrationem, vere realiter, substantialiter esse sub speciebus: 2. Tum omnem panis et vini substantiam cessare solis remanentibus speciebus – prorsus omittit ullam mentionem facere transubstantiationis, seu conversionis totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem, quam velut articulum fidei Tridentinum Concilium definivit et quae in solemni fidei professione continetur;

Quatenus per inconsultam istiusmodi, suspiciosamque omissionem notitia subtrahitur tum articuli ad fidem pertinentis, tum etiam vocis ab Ecclesia consecratae ad illius tuendam professionem adversus haereses, tenditque adeo ad eius oblivionem inducendam, quasi ageretur de quaestione mere scholastica – *perniciosa, derogans expositioni veritatis catholicae circa dogma transubstantiationis, favens haereticis.*

De applicatione fructus sacrificii.

30. Doctrina Synodi, qua dum profitetur *credere sacrificii oblationem extendere se ad omnes, ita tamen ut in liturgia fieri possit specialis commemoratio aliquorum tam vivorum, quam defunctorum, precando Deum peculiariter pro ipsis,* dein continuo subiicit: *non tamen quod credamus in arbitrio esse sacerdotis applicare fructus sacrificii, cui vult; imo damnamus hunc errorem velut magnopere offendentem iura Dei, qui solus distribuit fructus sacrificii cui vult et secundum mensuram, quae ipsi placet:* unde et consequenter traducit velut *falsam opinionem invectam in populum, quod illi, qui eleemosynam subministrant sacerdoti sub conditione, quod celebrent unam missam, specialem fructum ex ea percipiant;*

Sic intellecta, ut praeter peculiarem commemorationem et orationem, specialis ipsa oblatio, seu applicatio sacrificii, quae fit a sacerdote, non magis prosit, caeteris paribus, illis, pro quibus applicatur, quam aliis quibusque; quasi nullus specialis fructus proveniret ex speciali applicatione, quam pro determinatis personis, aut personarum ordinibus faciendam commendat ac praecipit Ecclesia, specialim a pastoribus pro suis ovibus, quod, velut ex divino praecepto descendens, a sacra Tridentina Synodo disserte est expressum; – *falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiae iniuriosa, inducens in errorem alias damnatum in Wicleffo.*

De convenienti ordine in culto servando.

31. Propositio Synodi enuntians conveniens esse pro divinorum officiorum ordine et antiqua consuetudine, ut in unoquoque templo unum tantum sit altare, sibique adeo placere morem illum restituere – *te-*

meraria, perantiquo, pio, multis ab hinc saeculis in Ecclesia praesertim latina vigenti et probato mori iniuriosa.

32. Item praescriptio vetans, ne super altaria sacrarum reliquiarum thecae, floresve apponantur – *temeraria, pio ac probato Ecclesiae mori iniuriosa.*

33. Propositio Synodi, qua cupere se ostendit, ut causae tollerentur, per quas ex parte inducta est oblivio principiorum ad liturgiae ordinem spectantium, *revocando illam ad maiorem rituum simplicitatem, eam vulgari lingua exponendo et elata voce proferendo;*

Quasi vigens ordo liturgiae ab Ecclesia receptus et probatus aliqua ex parte manasset ex oblivione principiorum, quibus illa regi debet – *temeraria, piarum aurium offensiva, in Ecclesiam contumeliosa, favens haereticorum in eam conviciis.*

De ordine poenitentiae.

34. Declaratio Synodi, qua postquam praemisit ordinem poenitentiae canonicae sic ad Apostolorum exemplum ab Ecclesia statutum fuisse, ut esset communis omnibus, nec tantum pro punitione culpae, sed praecipue pro dispositione ad gratiam, subdit, se *in ordine illo mirabili et augusto totam agnoscere dignitatem sacramenti adeo necessarii, liberam a subtilitatibus, quae ipsi decursu temporis adiunctae sunt;*

Quasi per ordinem, quo, sine peracto canonicae poenitentiae cursu, hoc sacramentum per totam Ecclesiam administrari consuevit, illius fuisset dignitas imminuta – *temeraria, scandalosa, inducens, in contemptum dignitatis sacramenti, prout per Ecclesiam totam consuevit administrari, Ecclesiae ipsi iniuriosa.*

35. Propositio his verbis concepta: *si charitas in principio semper debilis est, de via ordinaria ad obtinendum augmentum huius charitatis, oportet ut sacerdos praecedere faciat eos actus humiliationis et poenitentiae, qui fuerunt omni aetate ab Ecclesia commendati: redigere hos actus ad paucas orationes, aut ad aliquod ieiunium post iam collatam absolutionem, videtur potius materiale desiderium conservandi huic sacramento nudum nomen poenitentiae, quam medium illuminatum et aptum ad au-*

gendum illum fervorem charitatis, qui debet praecedere absolutionem; longe quidem absumus ab improbanda praxi imponendi poenitentias etiam post absolutionem adimplendas: si omnia nostra bona opera semper adiunctos habent nostros defectus, quanto magis vereri debemus, ne plurimas imperfectiones admiserimus in difficillimo, et magni momenti opere nostrae reconciliationis;

Quatenus innuit poenitentias, quae imponuntur adimplendae post absolutionem, spectandas potius esse velut supplementum pro defectibus admissis in opere nostrae reconciliationis, quam ut poenitentias vere sacramentales et satisfactorias pro peccatis confessis: quasi ut vera ratio sacramenti non nudum nomen servetur, oporteat de via ordinaria, ut actus humiliationis et poenitentiae, qui imponuntur per modum satisfactionis sacramentalis, praecedere debeant absolutionem — *falsa, temeraria, communi praxi Ecclesiae iniuriosa, inducens in errorem haereticali nota in Petro de Osma confixum.*

De praevia necessaria dispositione pro admittendis poenitentibus ad reconciliationem.

36. Doctrina Synodi, qua postquam praemisit: *quando habebuntur signa non aequivoca auctoris Dei dominantis in corde hominis, posse illum merito iudicari dignum, qui admittatur ad participationem sanguinis Iesu Christi, quae fit in sacramentis,* « subdit » *supposititias conversiones, quae fiunt per attritionem, nec efficaces esse solere, nec durabiles:* « consequenter » *pastorem animarum debere insistere signis non aequivocis charitatis dominantis, antequam admittat suos poenitentes ad sacramenta* « quae signa, ut deinde tradit » *pastor deducere poterit ex stabili cessatione a peccato et fervore in operibus bonis,* « quem insuper » *fervorem charitatis* « perhibet » *velut* « dispositionem, quae » *debet praecedere absolutionem*;

Sic intellecta, ut non solum contritio imperfecta, quae passim attritionis nomine donatur, etiam quae iuncta sit cum dilectione, qua homo incipit diligere Deum tamquam omnis iustitiae fontem, nec modo contritio charitate formata, sed et fervor charitatis dominantis, et ille quidem diuturno experimento per fervorem in operibus bonis probatus,

generaliter et absolute requiratur, ut homo ad sacramenta et specialim poenitentes ad absolutionis beneficium admittantur — *falsa, temeraria, quietis animarum perturbativa, tutae ac probatae in Ecclesia praxi contraria, sacramenti efficaciae detrahens et iniuriosa.*

De auctoritate absolvendi.

37. Doctrina Synodi, quae de auctoritate absolvendi accepta ordinationem enuntiat, *post institutionem dioecesium et paroehiarum conveniens esse, ut quisquis iudicium hoc exerceat super personas sibi subditas, sive ratione territorii, sive iure quodam personali*,

Quatenus post institutas dioeceses et parochias enuntiat tantummodo *conveniens esse ad praecavendam confusionem, ut absolvendi potestas exerceatur super subditos*; sic intellecta tamquam ad validum usum huius potestatis non sit necessaria, ordinaria, vel subdelegata illa iurisdictio, sine qua Tridentinum declarat nullius momenti esse absolutionem a sacerdote prolatam — *falsa, temeraria, perniciosa, Tridentino contraria et iniuriosa, erronea.*

38. Item doctrina, qua postquam Synodus professa est *se non posse admirari illam adeo venerabilem disciplinam antiquitatis, quae*, ut ait, *ad poenitentiam non ita facile et forte nunquam eum admittebat, qui post primum peccatum et primam reconciliationem relapsus esset in culpam*, subiungit, *per timorem perpetuae exclusionis a communione et pace, etiam in articulo mortis magnum fraenum illis iniectum iri, qui parum considerant malum peccati et minus illud timent — contraria canoni 13 conc. Nicaeni I, decretali Innocentii I ad Exuperium Tolos. tum et decretali Coelestini I ad Episcopos Viennen., et Narbonam provinciae, redolens pravitatem, quam in ea decretali s. Pontifex exhorret.*

De peccatorum venialium confessione.

39. Declaratio Synodi de peccatorum venialium confessione, quam optare se ait non tantoque frequentari, ne nimium contemptibiles reddantur eiusmodi confessiones — *temeraria, perniciosa, sanctorum ac piorum praxi a s. conc. Trid. probatae, contraria.*

De indulgentiis.

40. Propositio asserens *indulgentiam secundum suam praecisam notionem aliud non esse quam remissionem partis eius poenitentiae, quae per canones statuta erat peccanti*;

Quatenus indulgentia, praeter nudam remissionem poenae canonicae, non etiam valeat ad remissionem poenae temporalis pro peccatis actualibus debitae apud divinam iustitiam – *falsa, temeraria, Christi meritis iniuriosa, dudum in art.* 19 *Lutheri damnata.*

41. Item in eo quod subditur, *scholasticos suis subtilitatibus inflatos invexisse thesaurum male intellectum meritorum Christi et sanctorum et clarae notioni absolutionis a poena canonica substituisse confusam et falsam applicationis meritorum*;

Quasi thesauri Ecclesiae, unde Papa dat indulgentias non sint merita Christi et sanctorum – *falsa, temeraria, Christi et sanctorum meritis iniuriosa, dudum in art.* 17 *Lutheri damnata.*

42. Item in eo, quod superaddit, *luctuosius adhuc esse quod chimerica isthaec applicatio transferri volita sit in defunctos* – *falsa, temeraria, piarum aurium offensiva, in R. Pontifices et in praxim et sensum universalis Ecclesiae iniuriosa, inducens in errorem haereticali nota in Petro de Osma confixum, iterum damnatum in artic.* 22 *Lutheri.*

43. In eo demum, quod impudentissime invehitur in tabellas indulgentiarum, altaria privilegiata, etc. – *temeraria, piarum aurium offensiva, scandalosa in summos Pontifices, atque in praxim tota Ecclesia frequèntatam contumeliosa.*

De reservatione casuum.

44. Propositio Synodi asserens *reservationem casuum nunc temporis aliud non esse, quam improvidum ligamen pro inferioribus sacerdotibus et sonum sensu vacuum pro poenitentibus assuetis non admodum curare hanc reservationem* – *falsa, temeraria, male sonans, perniciosa, concilio Tridentino contraria, superioris hierarchicae potestatis laesiva.*

45. Item de spe, quam ostendit, fore, *ut reformato rituali et ordine poenitentiae, nullum amplius locum habiturae sint huiusmodi reservationes;*

Prout attenta generalitate verborum innuit per reformationem ritualis et ordinis poenitentiae factam ab Episcopo, vel Synodo aboleri posse casus, qnos Tridentina Synodus (sess. 14. cap. 7.) declarat Pontifices maximos potuisse pro suprema potestate sibi in nniversa Ecclesia tradita peculiari suo iudicio reservare – *propositio falsa, temeraria, conc. Tridentino et s. Pontificum auctoritati derogans et iniuriosa.*

De censuris.

46. Propositio asserens, *effectum excommunicationis exteriorem dumtaxat esse, quia tantummodo natura sua excludit ab exteriore communicatione Ecclesia*;

Quasi excommnnicatio non sit poena spiritualis, ligans in coelo, animas obligans – *falsa, perniciosa, in art.* 23 *Lutheri damnata, ad minus erronea.*

47. Item, quae tradit, necessarium esse iuxta leges naturales et divinas, ut sive ad excommunicationem, sive ad suspensionem praecedere debeat examen personale, atque adeo sententias dictas *ipso facto* non aliam vim habere, nisi seriae comminationis sine ullo actnali effectu, – *falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiae potestati iniuriosa, erronea.*

48. Item, quae pronuntiat *inutilem ac vanam esse formam nonnullis ab hinc saeculis inductam absolvendi generaliter ab excommunicationibus, in quas fidelis incidere potuisset* – *falsa, temeraria, praxi Ecclesiae iniuriosa.*

49. Item, quae damnat, ut nullas et invalidas *suspensiones ex informata conscientia* – *falsa, perniciosa, in Trid. iniuriosa.*

50. Item in eo, quod insinnat soli Episcopo fas non esse uti potestate, quam tamen ei defert Tridentinum (sess. 14. cap. 1. de ref.), suspensionis *ex informata conscientia* « legitime infligendae » – *iurisdictionis praelatorum Ecclesiae laesiva.*

De ordine.

51. Doctrina Synodi, quae perhibet in promovendis ad ordines hanc de more et instituto veteris disciplinae rationem servari consuevisse,

ut si quis clericorum distinguebatur sanctitate vitae et dignus aestimabatur, qui ad sacros ordines ascenderet, ille solitus erat promoveri ad diaconatum, vel sacerdôtium, etiamsi inferiores ordines non suscepisset: neque tum talis ordinatio dicebatur per saltum, ut postea dictum est;

52. Item, quae innuit non alium titulum ordinationum fuisse, quam deputationem ad aliquod speciale ministerium, qualis praescripta est a concilio Calcedonensi, subiungens, quamdiu Ecclesia sese his principiis in delectu sacrorum ministrorum conformavit, ecclesiasticum ordinem floruisse, verum beatos illos dies transiisse, novaque principia subinde introducta, quibus corrupta fuit disciplina in delectu ministrorum sanctuarii;

53. Item quod inter haec ipsa corruptionis principia refert, quod recessum sit a vetere instituto, quo, ut ait, Ecclesia insistens Apostoli vestigiis, neminem ad sacerdotium admittendum statuerat, nisi qui conservasset innocentiam baptismalem,

Quatenus innuit corruptam fuisse disciplinam per decreta et instituta,

1. Sive quibus ordinationes per saltum vetitae sunt;

2. Sive quibus pro ecclesiarum necessitate et commoditate probatae sunt ordinationes sine titulo specialis officii, velut speciatim a Tridentino ordinatio ad titulum patrimonii: salva obedientia, qua sic ordinati ecclesiarum necessitatibus deservire debent iis obeundis officiis, quibus pro loco, ac tempore ab Episcopo admoti fuerint, quemadmodum ab apostolicis temporibus in primitiva Ecclesia fieri consuevit;

3. Sive quibus iure canonico facta est criminum distinctio, quae delinquentes reddunt irregulares: quasi per hanc distinctionem Ecclesia recesserit a spiritu Apostoli, non excludendo generaliter et indistincte ab ecclesiastico ministerio omnes quoscumque, qui baptismalem innocentiam non conservassent – *doctrina singulis suis partibus falsa, temeraria, ordinis pro ecclesiarum necessitate et commoditate inducti perturbativa, in disciplinam per canones et speciatim per Trid. decreta probatam iniuriosa.*

54. Item, quae turpem abusum notat unquam praetendere eleemosynam pro celebrandis missis et sacramentis administrandis, sicuti et accipere quemlibet proventum dictum *stolae* et generatim quodcumque

stipendium et honorarium, quod suffragiorum, aut cuiuslibet parochialis functionis occasione offerretur,

Quasi turpis abusus crimine notandi essent ministri Ecclesiae, dum secundum receptum et probatum Ecclesiae morem et institutum utuntur iure promulgato ab Apostolo accipiendi temporalia ab his, quibus spiritualia ministrantur – *falsa, temeraria, ecclesiastici ac pastoralis iuris laesiva, in Ecclesiam eiusque ministros iniuriosa.*

55. Item, qua vehementer se optare profitetur, ut aliqua ratio inveniretur, ut minutali cleri (quo nomine inferiorum ordinum clericos designat) a cathedralibus et collegiatis submovendi, providendo aliter, nempe per probos et provectioris aetatis laicos, congruo assignato stipendio, ministerio inserviendi missis et aliis officiis, velut acholyti, etc., ut olim,- inquit, fieri solebat, quando eius generis officia, non ad meram speciem pro maioribus ordinibus suscipiendi redacta erant,

Quatenus reprehendit istitutum, quo cavetur, ut *minorum ordinum functiones per eos tantum praestentur, exerceanturve, qui in illis constituti adscriptive sunt* (Conc. Prov. IV Mediol.): idque ad mentem Tridentini (sess. 23. cap. 17) *ut sanctorum ordinum a diaconatu ad ostiaratum functiones ab apostolicis temporibus in ecclesia laudabiliter receptae et in pluribus locis aliquamdiu intermissae iuxta sacros canones revocentur, nec ab haereticis tanquam otiosae traducantur – suggestio temeraria, piarum aurium offensiva, ecclesiastici ministerii perturbativa, servandae, quoad fieri potest, in celebrandis mysteriis decentiae imminutiva, in minorum ordinum munera et functiones, tum in disciplinam per canones et specialim per Trid. probatam iniuriosa, favens haereticorum in eam conviciis et calumniis.*

56. Doctrina, quae statuit conveniens videri in impedimentis canonicis, quae proveniunt ex delictis in iure expressis, ullam unquam nec concedendam, nec admittendam esse dispensationem – *aequitatis et moderationis canonicae a s. Conc. Trid. probatae laesiva, auctoritati et iuribus Ecclesiae derogans.*

57. Praescriptio Synodi, quae generaliter et indiscriminatim velut abusum reiicit quamcumque dispensationem, ut plusquam unum beneficium residentiale uni, eidemque conferatur;

Item in eo quod subiungit certum sibi esse, iuxta Ecclesiae spiritum plusquam uno beneficio tametsi simplici neminem frui posse – *pro sua generalitate derogans moderationi Tridentini sess. 7. c. 5, et sess. 24. c. 17.*

De sponsalibus et matrimonio.

58. Propositio, quae statuit sponsalia proprie dicta actum mere civilem continere, qui ad matrimonium celebrandum disponit, eademque civilium legum praescripto omnino subiacere;

Quasi actus disponens ad sacramentum non subiaceat sub hac ratione iuri Ecclesiae uti – *falsa, iuris Ecclesiae quoad effectus etiam e sponsalibus VI canonicarum sanctionum profluentes laesiva, disciplinae ab Ecclesia constitutae derogans.*

59. Doctrina Synodi asserens, *ad supremam civilem potestatem dumtaxat originarie spectare contractui matrimonii apponere impedimenta eius generis, quae ipsum nullum reddunt, dicunturque dirimentia,* «quod» *ius originarium* «praetera dicitur cum» *iure dispensandi essentialiter connexum*, «subiungens» *supposito assensu, vel conniventia principum potuisse Ecclesiam iuste constituere impedimenta dirimentia ipsum contractum matrimonii;*

Quasi Ecclesia non semper potuerit, ac possit in christianorum matrimoniis iure proprio impedimenta constituere, quae matrimonium non solum impediant, sed et nullum reddant quoad vinculum, quibus christiani obstricti teneantur etiam infidelium, iu eisdemque dispensaro – *canonum 3, 4, 9, 12 sess. 24 Conc. Trid. eversiva, haeretica.*

60. Item rogatio Synodi ad potestatem civilem, *ut e numero impedimentorum tollat cognationem spiritualem, atque illud, quod dicitur publicae honestatis, quorum origo reperitur in collectione Iustiniani,* «tum ut» *restringat impedimentum affinitatis et cognationis ex quacumque licita, aut illicita coniunctione provenientis ad quartum gradum iuxta civilem computationem per lineam lateralem et obliquam ita tamen ut spes nulla relinquatur dispensationis obtinendae;*

Quatenus civili potestati ius attribuit sive abolendi, sive restringendi impedimenta Ecclesiae auctoritate constituta; item qua parte supponit

Ecclesiam per potestatem civilem spoliari posse iure dispensandi super impedimentis ab ipsa constitutis, vel comprobatis – *libertatis ac potestatis Ecclesiae subversiva, Tridentino contraria, ex haereticali supra damnato principio profecta.*

De officiis, explicationibus, institutionibus, ad religiosum cultum pertinentibus, ac primum de adoranda humanitate Christi.

61. Propositio, quae asserit *adorare directe humanitatem Christi magis vero aliquam eius partem fore semper honorem divinum datum creaturae;*

Quatenus per hoc verbum *directe* intendat reprobare adorationis cultum, quem fideles dirigunt ad humanitatem Christi, perinde ac si talis adoratio, qua humanitas ipsaque caro vivifica Christi adoratur, non quidem propter se et tamquam nuda caro, sed prout unita divinitati, foret honor divinus impertitus creaturae, et non potius una eademque adoratio, qua Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adoratur – *falsa, captiosa, pio ac debito cultui humanitati Christi a fidelibus praestito ac praestando detrahens et iniuriosa.*

62. Doctrina, quae devotionem erga sacratissimum cor Iesu reiicit inter devotiones, quas notat velut novas, erroneas, aut saltem periculosas;

Intellecta de hac devotione, qualis est ab Apostolica Sede probata, – *falsa, temeraria, perniciosa, piarum aurium offensiva, in Apostolicam Sedem iniuriosa.*

63 Item in eo quod cultores cordis Jesu hoc etiam nomine arguit, quod non advertant sanctissimam carnem Christi, aut eius partem aliquam, aut etiam humanitatem tota cum separatione, aut praecisione a divinitate adorari non posse cultu latriae;

Quasi fideles cor Jesu adorarent cum separatione, praecisione a divinitate, dum illud adorant, ut est cor Jesu, cor nempe persona Verbi, cui inseparabiliter unitum est, ad eum modum, quo exangue corpus Christi in triduo mortis sine separatione, aut praecisione a divinitate adorabile fuit in sepulcro – *captiosa, in fideles cordis Christi cultores iniuriosa.*

De ordine praescripto in piis exercitationibus obeundis.

64. Doctrina, quae velut superstitiosam universe notat *quamcumque efficaciam, quae ponatur in determinato numero precum et piarum salutationum;*

Tamquam superstitiosa censenda esset efficacia, quae sumitur non ex numero in se spectato, sed ex praescripto Ecclesiae certum numerum precum, vel externarum actionum praefinientis pro indulgentiis consequendis, pro adimplendis poenitentiis et generatim pro sacro et religioso cultu rite et ex ordine peragendo – *falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa pietati fidelium, iniuriosa Ecclesiae auctoritati derogans, erronea.*

65. Propositio enuntians, *irregularem strepitum novarum institutionum, quae dictae sunt exercitia, vel missiones..... forte nunquam, aut saltem per raro eo pertingere, ut absolutam conversionem operentur et exteriores illos commotionis actus, qui apparuere, nil aliud fuisse, quam transeuntia naturalis concussionis fulgura – temeraria, male sonans, perniciosa, mori pie, salutariter per Ecclesiam frequentato et in verbo Dei fundato iniuriosa.*

De modo iungendae vocis populi cum voce Ecclesiae in precibus publicis.

66. Propositio asserens, *fore contra apostolicam praxim et Dei consilia, nisi populo faciliores viae pararentur vocem suam iungendi cum voce totius Ecclesiae;*

Intellecta de usu vulgaris linguae in liturgicas preces inducendae – *falsa, temeraria, ordinis pro mysterium celebratione praescripti perturbativa, plurium malorum facile productrix.*

De lectione Sacrae Scripturae.

67. Doctrina perhibens a lectione Sacrarum Scripturarum *non nisi veram impotentiam excusare,* subiungens ultro se prodere obscurationem, quae ex huiusce praecepti neglectu orta est super primarias veritates

religionis – *falsa, temeraria, quietis animarum perturbativa, alias in Quesnellio damnata.*

De proscriptis libris in Ecclesia publice legendis.

68. Laudatio, qua summopere Synodus commendat Quesnellii commentationes in Novum Testamentum, aliaque aliorum Quesnellianis erroribus faventium opera, licet proscripta eademque parochis proponit, ut ea, tamquam solidis religionis principiis referta, in suis quisque paroeciis populo post reliquas functiones perlegant - *falsa, scandalosa, temeraria, seditiosa, Ecclesiae iniuriosa, schisma fovens et haeresim.*

De sacris imaginibus.

69. Praescriptio, quae generaliter et indistincte inter imagines ab Ecclesia auferendas, velut rudibus erroris occasionem praebentes, notat imagines Trinitatis incomprehensibilis – *propter suam generalitatem temeraria, ac pio per Ecclesiam frequentato mori contraria, quasi nullae extent imagines Ss. Trinitatis approbatae ac tuto permittendae.*

70. Item doctrina et proscriptio generatim reprobans omnem specialem cultum, quem alicui speciatim imagini solent fideles impendere et ad ipsam potius, quam ad aliam confugere – *temeraria, perniciosa, pio per Ecclesiam frequentato mori, tum et illi providentiae ordini iniuriosa, quo* ita Deus nec in omnibus memoriis sanctorum ista fieri voluit, qui dividet propria unicuique prout vult.

71. Item, quae vetat ne imagines praesertim B. Virginis ullis titulis distinguantur praeter quam denominationibus, quae sunt analogae mysteriis, de quibus in Sacra Scriptura expressa fit mentio;

Quasi nec adscribi possent imaginibus piae aliae denominationes, quas vel in ipsismet publicis precibus Ecclesia probat et commendat, – *temeraria, piarum aurium offensiva, venerationi B. praesertim Virgini debitae iniuriosa.*

72. Item, qua velut abusum extirpari vult morem, quo velatae asservantur certae imagines – *temeraria, frequentato in Ecclesiam et ad fidelium pietatem fovendam inducto mori contraria.*

73. Propositio enuntians novorum festorum institutionem ex neglectu in veteribus observandis et ex falsis notionibus naturae et finis earumdem solemnitatum originem duxisse – *falsa, temeraria, scandalosa, Ecclesiae iniuriosa, favens haereticorum in dies festos per Ecclesiam celebratos conviciis.*

74. Deliberatio Synodi de transferendis in diem dominicum festis per annum institutis: idque pro iure, quod persuasum sibi esse ait Episcopo competere super disciplinam ecclesiasticam in ordine ad res mere spirituales; ideoque et praeceptum missae audiendae abrogandi diebus, in quibus ex pristina Ecclesiae lege viget etiamnum id praeceptum: tum etiam in eo, quod superaddit de transferendis in Adventum episcopali auctoritate ieiuniis per annum ex Ecclesiae praecepto servandis;

Quatenus adstruit Episcopo fas esse iure proprio transferre dies ab Ecclesia praescriptos pro festis, ieiuniisve celebrandis; aut indictum missae audiendae praeceptum abrogare – *propositio falsa, iuris conciliorum generalium et s. Pontificum laesiva, scandalosa, schismati favens.*

75. Doctrina, quae perhibet beatis temporibus nascentis Ecclesiae iuramenta visa esse a documentis divini praeceptoris, atque ab aurea Evangelii simplicitate adeo aliena, ut *ipsummet iurare sine extrema et ineluctabili necessitate reputatus fuisset actus irreligiosus, homine christiano indignus:* « insuper » *continuatam patrum seriem demonstrare iuramenta communi sensu pro vetitis habita fuisse:* indeque progreditur ad improbanda iuramenta, quae curia ecclesiastica, iurisprudentiae feudalis, ut ait, normam secuta, in investituris et in sacris ipsis Episcoporum ordinationibus adoptavit: statuitque ideo implorandam a saeculari potestate legem pro abolendis iuramentis, quae in curiis etiam ecclesiasticis exiguntur pro suscipiendis muniis et officiis et generatim pro omni actu curiali – *falsa, Ecclesiae iniuriosa, iuris Ecclesiastici laesiva, disciplinae per canones inductae et probatae subversiva.*

76. Insectatio, qua Synodus scholasticam exagitat, velut eam, *quae viam aperuit inveniendis novis et inter se discordantibus systematibus, quoad veritates maioris pretii, ac demum adduxit ad probabilismum et laxismum;*

Quatenus in scholasticam reiicit privatorum vitia, qui abuti ea potuerunt, aut abusi sunt – *falsa, temeraria, in sanctissimos viros et doctores, qui magno catholicae religionis bono scholasticam excoluere iniuriosa, favens infestis in eam haereticorum conviciis.*

77. Item in eo, quod subdit, *mutationem formae regiminis ecclesiastici, qua factum est, ut ministri Ecclesiae in oblivionem venirent suorum iurium, quae simul sunt eorum obligationes, eo demum rem adduxisse, ut obliterari faceret primitivas notiones ministerii ecclesiastici et sollicitudinis pastoralis;*

Quasi per mutationem regiminis congruentem disciplinae in Ecclesia constitutae et probatae, obliterari nunquam potuerit et amitti primitiva notio ministerii ecclesiastici, pastoralisve sollicitudinis – *propositio falsa, temeraria, erronea.*

78. Praescriptio Synodi de ordine rerum tractandarum in collationibus, qua, posteaquam praemisit, *in quolibet articulo distinguendum id, quod pertinet ad fidem et ad essentiam religionis ab eo, quod est proprium disciplinae,* subiungit, *in hac ipsa* (disciplina) *distinguendum quod est necessarium, aut utile ad retinendos in spiritu fideles, ab eo, quod est inutile, aut onerosius, quam libertas filiorum novi foederis patiatur, magis vero ab eo, quod est periculosum, aut noxium, utpote inducens ad superstitionem et materialismum;*

Quatenus pro generalitate verborum comprehendat et praescripto examini subiiciat etiam disciplinam ab Ecclesia constitutam et probatam, quasi Ecclesia, quae spiritu Dei regitur, disciplinam constituere posset non solum inutilem, sed et periculosam et noxiam, inducentem in superstitionem et materialismum – *falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa, piarum auriarum offensiva, Ecclesiae ac spiritui Dei, quo ipsa regitur, iniuriosa, ad minus erronea.*

Convicia adversus aliquas sententias in scholis catholicis usque adhuc agitatas.

79. Assertio, quae conviciis et contumeliis insectatur sententias in scholis catholicis agitatas et de quibus Apostolica Sedes nihil adhuc definiendum, aut pronunciandum censuit – *falsa*, *temeraria*, *in scholas catholicas iniuriosa, debitaeque apostolicis constitutionibus obedientiae derogans.*

De tribus regulis fundamenti loco a Synodo positis pro reformatione regularium.

80. Regula 1.ª quae statuit universe et indiscriminatim *statum regularem*, *aut monasticum natura sua componi non posse cum animarum cura cumque vitae pastoralis muneribus, nec adeo in partem venire posse ecclesiasticae hierarchiae*, *quin ex adverso pugnet cum ipsiusmet vitae monasticae principiis* – *falsa, perniciosa, in Ss. Ecclesiae patres et praesules, qui regularis vitae instituta cum clericalis ordinis muneribus consociarunt, iniuriosa, pio, vetusto*, *probato Ecclesiae mori summorumque Pontificum sanctionibus contraria;* quasi monachi, quos morum gravitas et vitae ac fidei institutio sancta commendat, *non rite, nec modo sine religionis offensione, sed et cum multa utilitate Ecclesiae* « clericorum officiis » *aggregentur.*

81. Item in eo, quod subiungit sanctos Thomam et Bonaventuram sic in tuendis adversus summos homines mendicantium institutis versatos esse, ut in eorum defensionibus minor aestus, accuratio maior desideranda fuisset – *scandalosa*, *in sanctissimos doctores iniuriosa, impiis damnatorum auctorum contumeliis favens.*

82. Regula 2.ª: *multiplicationem ordinum ac diversitatem naturaliter inferre perturbationem et confusionem:* item in eo, quod praemittit §. 4. *regularium fundatores,* « qui post monastica instituta prodierunt » *ordines superaddentes ordinibus, reformationes reformationibus nihil aliud effecisse, quam primariam mali causam magis magisque dilatare;*

Intellecta de ordinibus et institutis a S. Sede probatis, quasi distincta piorum munerum varietas, quibus distincti ordines addicti sunt, natura

sua perturbationem et confusionem parere debeat – *falsa, calumniosa, in sanctos fundatores, earumque fideles alumnos, tum et in ipsos S. Pontifices iniuriosa.*

83. Regula 3.ª qua posteaquam praemisit, *parvum corpus degens intra civilem societatem, quin fere sit pars eiusdem, parvamque monarchiam figit in statu semper esse periculosum*, subinde hoc nomine criminatur privata monasteria, communis instituti vinculo sub uno praesertim capite consociata, veluti speciales totidem monarchias civili reipublicae periculosas et noxias – *falsa, temeraria, regularibus institutis a Sancta Sede ad religionis profectum adprobatis iniuriosa, favens haereticorum in eadem instituta insectationibus et calumniis.*

De systemate, seu ordinationum complexione ducta ex allatis regulis et octo sequentibus articulis comprehensa pro reformatione regularium.

84. Art. 1. *De uno dumtaxat ordine Ecclesia retinendo, ac de seligenda prae caeteris regula sancti Benedicti, cum ob sui praestantia, tum ob praeclara illius ordinis merita; sic tamen, ut in his, quae forte occurrent temporum conditioni minus congrua, instituta vitae ratio apud Portumregium lucem praeferat ad explorandum quid addere, quid detrahere conveniat.*

2. *Ne compotes fiant ecclesiasticae hierarchiae, qui se huic ordini adiunxerint, nec ad sacros ordines promoveantur, praeter quam ad summum unus, vel duo initiandi tamquam curati, vel cappellani monasterii, reliquis in simplici laicorum ordine remanentibus.*

3. *Unum in unaquaque civitate admittendum monasterium, idque extra moenia civitatis in locis abditioribus et remotioribus collocandum.*

4. *Inter occupationes vitae monasticae pars sua labori manuum inviolate servanda, relicto tamen congruo tempore psalmodiae impendendo, aut etiam, si cui libuerit, studio. Psalmodia deberet esse moderata, quia nimia eius prolixitas parit praecipitantiam, molestiam, evagationem. Quo plus auctae sunt psalmodiae, orationes, preces, tantumdem peraequa proportione omni tempore imminutus fervor est, sanctitasque regularium.*

5. *Nulla foret admittenda distinctio monachos inter sive choro, sive ministeriis addictos; inaequalitas isthaec gravissimas omni tempore lites excitavit ac discordias, et a communitatibus regularium spiritum charitatis expulit.*

6. *Votum perpetuae stabilitatis nunquam tolerandum. Non illud uorant veteres monachi, qui tamen Ecclesiae consolatio et christianismi ornamentum extiterunt. Vota castitatis, paupertatis et obedientiae non admittentur instar communis et stabilis regulae. Si quis ea vota, aut omnia, aut aliqua facere voluerit, consilium et veniam ab Episcopo postulabit, qui tamen nunquam permittit ut perpetua sint, nec anni fines excedent. Tantummodo facultas dabitur ea renovandi sub iisdem conditionibus.*

7. *Omnem Episcopus habebit inspectionem in eorum vitam, studia, progressum in pietate: ad ipsum pertinebit monachos admittere et expellere, semper tamen accepto contubernalium consilio.*

8. *Regulares ordinum, qui adhuc remanent, licet sacerdotes in hoc monasterium admitti etiam possent, modo in silentio et solitudine propriae sanctificationi vacare cuperent; quo in casu dispensationi locus fieret in generali regula num. 2. statuta, sic tamen ne vitae institutionem sequantur ab aliis discrepantem, adeo ut non plus quam una, aut ad summum duae in diem missae celebrentur, satisque caeteris sacerdotibus esse debeat una cum communitate concelebrare.*

Item pro reformatione monialium.

Vota perpetua usque ad annum 40 aut 45 non admittenda; moniales solidis exercitationibus, speciatim labori addicendae; a carnali spiritualitate, a qua pleraeque distinentur, avocandae; expendendum, utrum, quoad ipsas attinet, satius foret monasterium in civitate relinqui — systema vigentis, atque iam antiquitus probatae ac receptae disciplinae subversivum; perniciosum, constitutionibus apostolicis et plurium conciliorum etiam generalium, tum speciatim Tridentini sanctionibus oppositum et iniuriosum, favens haereticorum in monastica vota et regularia instituta stabiliori consiliorum evangelicorum professioni addicta conviciis et calumniis.

De nationali concilio convocando.

85. Propositio enuntians qualemcumque cognitionem ecclesiasticae historiae sufficere, ut fateri quisque debeat convocationem concilii nationalis unam esse ex viis canonicis, qua finiantur in Ecclesia respectivarum nationum controversiae spectantes ad religionem;

Sic intellecta, ut controversiae ad fidem et mores spectantes in Ecclesia quacumque subortae, per nationale concilium irrefragalili iudicio finiri valeant; quasi inerrantia in fidei et morum quaestionibus nationali concilio competeret – *schismatica, haeretica.*

Alias quoque propositiones in eodem libro contentas improbandas esse censuit summus Pontifex, eas praesertim, quae mysterium Ss. Trinitatis spectant;

Et 1. posteaquam Synodus rite praemisit Deum in suo esse unum et simplicissimum permanere, continuo subiungit, ipsum Deum in tribus personis distingui, perperam discedit a communi et probata in christianae doctrinae institutionibus formula, qua Deus unus quidem in tribus personis distinctis dicitur, non in tribus personis distinctus; cuius formulae commutatione, hoc vi verborum subrepit erroris periculum, ut essentia divina distincta in personis putetur, quam fides catholica sic unam in personis distinctis confitetur, ut eam simul profiteatur in se prorsus indistinctam.

2. Item, quod de ipsismet tribus divinis personis tradit, eas secundum earum proprietates personales et incommunicabiles exactius loquendi exprimi, seu appellari Patrem, Verbum et Spiritum Sanctum, quasi minus propria et exacta foret appellatio Filii tot Scripturae locis consecrata.

Sequitur consueta prohibitionis et damnationis formula.

Dat. Romae apud S. M. Mai. 28 aug. 1794.

CLII.

De malis, quae Ecclesiae Gallicanae obvenerunt ob haeresim Iansenistarum.

CLEMENS XIII Episcopo Rivensi.

Incipit *Sacras res, etc.* (1).

Literis Episcopi Rivensis conquerentis a laica potestate silentium sacris pastoribus indici; eorum scripta pro tuenda religione per manum carnificis in conspectu totius populi flammis dari; Ss. Eucharistiae sacramentum notorie refragantibus Bullae *Unigenitus* pro laicae potestatis libidine sacrilege ministrari, in exilium pulsis sacerdotibus tanto scelere se commaculare nolentibus; clericos regulares societatis Iesu e suis domibus avulsos et ad extremas angustias redactos passim conspici,

Sanctitas sua respondet tot malorum causam repetendam esse primo a Iansenistarum non satis repressa haeresi, ad quam removendam Benedictus XIV enciclycam miserat, et ipsemet confirmaverat; secundo ex negleta observantia Bullae *Unigenitus*. Ad haec autem mala compescenda unionem Gallicani cleri cum Apostolica Sede tantummodo conferre posse.

D. Romae apud S. M. Mai. die 9 novemb. 1763.

CLIII.

De eodem argumento.

CLEMENS XIII Episcopo Biterrensi.

Incipit *Gravissimas aerumnas, etc.* (2).

Expositis gravissimis malis, quibus Gallicana Ecclesia premitur, nempe: verbum Dei adulteratum, funditus eversa ecclesiastica disciplina, saecularium magistratuum in rebus sacris temeraria immixtio, pro eorum libito sacrilega sacramentorum administratio, etc., ait s. Pontifex

(1) Ib. t. 4. p. 828.
(2) Ib. t. 4. p. 831.

bas tribulationes a Deo permitti, non ut constantia in fide decutiatur, sed ut illa eo magis probetur.

Ad haec autem mala praecavenda intima animorum coniunctione curandum est, ut Iansenistarum eludantur conatus, quibus nefarii illi homines student Episcoporum animos a S. Sede alienare, ut deinde episcopalis auctoritas facilius evertatur, insuperquo incumbendum observantiae enciclycae Benedicti XIV super constitutione *Unigenitus* sacrilege conculcata.

Dat. Romae apud S. M. Mai. die 12 novemb. 1763.

CLIV.

De eodem argumento.

CLEMENS XIII Archiepiscopo Auscitano.

Incipit *Quo in loco res sacrae, etc.* (1).

Gallicanae Ecclesiae aerumnas commemorat s. Pontifex, nempe: sacerdotibus divinam, quam a Christo Domino acceperunt, potestatem ademptam, aut certo magna ex parte imminutam; notorie refragantibus Bullae *Unigenitus* sacramenta pro laicae potestatis arbitrio administrata; Episcoporum voces usque adeo compressas, ut ne ad gregem quidem sibi commissum clamare possint; totam denique religionem vel audacter impugnatam, vel contumeliosis irrisionibus impudenter despectam.

Summopere autem dolet, quod ex ipso episcopali ordine homines extiterint, qui saeculari potestati Ecclesiam invadenti partim plauserunt, partim etiam suam operam praebuerunt, partim demum, quod cernerent oculis, se non videre simularunt.

Ait, S. Sedem tot malorum proluviem patienter et sub silentio tulisse ea spe illectam, fore, ut inimicorum animi adversus Ecclesiam incensi paullatim defervescerent: sed quia spes fefellit, vocem extollit et Archiepiscopum Auscitanum enixe hortatur, ut invicta animi fortitudine stet et perduret in praelis pro domo Domini.

D. Romae apud S. M. Mai. die 15 augusti 1764.

(1) Ib. t. 4. p. 887.

CLV.

De eodem argumento.

CLEMENS XIII Episcopo Sarlatensi.

Incipit *De misero Gallicanae Ecclesiae statu, etc.* (1).

Quum Episcopus Sarlatensis prolixam ad s. Pontificem narrationem misisset de ingravescentibus Ecclesiae Gallicanae malis ab anno 1755 ad 1764 et Pontificem ipsum desidiae quodammodo insimulasset in iis malis coërcendis,

Sanctitas Sua quid iampridem egerit connumerat et primo quidem se constitutionem *Unigenitus* et enciclycam Benedicti XIV confirmasse, cathechismum Mesanguianum solemniter postea condemnasse, opportunas tandem cunctis in Gallia Episcopis instrnctiones dedisse, ne videretur, S. Sedem remedio vacua tot ingruentia mala reliquisse. Harum autem instructionum praecipua capita sunt: constitutionem *Unigenitus* dogmaticum esse decretum, cui debetur omnimoda obedientia; eidem constitutioni notorie refragantes ab Eucharistiae sacramento esse repellendos; eos, qui Iansenismum inane figmentum praedicant, in Ecclesiam Dei et S. Sedem esse iniurios, etc.

In tam gravi religionis conditione debent Episcopi serio perpendere quid Deo promiserint, quum episcopalibus ministeriis initiarentur, nempe, parati esse debent ad asperrima quaeque pro Christo perferenda. Si qui autem officii sui immemores, quae sua sunt quaerunt, non quae Iesu Christi, pro iis Deus est precandus, ut auferat ab eis spiritum huius mundi.

Tandem hunc hortatur Episcopum, ut in suo zelo persistat, praesertim in instructionibus evulgandis, populisque admonendis de erroribus, quos veritati inimici per incredibiles fraudes in Ecclesia Dei disseminare studeat.

Dat. Romae apud S. M. Mai. die 14 novemb. 1764.

(1) Ib. t. 4. p. 901.

CLVI.

De eodem argumento.

CLEMENS XIII Archiepiscopo Turonensi.

Incipit *Quod complures alii, etc.* (1).

Ex Iansenianae sectae fraudibus repetenda esse irruentia mala contra religionem et societatis Iesu nefariam proscriptionem in Galliis, cum Archiepiscopo Turonensi censet s. Pontifex.

Et quia Ianseniani cum Calvinistis coniunctis viribus cuncta perversa moliuntur in religionis perniciem, debent quoque Episcopi coniunctis viribus incumbere eorum novationibus comprimendis.

Idcirco Sanctitas Sua Archiepiscopum hortatur in Domino, ut in proposito suae evulgandae pastoralis persistat ad Galliarum Episcopos in unitate et concordia inter se, nec non in coniunctione cum S. Sede confirmandos, quod se iam peregisse declarat cum pluribus eiusdem regni Episcopis et facturum in posterum promittit.

Dat. Romae apud S. M. Mai. die 14 novemb. 1764.

CLVII.

De malis, quae Ecclesiae Gallicanae obvenerunt ob novam philosophiam.

CLEMENS XIII Episcopo Lodeviensi.

Incipit *Ingravescere in die, etc.* (2).

Exponit s. Pontifex, se a pluribus Galliae Episcopis accepisse, verbum Dei a multo tempore Baii, Iansenii et Quesnellii erroribus adulterari; pro lubito laicornm sacramenta administrari; omnem religionis cultum subdi saeculari potestati; Ecclesiarum Antistites et inferiores ministros partim in exilium agi, partim in carcerem detrudi, partim omni minarum genere a suo grege pascendo amoveri; tantorum vero causam

(1) Ib. t. 4. p. 903.
(2) Ib. t. 4. p. 819.

malorum a nova inducta philosophia repetendam esse, quae nostra mysteria et S. Scripturam funditus evertit, homines ad brutorum deprimit conditionem, inter aequum et iniquum nullum intercedere discrimen contendit, cupiditates omnes allicit et quod magis dolendum est, per eam omnis Deo cultus eripitur, Iesu Christi, eiusque Apostolorum divinae missioni illuditur, miraculorum veritati irridetur, universae denique religioni horrificum bellum indicitur. Neque hic sistunt homines perversa illa philosophia imbuti, nam, religione subversa, regalem auctoritatem aggrediuntur, debitam obedientiam eidem pro libito denegantes.

In hac et tanta malorum colluvie Sanctitas Sua Gallicanorum Antistitum zelum commendat et maximam collocat spem in Gallicae nationis pietate contra exiguum impiorum numerum, imo et ipsorum Episcoporum consilium exquirit ad malum efficacius profligandum.

Demum tum Episcopo Lodeviensi, tum caeteris Galliae Episcopis significat se et Apostolicam Sedem omni cura studuisse ad mala ipsa removenda, pari quoque fortitudine paratam esse ad omnia cienda et toleranda pro religionis defensione, quod et ab ipsis praestandum fore confidit.

Dat. Romae apud S. M. Mai. die 17 septemb. 1763.

CLVIII.

De pseudofilosophorum erroribus.

PIUS VI universis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis.

Incipit *Inscrutabile divinae sapientiae, etc.* (1).

Sua ad supremum Pontificatum evectione praenuntiata et temporum malitia deplorata, errores pseudophilosophorum neotericorum recenset s. Pontifex autumantium: « aut Deum non esse, aut otiosum esse et » desidem, nihil nostra curantem, nihil hominibus revelantem, religio- » nem proinde non esse, nisi humanum inventum atque excogitatum a » viris quibusdam inani futurorum metu perculsis et vana immortalitatis

(1) Ib. t. 6. p. 181.

» spe illectis. Item: nasci hominem liberum, nec cuiusquam obnoxium
» imperio, societatem propterea multitudinem esse hominum ineptorum,
» quorum stupiditas prosternuit se coram sacerdotibus, a quibus de-
» cipiantur et coram regibus, a quibus opprimantur, adeo ut, con-
» cordia inter sacerdotium et imperium nihil aliud sit, quam immanis
» conspiratio contra insitam hominis libertatem.

Ad hos errores couvellendos ait Sanctitas Sua debere Episcopos viribus uuitis et animo concordi adlaborare, munia episcopalia *libere, fortiter* et sine trepidatioue aut metu obeundo. Speciatim vero pervigilandum iu clericorum delectu et institutione; qui enim aut nullam, aut tenuissimam de se praebent expectationem clericali militiae haud adscribeudi. Quapropter iuxta opportuna decreta a concilio Tridcutino clericorum collegium iu unaquaque dioecesi instituendum, vel institutum couservandum et aptissimis legibus communiendum; nisi euim a teneris annis ad pietatem informetur et in literarum palestra exerceatur, in lubricum iter cito corruet adolescentium aetas.

Demum Episcopos universos admonet et hortatur, ut decorem domus Dei et eorum, quae divino cultui sunt addicta nitorem, dignitatemque apprime curent, quia his externis adminiculis fidelium animi in sacrarum rerum venerationem facile adducuntur.

Dat. Romae apud s. Petrum die 25 decemb. 1775.

CLIX.

De pseudophilosophia, bibliorum pervulgatoribus et societatibus occultis.

PIUS VIII universis per orbem Patriarchis, Primatibus,

Archiepiscopis, Episcopis.

Incipit *Traditi humilitati nostrae, etc.* (1).

Praenuntiata sua ad b. Petri Sedem evectione Deo benedicit s. Pontifex, qui tales in Dominici gregis custodia pastores suscitaverit, qui

(1) Ib. t. 9. p. 23.

commissos sibi fideles in viam iustitiae vigilanter deducunt, idcirco eorum sollicitudinem excitat super pericula, quibus praesens religiosa societas obnoxia est. Nam ubique locorum b. Petri Sedes diversatur, sacerdotalis ordo et hierarchia in contemptum adducitur, omnia, quae religionem sapiunt anilibus fabulis accensentur. Nefarii autem homines perversa philosophia imbuti dictitare non erubescunt nullum inter diversas religiones discrimen intercedere, posse quemlibet in sua religione salutem suam operari, illos esse vituperandos, qui propria religione abiecta, aliam qualemcumque, etiam catholicam, amplectuntur.

Adversus hosce veteratores edocendi sunt populi, ex religionibus, quae simul haud conveniant, si una vera sit, alteram necessario falsam esse, nullamque extare posse tenebrarum cum luce societatem. Pervigilandum est adversus bibliorum pervulgatores in vernacula lingua; nam per regulas indicis Tridentini concilii iussu editas bibliorum versiones in vulgarem linguam non sunt permittendae, nisi fuerint ab Apostolica Sede adprobatae et cum adnotationibus editae desumptis ex Ss. Ecclesiae patribus. Item et pervigilandum est adversus homines pravis et occultis sectis addictos, quos Clemens XII, Benedictus XIV, Pius VII et Leo XII iterato anathemate iam perculserunt, praesertim vero super novissima ex occultis hisce societatibus, quae ad adolescentium animos corrumpendos coaluit, qui in gymnasiis, atque liceis instituuntur.

Ut autem mala Ecclesiae impendentia praecaveantur impensiori sollicitudine curandum est clericorum institutioni in seminariis et praesertim parochorum delectui; amovendi fideles a noxiorum librorum lectione et pro ratione temporum (horum praesertim quae nacti sumus) de sanctitate matrimonii erudiendi.

Dat. Romae apud s. Petrum die 24 mai. 1829.



DE CONCILIIS OECUMENICIS.

I.

Patres Ephesinae Synodi monet Leo,
Petrum confessum fuisse Christum Filium Dei vivi.

LEO I Synodo, quae apud Ephesum convenit.

Incipit *Religiosa Clementissimi, etc.* (1).

Mittit Leo legatos ad Ephesinam Synodum coactam ad examinandam opinionem de Incarnatione. De illo tantum Pontifex monet eos Patres, ut in mente habeant, quod b. Petrus respondit Christo Apostolos interroganti, quem putarent, eum esse? *Tu*, inquit Petrus nomine omnium, *es Christus Filius Dei vivi; hoc est, tu qui es vere filius hominis, idem vere es Filius Dei.* Haec sola auctoritas Scriptnrarum valet ad confundendum haereticum Eutychetem. Eos etiam monet, ut, si Eutyches errorem snum agnoverit et abiuravit, in communionem recipiant.

D id. iunii Asterio et Protogene VV. CC. Coss. a. 449.

II.

Cassat gesta in Synodo Ephesina Leo.

LEO I et sancta Synodus, quae in urbe Roma convenit, Fausto, Martino, etc.

Incipit *Quamvis ea, etc.* (2).

Ad Archimandritas Constantinopolitanos scribit Leo, eos adhortans, ut firmam teneant Ecclesiae doctrinam de Incarnationis mysterio contra Eutychetem, ita ut *si quis evangelizaverit illis praeter id, quod acceperunt, anathema sit.*

(1) B. R. t. 1. p. 42. C. C.
(2) Ib. p. 42. C. C.

Tum cassat et annullat gesta in Synodo Ephesina, *quoniam contra iustitiam, vel canonum disciplinam per unius hominis impudentiam gesta sunt et nulla catholicae fidei ratio ea rata esse permittit.*

D. III. id. oct. Asterio et Protogene VV. CC. Coss. a. 449.

III.

Approbatio Synodi Chalcedonensis.

LEO I sanctae Synodo apud Chalcedonem habitae.

Incipit *Omnem quidem, etc.* (1).

Dubitantibus patribus, qui concilio Chalcedonensi interfuerunt, an Pontifex approbaret in eo acta contra Nestorium et Eutychetem, quia nullas a Leone litteras acceperant, respondet Leo, se omnia gesta per eos approbare; se quoque proinde damnare iuxta decreta Concilii et Nestorii et Eutychetis et Dioscori dogmata et eos omnes, qui illa amplectuntur.

Alia etiam decreta ab iis patribus Chalcedonem coactis approbat et confirmat, quippe quae consona iis, quae ipse Pontifex scripserat ad Constantinopolitanum Antistitem et Episcopos Palaestinae.

Dat. XII kal. apr. Opilione V. C. Cos. a. 453.

IV.

Conciliabulum Constantinopolitanum coactum sine licentia S. Sedis damnat Pelagius.

PELAGIUS II Episcopis,
qui ad Constantinopolitanam Synodum convenerunt.

Incipit *Manifesto, etc.* (2).

I. Ioannes Constantinopolitanus Episcopus ausus erat se generalem Episcopum subscribere et dicere et generale concilium cogere, cum

(1) Ib. p. 6. Ib. p. 45. C. C.
(2) B. M. t. 1. p. 14.

nulla sit generalis Synodus nisi a Sede Apostolica congregata, nec ulla Synodus auctoritatem habeat, nisi approbata ab eadem S. Sede fuerit.

II. Ergo conciliabulum istud Constantinopolitanum (cum Synodus appellari nequeat) Pelagius, ut congregatum a non habente potestatem, quae soli Petro et successoribus data est a Christo illis verbis, *quodcumque ligaveris, etc. quodcumque solveris, etc. — irritat et cassat et quaecumque in eo acta* sunt, reprobat, *neque ratum habet.* — Appellabant hoc tertium Constantinopolitanum Concilium.

III. Episcopos autem monet, ne pareant amplius Ioanni ita imperanti.

IV. Ioannes siquidem est excommunicatus. Nam et eius antecessores et ipse ad Pontifices scripserunt, se nunquam quidquam ausuros contra Apostolicam Sedem. Eorum litterae sunt in Romano archivio. Iam quid iniuriosius poterat agere Ioannes Romanae Sedi, quam usurpare sibi nomen generalis Episcopi et Concilium cogere, quae sunt S. Sedis praecipua iura? Quod si Ioannes errorem non deposuerit suum, Pelagius testatur, se nominatim eum excommunicaturum.

V. Tum eum coarguit, quod se generalem dicat Ioannes. Ex pura, putaque superbia hoc provenire ait Pelagius; eius superbiam proinde detestatur.

VI. Ut illum ergo fugiant, ut illum ad viam veritatis conentur reducere, hortatur Pontifex Episcopos; qui si paterne monito redire recusabit iterum minatur Pelagius, se illum a communione Ecclesiae expulsurum: *veniam et movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi poenitentiam egeris.*

VII. Episcoporum consultationibus respondet deinde Pontifex: in ea provincia, in qua est *unus Episcopus* et alii *decem, vel undecim suffraganei*, alicuius Episcopi eius provinciae causa ad Episcopos eiusdem provinciae tamquam iudices est deferenda, nisi maior auctoritas, hoc est Pontificis requiratur; neque ad alienos iudices recurratur, *nisi a iudicatis fuerit appellatum. Quod si causae nondum facile et iuste discernuntur, ubi fuerit Synodus regulariter congregata, canonice et iuste iudicentur.*

VIII. Ut pacem demum et concordiam sequantur, eos orat Pontifex et ad fugiendos eos, qui contra illos, quos revereri debent, armantur et alios excitant; innuere volens Ioannem, qui accusat et parvipendet Romanos Pontifices et in eos alios movet.

D. kalendis martii, indictione quinta, a. 589.

V.

Invitatio Episcoporum Thusciae ad Concilium Lateranense III.

ALEXANDER III Pisano Archiepiscopo et universis Episcopis et abbatibus per Thusciam constitutis.

Incipit *Quoniam in agro, etc.* (1).

Quoniam in agro Domini, qui est Ecclesia, tamquam spinae et tribuli nascuntur quotidie et pullulant germina vitiorum, ut ea evellat et virtutem inserat,

Ad generale concilium Romae in Laterano celebrandum ad primam dominicam advenientis Quadragesimae, Thusciae Episcopos et abbates invitat Alexander.

Hoc est Concilium generale XI, Lateranense III.

Datum Tusculani, XI kal. oct. a. 1177.

VI.

Invitatio ad Concilium generale Lateranense.

INNOCENTIUS III Archiepiscopis, Episcopis, abbatibus, prioribus, decanis per Teutonicas provincias constitutis.

Incipit *Vineam Domini, etc.* (2).

Cum *in vinea Domini* multa succrevissent mala semina, decrevit ea evellere Innocentius per generale concilium.

In eo agetur: I. De modo recuperandae Terrae S.; II. Et de reformatione universalis Ecclesiae.

(1) Ib. p. 46. B. R. t. 2. p. 450. C. C.
(2) Ib. p. 60. B. R. t. 3. p. 160. C. C.

Interim mittet Pontifex biennium cum dimidio ante per singulas provincias legatos, qui explorent quid sit correctione dignum, qui in unaquaque sint abusus mornm et disciplinae.

Praefigit pro termino kal. nov. an. 1215.

Habebitur apnd S. Sedem.

Eos hortatur, ut expensis parcant, nec plures secum adducant et pompam vitent. Veniant ipsi cum aliis prudentibns viris, expositurі libere quid sentiant, relaturi omnia de suis provinciis. Nemo putet se excusatum ob levia ferenda itineris incommoda.

Hoc Concilium Lateranense IV fuit XII sacrum oecumenicum universale, a. 1213.

VII.

Invitatio Praelatorum Angliae ad Concilium Lugdunense.

INNOCENTIUS IX abbatibus et prioribus per Angliam constitutis.

Incipit *Dei virtus, etc.* (1).

Pro negotio Terrae Sanctae, pro resistendi Tartaris modo, pro remedio afferendo Romano imperio, pro concordia inter Ecclesiam et principes Pontifex Lugdnnum concilium convocare vult.

Ad illud invitavit reges et principes, ad illud invitat Ecclesiae Praelatos. Invitat abbates et priores Angliae pro die vigesima quarta iulii.

Significat iis, citatnm fuisse imperatorem Fridericum, ut compareat vel per se, vel per nuntios suos, *responsurus Pontifici et aliis qui aliquid contra ipsum duxerint proponendum et satisfactionem idoneam praestiturus.*

Eos monet ut expensis *non sint nimis onerosi suis Ecclesiis.*

D. Lugduni III kal. feb. P. a. II. a. D. 1245.

Hoc fuit primum generale Concilium Lugdunense.

(1) Ib. p. 104. B. R. t. 3. p. 1. p. 299. C. C.

VIII.

Invitantur Episcopi ad generale Concilium Lugdunense II.

GREGORIUS X Patriarchae Hierosolymitano, Episcopis, etc.

Incipit *Salvator noster, etc.* (1).

Defecerant iam Graeci ab Ecclesia Romana. Saraceni de die in diem invalescebant et propius Terrae Sanctae minitabantur.

Juxta consuetudinem ergo Ss. Patrum, qui ad gravissima negotia Ecclesiae concilia convocabant, indicit Gregorius generale Lugdunum concilium (quod est XIV oecumenicum et Lugdunense secundum) ad ipsas calendas maias anni 1274.

Mittet interim navos homines ad praedicandum verbum Crucis.

Praelatos ergo Hierosolymitanae provinciae praecipue invitat, quoniam agitur de illorum re praesertim, ut omnes ad concilium accedant, uno, vel altero Episcopo in provincia relicto pro negotiis instantibus ipsius provinciae, ducantque secum viros probos et doctos.

Interim inquirant *subtiliter et scribant* fideliter, quae ad concilium deferant indigentia concilii auctoritatis.

Nullas causas morae praetendant, nullas adducant excusationes.

D. Later. kal. apr. P. a. I. a. D. 1272.

IX.

Invitat Angliae regem cum Episcopis illius regni Gregorius.

GREGORIUS X Angliae regi.

Incipit *In litteris, etc.* (2).

Tacuerat Pontifex in litteris indictionis generalis concilii locum, in quem deberent Praelati convenire, quia eius animus distrahebatur. Videbat, quae imminerent Italiae et praecipue Romae e sua illinc absentia pericula et discrimina, totoque animo ferebatur ad Italiam.

(1) Ib. p. 152. Ib. p. 4. C. C.
(2) B. M. p. 3. vel 1. 9. p. 58.

Sed cum instaret ingens negotium Terrae Sanctae (cuius dignitatem exponit pluribus) duxit satius in Galliam Lugdunum convocare concilium, urbem opportunam principibus et Praelatis, de consilio fratrum.

Ad eam ergo urbem regem invitat simul cum regni sui magnatibus et Praelatis.

D. apud Urbem Veterem id. apr. P. a. II. a. D. 1273.

X.

Archiepiscopum Senonensem cum eius suffraganeis vocat ad concilium Gregorius.

GREGORIUS X Archiepiscopo Senonensi, eiusque suffraganeis.

Incipit *In litteris, etc.* (1).

Idem quod scripserat Regi Angliae, scribit Gregorius Archiepiscopo Senonensi, eumque ad Concilium Lugdunum invitat cum suffraganeis suae provinciae, cum abbatibus, etc.

D. apud Urbem Veterem id. apr. P. a. II. a. D. 1273.

XI.

Rogat regem Angliae, ut differat coronationem post celebratum concilium, Gregorius.

GREGORIUS X Angliae regi.

Incipit *Celsitudine regiae, etc.* (2).

Statuerat rex Angliae coronari in regem eo tempore, in quo Gregorius indixerat generalem Concilium Lugdunum.

Praevidens multos Praelatos abfuturos a concilio, ut assistant regiae coronationi, rogat regem, ut in aliud tempus illam differat, neve patiatur praesentia sua, totque Episcopis Ecclesiam carere cum maxime praelatorum numero indigeat.

D. Lugd. kal. dec. P. a. II. a. D. 1273.

(1) B. R. t. 3. p. 2. p. 6. C. C.
(2) Ib. p. 83. C. C.

30

XII.

Invitatio ad concilium Viennense I
pro examinanda causa Templariorum militum.

CLEMENS V Philippo Francorum regi.

Incipit *Regnans in coelis, etc.* (1).

Cum maximae curae esset S. Sedi Terrae S. recuperatio et Templarii prae caeteris militibus gratam operam in hanc rem Ecclesiae impendissent, meruere a S. Sede plurima privilegia, gratias plurimas, et ordo plurima bona acquisivit; unde pedetentim coeperunt se vitiis dare et quidem turpissimis.

De his omnibus admonitus fuit Pontifex Lugduni, ubi fuit coronatus; alii retulerunt Pontifici eos esse apostatas, alii idololatras, sodomitas alii. Imo nuntii ipsius Philippi, qui rem omnem examinari voluit, ea vitia detexere.

Pontifex coram aliquibus Cardinalibus ipse examinavit septuaginta duos ex his militibus, praeceptores, presbyteros, milites, detexitque eorum infamiam, eorumque confessiones descriptas dedit tribus Cardinalibus examinandas.

Interim magister et praeceptores veniam a Pontifice impetrarunt, tradideruntque Pontifici scripturas.

Mandavit ad haec Clemens omnibus Ordinariis locorum, in quibus essent Templarii, ut eorum mores inquirerent et omnia diligenter exscriberent.

Indicit propterea generale Concilium Viennam, quod est XV oecumenicum, Viennense primum, ad kalendas octobris an. 1309. In quo agetur de ratione recuperandae Terrae Sanctae et de Templariis.

Iubet Praelatos venire Viennam, iubet eos ferre secum examina in Templarios. Rogat regem Philippum, ut studeat eidem personaliter interesse.

D. Pictavis II id. aug. P. a. III. a. D. 1307.

(1) B. M. t. 1. p. 184. Ib. p. p. 113. C. C.

XIII.

Invitatio ad Concilium Constantiense.

IOANNES XXIII ad p. r. m.

Incipit *Ad pacem, etc.* (1).

Iam Alexander V *in sacro generali concilio tunc praesidens, ex quibusdam magnis et arduis causis ipso approbante Concilio inter caetera decreverat, ut iterum ex tunc generale Concilium in triennium convocaretur a se, vel a successore in loco, qui videretur ipsi, vel suo successori.*

Eo mortuo, Ioannes illud convocaverat Romam *ereptam paulo ante e manibus hostium.* Sed cum exiguus Praelatorum numerus advenisset, prorogavit convocationem, aliumque locum se designaturum pronuntiavit.

Interim Sigismundus Romanorum imperator et rex Hungariae misit ad Pontificem, qui post casum Romae, curiam habeat Florentiae, ut indiceret concilium Constantiam dioecesis Moguntinae.

Eo igitur illud Ioannes indicit ad kalendas mensis novembris an. 1314.

Hortatur omnes Ecclesiarum Praelatos, omnes reges et principes, ut ipsi veniant, vel saltem suos oratores ad Concilium mittant.

Nulli ergo, etc. Si quis, etc.

D. Laudae V id. dec. P. a. IV. a. D. 1413.

XIV.

Indictio concilii Basileam et deputatio Card. Iuliani in praesidem.

MARTINUS V Card. Iuliano S. Sedis Legato.

Incipit *Dum onus, etc.* (2).

Constantiense Concilium iusserat, ut post quinquennium generale concilium indiceretur et post illud aliud ad septennium haberetur, demum de decennio in decennium cogerentur oecumenici conventus et in quolibet concilio assignaretur locus, ubi futurum esset habendum.

(1) Ib. p. 287. Ib. p. 417. C. C.

(2) Ib. p. 314. B. R. t. 3. p. 2. p. 371. C. C.

Cum itaque in Senensi Synodo fuerit decretum, ut Basileam cogeretur, hoc illuc indicit Pontifex. Senense factum fuit post quinquennium a Constantiensi; hoc est illud, quod post septennium erat tenendum. Sed cum illi Pontifex interesse non possit, deputat Cardinalem Iulianum, qui praesideat.

In eo reformandus est status ecclesiasticus, extirpandae haereses, pax inter principes firmanda.

Cardinalis possit per censuras coërcere rebelles et contradictores, appellatione remota, proponere, quae profutura crediderit.

Ad quae strenue peragenda illum hortatur Martinus.

D. Romae apud Ss. Apostolos kal. feb. P. a. XIV. a. D. 1431.

XV.

Dissolutio Concilii Basileensis.

EUGENIUS IV ad p. r. m.

Incipit *Quoniam alto, etc.* (1).

Vix Pontifex electus Eugenius dissolvere curavit Concilium Basileense. Multas affert causas, quare id faciat:

I. Nempe quia haeresis Bohemica pervenit et inter partes illas.

II. Quia nonnulli clerici, qui in concilio sunt, hac labe sunt infecti.

III. Quia bellum proximum illi urbi cito exardescet inter Ducem Austriae ex una parte et Ducem Burgundiae ex alia.

IV. Quia cum imperator Orientis agat de unione suae Ecclesiae cum latina, Pontifex vult ipse interesse concilio; ac proinde tam longum iter suscipere non potest.

V. Quocirca illud Bononiam transfert urbem opportunam admodum.

Omnes igitur eo invitat infra annum a die publicationis praesentium, poenam excommunicationis minitans omnibus Praelatis, si, legitime impeditis exceptis, Bononiam non se contulerint. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud s. Petrum II id. nov. P. a. I. a. D. 1431.

(1) B. M. p. 5. vol. 1. 2. p. 235.

XVI.

Hortatio ad Archiepiscopum Cantuariensem, ut Bononiam cum suis Episcopis veniat ad concilium, quo Basilea fuerat translatum.

EUGENIUS IV Archiepiscopo Cantuariensi.

Incipit *Quoniam ex multorum, etc.* (1).

Praedecessor Papa Martinus convocaverat Basileam Concilium et interim mortuus est. Subrogatus fuit Eugenius, qui aliud convocavit Bononiam, Basileensi, a quo fuerat condemnatus et depositus, dissoluto.

Renuebant Patres eius concilii parere Eugenio; namque aiebant eum locum fuisse iam electum et iussum a Concilio Constantiensi, approbatum iussumque iterum a Concilio Senensi et a Martino V eo indictum; neque posse Pontificem, quod duo generalia concilia et Pontifex iusserant, impedire, quin fieret; se velle esse liberos in decidendis negotiis religionis, quam libertatem imminutam fore credebant, si Bononiam se contulissent.

Contra Pontifex afferebat rationes, quare vellet illud Bononiae haberi; in regione tam dissita, quo ipse ob infirmam valetudinem non posset ire; in quo concilio, cum res maximi momenti peragendae essent, nempe reformatio universalis Ecclesiae, ipse interesse volebat, nec rem tanti momenti per legatos fieri permittere; addit et alias in proxima superiore const. relatas, *alias etiam* reticet, *quae explicari non poterant sine quorumdam principum nota.*

Quaedam etiam dicit contra Patres illos, qui remanere voluerant Basileae, a qua urbe ipse eos Bononiam evocaverat.

Hortatur itaque Archiepiscopum, ut Bononiam veniat, ut conetur revocare Episcopos suos suffraganeos a concilio Basileensi, ut roget principes, ut retrahant Episcopos suae ditionis ab illo et Bononiam mittant.

D. Romae apud s. Petrum III idus febr. P. a. I. a. D. 1431.

(1) Ib. p. 233.

XVII.

Eadem hortatio ad ducem Bedfordiae.

EUGENIUS IV Ioanni duci Bedfordiae.

Incipit *Quoniam ex multorum, etc.* (1).

Eadem, quae scripserat Archiepiscopo Cantuariensi de translatione concilii Basileae Bononiam, scribit Eugenius duci Bedfordiae;

Illumque rogat, *ut pro maiestate* concilii mittat suos oratores et Episcopos suae ditionis morantes Basileae revocet perducatque, ut Bononiam se conferant.

D. Romae apud s. Petrum III id. febr. P. a. I. a. D. 1431.

XVIII.

Significat Pontifex Patribus Basileensis Synodi, quid egerit cum oratoribus imperatoris Orientis.

EUGENIUS IV fratribus in Basileae concilio congregatis.

Incipit *Existimantes, etc.* (2).

Exponit Eugenius Episcopis coactis Basileae in concilio quae inter se et oratores Orientis imperatoris agitata sint.

Hi petebant ut concilium haberetur Anconae, vel in aliqua urbe, quae portum haberet. Pontifex ne expensas inutiles faceret, misit Constantinopolim nuntios, qui cum illo agerent, sicuti factum fuerat in sexta Synodo Constantinopolitana.

Et quoniam imperator miserat nuntios ad Concilium Basileense de hac etiam re, et concilium scripserat Eugenio, quid egerit cum illis nuntiis, Eugenius Patres laudat, aitque, unionem in hac re esse necessariam, se scripturum ad eos, quidquid aget, rogare Patres, ut ipsi quoque Romam scribant, quidquid agent.

D. Florentiae VII cal. dec. P. a. IV. a. D. 1434.

(1) Ib. p. 234.
(2) B. M. p. 3 ib. p. 237.

XIX.

Patres Concilii Basileensis credant nuntiis Ap.

EUGENIUS IV fratribus in concilio Basil. congregatis.

Incipit *Pro nonnullis, etc.* (1).

Cum miserit Eugenius nuntios suos ad Patres concilii Basileam, scribit eisdem, ut iis plenam adhibeant fidem in iis, quae exponent.

D. Florentiae XIV cal. martii, P. a. V. a. D. 1435.

XX.

Approbat Eugenius voluntatem concilii de unione Ecclesiae Graecae cum Latina.

EUGENIUS IV fratribus in concilio Basil. congregatis.

Incipit *Venerunt ad praesentiam, etc.* (2).

Acceperat Pontifex nuntios missos a concilio, qui retulerant voluntatem concilii pro unioue Ecclesiae Graecae cum Latina.

Eugenius approbat eorum voluntatem; ait, se missuros ad Patres concilii nuntios, qui agenda illis exponent.

D. Bononiae VI cal. martii, P. a. VI. a. D. 1436.

XXI.

Invitatio ad concilium Ferrariam, quo imperator Orientis Venetias appulsus ire volebat.

EUGENIUS IV ad p. r. m.

Incipit *Magnas omnipotenti, etc.* (3).

Gratias Deo agit Pontifex, quod post longum dissidium utramque Ecclesiam orientalem et occidentalem unire vult.

(1) Ib. p. 238.

(2) Ib. p. 238.

(3) B. M p. 1 p 329. B. R. 1 3 p 3 p. 19. C. C.

Iam Ioannes Palaeologus imperator Constantinopolitanus Venetias advenerat cum Iosepho eiusdem urbis Patriarcha, cum multis Metropolitis et Episcopis. Sed quia Basileam ire imperator nolebat iustas ob caussas, sed volebat Ferrariae haberi concilium, omnes Ferrariam invitat Pontifex, oratque, ut sine cunctatione veniant ad opus tam salutare.

D. Ferrariae die IX april. P. a. VII. a. D. 1437.

XXII.

Rogat Bavariae ducem Pontifex, ut ad dietam Norimbergam se conferat et curet pacem Ecclesiae.

EUGENIUS IV Alberto Bavariae Duci.

Incipit *Cum venerabiles, etc.* (1).

Indicta fuerat Norimbergam ab imperatore Sigismundo et, eo mortuo, ab Alberto imperatore, dieta, in qua quaereretur modus reddendae pacis Ecclesiae,

Habendi futuri concilii locus,

Et ratio supplicandi Pontifici, ne puniret Episcopos, qui Basileae remanserant, nec voluerant Eugenio parere.

Pontifex Albertum rogat, ut ad dietam se conferat, *studeat assistere iustitiae et innocentiae Pontificis* et curet pacem Ecclesiae restitui.

D. Ferrariae IV id. aug. P. a. VIII. a. D. 1438.

XXIII.

Licet reprobarit Eugenius Concilii Basileensis edita, ab eo tamen statuta pro natione Germanica confirmat.

EUGENIUS IV ad p. r. m.

Incipit *Ad tranquillitatem, etc.* (2).

Fridericus III Romanorum imperator, aliique Germaniae principes petierunt a Pontifice, ut quaedam decreta ad nationem Germanicam

(1) B. M. p. 3. vel t. 9. p. 239.

(2) Ib. p. 249.

spectantia edita in concilio Basileensi et iam acceptata ab imperatore Alberto permitteret Pontifex ut observarentur, licet illud concilium reprobarit.

Permittit Eugenius, dummodo quaedam modificationes adiiciantur et ne quid detrimenti inde percipiat Romana Sedes et catholica fides.

Nulli ergo, etc. Si quis, etc.

D. Romae apud s. Petrum non. feb. P. a. XVI. a. D. 1446.

XXIV.

Retractatio scriptorum pro Concilio Basileensi contra Pontificis auctoritatem.

PIUS II rectori et universitati scholae Coloniensis.

Incipit *In minoribus, etc.* (1).

Pius *in minoribus agens, non sacris ordinibus initiatus, Basileae inter eos agens, qui generale concilium facere et universitatem Ecclesiae repraesentare aiebant, dialogorum quemdam libellum* ad rectorem et universitatem Coloniensem scripsit, in quo de anctoritate concilii, ac de gestis Basileensium Patrum et Eugenii Papae contradictione ea probavit, vel damnavit, quae probanda, vel damnanda censuit.

At Pontifex factus, quae scripserat considerans, ea retractat et damnat, *ut sagitta, quae vulneravit, opem afferat.* Ignoranter scripsit libellum illum. Imitans ergo d. Augustinum verecunde fatetur, se peccasse; hortatur Coloniensem universitatem, ut fidem nullam habeat iis, quae scripsit, orat, ut Æneam (nomen hoc erat Pii) reiiciat et Pium recipiat.

Neque quisquam dicat cum Pontificatu eum mutasse sententiam. Narrat longo verborum circuitu quomodo res gesta sit.

Vix e schola egressus Pius cum Cardinali Capranica petiit Basileam. Praeerat concilio Cardinalis Iulianus, nomen ingens, qui ut audivit, Eugenium revocasse concilium, praesidentiam deposuit. Sed cum in dies

(1) Ib. p. 376. Ib. p. 100. C. C.

singulos Roma veuirent Cardinales, ex Gallia et Germania oratores Basileam adventarent, resumpsit praesidentiam Iulianus, persuasitque eloquentia sua, illud esse verum concilium. Quotquot autem Roma veniebant, detrahebant Eugenio, sermonibusque carpebant acribus ut indignum Pontificatu. Credidit Pius, scripsit propterea.

Interim pax inita fuit cum concilio et Eugenio.

Renuente autem Michaële Palaeologo Orientis imperatore Basileam se conferre, indixit Eugenius concilium in Italia primum Ferrariam, ac demum Florentiam. Renuerunt Episcopi multi eo ire, malebant enim concilium pro unione Graecorum teneri aut in Gallia, aut in Sabaudia. At non pauci Basilea profecti erant in Italiam. Reliqui Basileae permanentes elegerunt Amadeum Sabáudiae Ducem in Pontificem sub nomine Felicis V.

Nunquam dubitatum est de eius canonica electione, nisi cum Fridericus Romanorum rex Aquisgrano rediens, ubi fuerat coronatus, et Basileam petens, noluit cum Felice loqui. Tunc addubitatum est de eius electione.

Interim regressus Hungaria Cardinalis Iulianus venit Flavinianum, ubi erat Pius; coepitque cum illo disputare de Eugenio et de concilio Basileensi; pluribusque rationibus ostendit Iulianus, Felicem esse vere antipapam. Idem dixit Ioannes Caravaialis Hispanus, postea Cardinalis. Sed quod magis movit Pium fuit, quod Fridericus pro unione Ecclesiae rogavit Pontificem, ut convocaret concilium Constantiam, eo ituros omnes Germanos, ut convenerat in dieta habita Norimbergae; quod recusarunt Basileenses.

Cognito ergo errore, venit Romam Pius, *Eugenio Papae caput submisit, reiecitque* Basileense dogma.

Romae presbyteratus ordinem accepit. Thomae Sarazani theologi summi (qui fuit Pontifex Nicolaus V) opera multum adiutus ad cognoscendam veritatem fuit.

Hic Pontifex latius sese extendit exponens quae de Ecclesia et de Pontifice sentiat. De Pontifice loquens, colligit omnia, quae d. Bernardus scripserat ad Eugenium III.

Si quae alias contraria iis, quae hic de Pontifice et Ecclesia scripsit scripserat in eo libello, *ut iuvenilis animi parum pensata iudicia revocat, atque omnino respuit.*

D. Romae apud s. Petrum VI cal. mai. P. a. V. a. D. 1463.

XXV.

Quidam Cardinales, instigante Maximiliano imperatore, indicunt concilium Pisas; eos invitat ad unitatem Ecclesiae Iulius.

IULIUS II ad p. r. m.

Incipit *Coelestis altitudo, etc.* (1).

In assumptione ad Pontificatum iuraverat et votum ediderat Iulius, se iuxta decreta concilii Constantiensis convocaturum quamprimum concilium generale.

Negligentia eorum Cardinalium, qui cum Iulio versabantur, factum fuit, ut nunquam fuerit coactum.

Ergo Franciscus t. s. Clementis Card. Pr. Episcopus Concordiensis et Guillelmus Card. Episcopus Praenest. et Bernardinus Card. Ep. Sabin. instigatione Maximiliani Romanorum imperatoris et Ludovici Francorum regis, indixerunt Pisas concilium, aientes se id facere ob negligentiam Pontificis, cui potiora erant arma, quam Ecclesia.

Revocaverat iam indictionem huius conciliabuli Iulius, monueratque praedictos Cardinales, ut ad Ecclesiam redirent, ne schisma in ea facerent.

Sed cum omnia frustra cessissent, in virtute sanctae obedientiae iterum eos vocat ad unitatem; ni faciant, eos monet se illos habiturum pro haereticis, pro reis laesae maiestatis; privaturum eos dignitate Cardinalitia et Episcopatu, etc. quod etiam intelligi debet de eorum fautoribus.

Praescribit etiam eis terminum, quo elapso ad executionem minarum procedet.

Vult haec publicari; interim vetat in eos, in eorum bona impetum fieri. N. O. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud s. Petrum V cal. aug. P. a. VIII. a. D. 1511.

(1) B. M. p. 4. vel t. 10 p. 15.

XXVI.

Indictio Lateranensis (fuit quintum) *Concilii.*

IULIUS II ad p. r. m.

Incipit *Sacrosanctae Romanae, etc.* (1).

Antequam Pontifex indicat concilium, narrat quomodo tres Cardinales, qui eum comitari Bononiam usque finxerant, repente aufugerunt, contulerunt se Florentiam, *inde pro sacerdotalibus vestibus thorace induti et gladiis accincti* Papiam iverunt, ibique concilium Pisas generale indixere.

Tum diluit ea, quae Cardinales *in carta indictionis concilii* dixerant, Papam subterfugere concilium, iurasse, se convocaturum illud, neque iuramentum servasse; eum fecisse contra decretum concilii Constantiensis iubentis, saltem ad quinquennium haberi concilium.

Respondet Pontifex, tantum abesse, ut fugiat concilium, ut in odium Alexandri VI devenerit, eo quod flagitabat concilium; iurasse se illud coacturum, sed cupido recuperandi terras Ecclesiae in caussa fuit, cur distulerit; neque praedecessores, praeter Eugenium IV, paruisse decreto Constantiensi et neminem in eos ob id odium concitasse.

Iam negat, Cardinales habere facultatem convocandi concilia; hoc esse solius Pontificis; neque tres Cardinales posse repraesentare Ecclesiam, neque eos posse decidere quaestiones fidei.

Praeterea arguit ut nimis breve spatium trium mensium pro futuro concilio. Qui poterant principes mittere tam breve intra spatium Pisas usque Episcopos et oratores?

Demum Pisas ipsas ait esse urbem minus commodam ad recipiendos tot Praelatos; praecipue cum circumsonent arma Pisanorum et Florentinorum inter se bellantium.

Damnato ergo Pisano conciliabulo indicit generale concilium (*Lateranense quintum*) habendum Romae in Ecclesia Lateranensi post festum Resurrectionis dominicae an. 1512, incipiendum die Lunae, quae erit XIX mensis aprilis *(fuit prorogatum usque ad diem III maii ab ipso Iulio).*

(1) B. M. t. 1. p. 510. B. R. t. 3. p. 4. p. 323.

Eo invitat Ecclesiae praelatos, imperatorem, regesque et principes aut saltem oratores eorum, qnibus salvum-condnctum promittit, iubetque cunctis gubernatoribus status ecclesiastici, nt eos recipiant et tractent quam optime.

D. Romae XV cal. ang. P. a. VIII. a. D. 1551.

XXVII.

Damnatio conciliabuli Pisani.

IULIUS II ad p. r. m.

Incipit *Cum inchoatam, etc.* (1).

Damnat Inlius praedictum conciliabulum Pisanum et omnia simul, quae in eo acta fuerant et agentur, conventiculam schismaticam appellans.

Approbatis prius, quae in duabus sessionibus in Lateranensi concilio erant acta; assignatnr dies qnarta novembris pro sessione tertia: qnae ideo differtur, nt transmarinis Praelatis veniendi tempns detur. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae in sessione publica in Lateranensi sacrosancta basilica celebrata XVI cal. innii, P. a. IX. a. D. 1512.

XXVIII.

Confirmatio actorum Concilii Lateranensis.

LEO ad p. r. m. sacro approbante concilio.

Incipit *Constituti iuxta, etc.* (2).

Cum illa tria, ob quae Iulius II convocaverat Concilinm Lateranense et proseqnntus illud Leo fuerat: I. concordia principnm christianorum; II. reformatio Curiae; III. abrogatio pragmaticae sanctionis in Gallia, ad optatum finem perducta fuissent, nihil restabat aliud, nisi ut approbarentur acta in concilio et illud dissolveretur.

(1) Ib. p. 525. Ib. p. 348. C. C.
(2) Ib. p. 565. Ib. p. 424. C. C.

Ac primum rata habent quaecumque in illo acta sunt imperator et reges et principes; Tum Pisanum conciliabulum, gestaque in eo damnant.

Demum pax inter principes per suos oratores inita fuit.

Pontifex omnia in XI sessionibus in eo concilio statuta, disposita, sancita confirmat, poena excommunicationis lata in eos, *qui super gesta glossare volent et interpretari.*

Ut autem ex hac sincera pace principum christianorum aliqua utilitas redundet in catholicam religionem, expeditionem in Turcas pro recuperatione Constantinopolis indicit.

Hortatur ad perpetuam pacem principes. Et dimittit Episcopos, praelatosque domum suam, qui concilio interfuerant. N. Ɒ. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae in publica sessione in Lateranensi sacrosancta basilica solemniter celebrata XVII cal. apr. P. a. IV, a. D. 1516.

XXIX.

Indictio oecumenici concilii Mantuam.

PAULUS III ad p. r. m.

Incipit *Ad Dominici, etc.* (1).

Cum Lutheri, Calvinique haereses excrescerent de die in diem, insisteretque Carolus V praecipue inter alios principes, ut ad eas extirpandas cogeretur generale concilium, quod remedium aliis temporibus semper inventum fuit optimum, et Turcae iam praevalerent, ut contra eos pararetur catholicorum principum expeditio,

Paulus illud indicit, *ut habeatur in civitate Mantuana, loco tuto, commodo, fertili, ac domorum et bonarum ,habitationum copia praedito, anno Domini MDXXXVII, die XXIII mensis maii, quae erat feria quarta post Pentecostes festum.*

(1) B. R. t. 4 p. 1. p. 143.

Invitat omnes Ecclesiae Praelatos, invitat principes, ut, si possunt, veniant ipsi, aut saltem suos oratores mittant.

Ostendit illud postulatum fuisse ab imperatore Carolo V et ab eius fratre Ferdinando I Romanornm rege et a Francisco I Galliarum rege apud Clementem VII. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud s. Petrum die IV iunii, P. a. II. a. D. 1536.

Pontifex et Cardinales sese indictioni huic subscribunt.

XXX.

Concilium indictum Mantuam translatumque Vicentiam, cogendum edicitur in urbem Tridenti.

PAULUS III ad f. r. m.

Incipit *Initio nostri, etc.* (1).

Urgentibus haeresibus, quae in dies disseminabantur, urgentibus bellis inter principes, ut illis et his modum aliquem imponeret Pontifex, generale concilium indixerat Mantuam ab an. MDXXXVII.

Duce Mantuae nonnulla exigente, quae putavit Pontifex non esse S. Sedis concedere, Venetis consentientibus, illud indixerat Vicentiam. Cardinalos legati eo se contulerant recepturi, qui venissent, Episcopos.

Bellum interim fervebat inter Carolum V imperatorem et Franciscum Galliarum regem. Pontifex quoniam inter eos non potuit pacem componere, decemnales indncias fecit.

Minabatur Hungariae Turca, omnes principes erant solliciti et suspensi, quem finem habiturum esset illud bellum.

Haeresi interim per Germaniam serpente latius, Carolus principum dietam convocavit, edictumqne *(interim)* emisit, quo iubebat, ne res innovarentur quoadusquo concilium haberetur. *Quo edicto vehementer indoluit aula Romana clamitans, id statuere esse sui iuris, non imperatoris.*

(1) B. M. t. 1. p. 759.

Nolentibus Germanis in Italiam ad concilium progredi, necesse fuit urbem aliquam éligere, quae nec nimis Italia distaret et Germanis esset commoda.

Urbs Tridenti visa optima, quippe quae iacet inter Germaniae Italiaeque confinia. Principes eam approbarunt. Itaque concilium a Paulo eo indicitur ad calendas novembris anni MDXLII.

Monet ergo Patriarchas, Primates, Episcopos, etc. ut ad statutum tempus Tridentum se conferant, hortatur principes ut aut ipsi veniant, aut ut legatos suos mittant.

Publicationem huius indictionis fieri iubet, et post duos a publicationis die menses, Ecclesiasticae personae in dignitate constitutae illi ad parendum erunt adstrictae.

D. Romae apud s. Petrum XI cal. iunii, P. a. VII. a. D. 1542.

XXXI.

Suspensio concilii ob armorum metum.

PAULUS III ad p. r. m.

Incipit *Etsi cunctis, etc.* (1).

Iam indictum erat concilium Tridentum. Miserat Paulus nuntios suos eo, qui praesiderent concilio; cum audisset a Carolo et Francisco Galliarum rege bellum apparari, miserat ad eos legatos, qui ad pacem illos inducerent; immo ipse Pontifex Bononiam venit, ut ad pacem ore tenus utrumque promoveret.

Cum nihil profecisset Pontifex et illi ad arma ruissent et immineret etiam Hungariae Turca revocavit legatos Tridento, conciliique celebrationem suspendit, quoad periculum evanuerit. N. O.

Vult suspensionem hanc publicari ad omnium Episcoporum notitiam. *Nulli ergo, etc.*

D. Bononiae prid. non. iulii, P. a. IX, a. D. 1543.

(1) Ib. p. 222. C. C.

XXXII.

Reassumptio concilii.

IULIUS III servus servorum Dei.

Incipit *Cum ad tollenda, etc.* (1).

Institerat Carolus Romanorum imperator Pontifici, ut reassumeret interruptum Tridentinum Concilium.

Precibus imperatoris permotus Iulius indicit calendas maias *ad ipsum reassumendum in quo reperiebatur statu et prosequendum.*

Polliceturque ad praedictum diem se Tridentum missurum legatos suos, qui concilio praesideant. N. O.

D. Romae apud s. Petrum VIII cal. dec. P. a. I. a. D. 1550.

XXXIII.

Prosequutio concilii et invitatio Episcoporum ad illud.

PIUS IV ad p. r. m.

Incipit *Ad Ecclesiae, etc.* (2).

Concilium Tridentinum aliquibus de causis fuerat translatum Bononiam. Sed Iulius III illud iterum Tridentum reduxit.

In Italia et in Gallia bello exardescente concilium iterum suspensum fuit. Quo tempore suspensionis haereses increbuerunt; quibus obviam ire parans Pius iubet, ut Patres Tridenti prosequantur concilium et proximam sessionem teneri mandat in diem Paschatis a. D. 1561.

Absentes Praelatos ad concilium ire hortatur, imperatorem, reges, principes hortatur, ut vel ipsi ad concilium eant vel oratores suos mittant.

D. Romae apud s. Petrum III cal. dec. P. a. I. a. D. 1560.

(1) Ib. p. 277. C. C.

(2) B. M. t. 2 p. 36. B. R. t. 4. p. 2. p. 57. C. C.

XXXIV.

Praescriptio ordinis in sedendo.

PIUS IV ad p. r. m.

Incipit *Sicut ea, etc.* (1).

Ne lites orirentur inter Praelatos, statuit Pius, ut Patriarchae primi praecedant in sedendo et se subscribendo; deinde Archiepiscopi, tertio Episcopi, unusquisque habita ratione annorum promotionis ad Ecclesias, nihil attendentes ad praeferentiam earumdem Ecclesiarum. N. O.

D. Romae apud s. Petrum cal. ianu. P. a. I a. D. 1560.

XXXV.

Privilegia data Patribus concilio intervenientibus.

PIUS IV ad p. r m.

Incipit *Circumspecta Romam, etc.* (2).

In signum grati animi Pontifex Episcopis in suis Ecclesiis residentibus dat facultatem nominandi etiam ad dignitates et ad illa beneficia, quae pertinerent ad Pontificem tamquam vacantia in suis mensibus;

Quae privilegia concedit et illis Praelatis, qui sunt aut in concilio, aut in itinere, ut ad concilium veniant, quos vult tamquam in suis Ecclesiis residentes omnibus privilegiis frui;

Eosque insuper a solutione decimarum eximit. N. O. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud s. Petrum cal. mart. P. a. II. a D. 1561.

XXXVI.

Ne molestentur litibus Patres dum adsunt concilio.

PIUS IV M. P.

Incipit *Cum ob celebrationem, etc.* (3).

Aliud privilegium concedit Pius Episcopis in conc. Trid. existentibus.

Nempe ut, dum inibi sunt, nemo lites iis movere possit et motis iam interim supersedeat. N. O. P. M. P. I.

(1) Ib. p. 37. Ib. p. 61. C. C.

(2) Ib. p. 43. Ib. p. 69. C. C.

(3) Ib. p. 44. Ib. C. C.

XXXVII.

Deputat Pius quinque legatos ad Tridentinum Concilium.

PIUS IV dilectis filiis, etc.

Incipit *Regimini et curae, etc.* (1).

Ob regimen universalis Ecclesiae cum non posset Pius se conferre Tridentum ad praesidendum concilio, deputat quinque legatos de latere auctoritate apostolica, qui nomine Pontificis illi praesideant, quos esse vult tamquam angelos pacis, qui agant pro sua prudentia et pietate, quae calamitosis Ecclesiae temporibus expedire crediderint.

Hi autem legati erunt Iacobus tit. s. Mariae in via Puteus, Hercules s. Mariae Novae de Mantua, Hieronymus s. Susannae Seripandus, Stanislaus Varmiensis Osius, Ludovicus s. Cyriaci Simonetta Cardinales.

D. Romae apud s. Petrum VI id. mart. P. a. II. a. D. 1561.

XXXVIII.

Confirmatio actorum et decretorum a concilio.

PIUS IV ad p. r. m.

Incipit *Benedictus Deus, etc.* (2).

Tandem concilio Tridentum coacto a Paulo III, a Paulo IV et a Iulio III continuato totque vices passo finis imponitur.

Laus maxima debetur Ferdinando imperatori, regibus Galliae, Hispaniaeque et rebuspublicis, qui per suos oratores illud feliciter transigi curarunt.

Ita rogante concilio, omnia, quae ab eo acta sunt, confirmat Pius;

Praecipit, omnia ab eo decreta observari ab omnibus; mandatque Praelatis, ut in eo statuta ab omnibus servari faciant in suis dioecesibus.

(1) Ib. p. 1). C. C.
(2) Ib. p. 111. Ib p. 6². C. C.

Vetat, quemquam edere super eo commentarios, interpretationes, etc. ipse sibi soli reservans Pontifex facultatem explicandi, quid Synodus intelligere voluerit. Hoc decretum publicari mandat. N. O.

Nulli ergo, etc.

D. Romae apud s. Petrum IV id. sept. P. a. V. a. D. 1564.

XXXIX.

Quandonam decreta concilii obligare inceperint.

PIUS IV ad p. r. m.

Incipit *Sicut ad sacrorum, etc.* (1).

Quaerebatur inter Christi-fideles, quandonam Concilium Tridentinum obligare coeperit, reformationem et ius positivum?

Decernit Pontifex, illud coepisse ligare a calendis maii, an. D. 1564, licet a calendis ianuarii eiusdem anni Romae coeperit observari.

Ideo autem tunc ligare coepit, quia tum typis editum prodiit in publicum. M. O. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud s. Petrum XV cal. aug. P. a. V. a. D. 1564.

XL.

Institutio congregationis octo Cardinalium, ad quam deferantur dubia super intelligentia concilii

PIUS IV M. P.

Incipit *Alias nonnullos, etc.* (2).

Ut constitutiones a se editae pro reformatione morum et curialium et decreta Concilii Tridentini observarentur, instituit Pius congregationem octo Cardinalium, qui dicuntur Interpretes Concilii;

Quorum munus esset efficere, ut exequerentur omnes easdem constitutiones editas iuxta mentem concilii et eiusdem concilii decreta,

(1) Ib. p. 118. Ib. 178. C. C.
(2) Ib. p. 119.

Et solvere dubia, quae super iisdem decretis possent nasci;

Cui congregationi mandat Pontifex ab omnibus obedientiam praestari.

Ceterum haec congregatio est inter primas Cardinalitias congregationes; eiusque Praelatus secretarius inde non removetur, nisi promoveatur ad Cardinalatum. N. O.

P. M. P. O.

XLI.

Congregationi concilii dat facultatem absolvendi male promotos, etc. Gregorius.

GREGORIUS XIV ad f. r. m.

Incipit *Ut securitati, etc.* (1).

Ut consulat Gregorius quieti quorumdam ordinatorum cum dimissoriis facultatem sufficientem a non habentibus, aut percipientium fructus beneficiorum male,

Dat Gregorius facultatem congregationi Cardinalium absolvendi primos in utroque foro, et condonandi fructus secundis. N. O.

D. Romae apud s. Petrum die XXII feb. P. a. I. a. D. 1591.

XLII.

De modo agendi causas in hac congregatione.

INNOCENTIUS XII. Edictum.

Incipit *Non si debba, ecc.* (2).

I. Nulla causa deferatur ad hanc congregationem, quin cum illa unita sit Ordinarii relatio;

II. Saltem quindecim dies ante debebit exponens comparere ante secretarium congregationis *ad concordandum de dubio et de partibus.*

(1) B. R. t. 5. p. 1. p. 251. C. C.

(2) B. M. t. 7. p. 265.

III. Eodem tempore ad secretarium deferantur scripturae.

IV. Saltem septem dies ante debebit indici, *qualiter caussa fuerit descripta* et si pars sit contumax ad comparendum, *nullae dilationes dentur.*

V. Cuicumque Cardinali congregationis dabuntur scripturae facti et iuris cum summario.

VI. Etiam responsiones.

VII. In caussis in integrum *ob nullitatem professionis* dabuntur relationes Ordinarii et superiorum ordinum in forma authentica.

VIII. In caussis gratiarum dabuntur scripturae die Lunae ante habendam congregationem.

Die XVII sept. a. D. 1695.

XLIII.

Damnatur mos appellandi ad futurum concilium.

PIUS II ad p. r. m.

Incipit *Execrabilis et pristinis, etc.* (1).

Morem appellandi ad futurum concilium, omnibus retroactis saeculis inauditum, vetat Pius cuicumque imperiali et regali dignitate fulgenti sub interminatione excommunicationis ipso facto incurrendae, nec absolvendae nisi per Romanum Pontificem.

Nulli ergo, etc.

D. Mantuae XV kal. febr. P. a. II. a. D. 1459.

XLIV.

Damnatur et a Iulio II idem mos.

IULIUS II ad p. r. m.

Incipit *Suscepti regiminis, etc.* (2).

Senatus Venetus requisitus fuerat a Iulio II ut restitueret S. Sedi aliquot loca, quae dicebat a Venetis occupata ad Ecclesiam spectare;

(1) B. M. t. 1. p. 369. B. R. t. 3. p. 3. p. 97. C. C.
(2) Ib. p. 501.

cum Senatus, ea restituere noluisset, eos excommunicavit. Appellavit Senatus ad futurum concilium.

Etiam Ioannes Bentivolus, qui Bononiam tenebat, nolens eius urbis dominium dimittere, et Ecclesiae restituere recusans, poenis Ecclesiasticis innodatus ad futurum concilium appellavit.

Ergo omne subterfugium credens Pontifex adimere cuicumque putanti se subtrahere a iussis Pontificis exequendis per appellationem ad concilium, renovat poenas enunciatas a Pio II contra appellantes.

Imo eas extendit ad consiliarios, ad scriptores, ad quoscumque, qui quocumque modo hanc appellationem adhibuerint.

Invalidat ergo Venetorum, Bentivolique et cuiuscumque appellationes, vultque censeri non factas.

Supponit interdicto omnia illa loca, ad quae divertentur appellantes. N. O. *Nulli ergo, etc.*

Dat. Romae apud s. Petrum kal. iul. P. a. VI. a. D. 1509.

« *Primus omnium, qui appellatione ad futurum concilium usus est,* » *prodit se se apud historicos Fridericus II imperator, qui ad concilii* » *cognitionem evocatus a Gregorio IX et ab Innocentio IV ob dissidium* » *cum Ecclesia Romana de haeresi et aliis facinoribus delatus, Thadaeum* » *legatum suum ad Concilium Lugdunense misit anno millesimo ducen-* » *tesimo quinquagesimo quinto.* Petrus de Marca de Concordia, lib 4. » c. 17. §. 5. »

« Primum omnium, qui excommunicarit appellantes ad concilium, » narrat Gersonius, tom. II, oper. pag. 390, fuisse Martinum V in Con- » stantiensi Concilio; ea Bulla vetabat, appellari in rebus fidei a Pontifice » ad concilium. Eam tamen caute edidit paucique eam viderunt; ut ait » idem Gersonius in suo *Dialogo Apologetico,* loc. cit. eam tamen, an- » tequam finis concilio imponeretur, Gersonius confutavit tractatu, *an* » *a sententia Pontificis liceat appellare ad concilium.*

» Poloni coram eodem Martino appellarunt ad futurum concilium, » qui tamen eam appellationem non declaravit, nullam esse. Ita Paulus » Sarpius *consulto: se la repubblica possa o debba appellare al concilio.* » Ediz. 1763 Tom. III. p. 144.

XLV.

Mandat Urbanus Archiepiscopo Narbonensi,
ut cogat provinciale concilium.

URBANUS V Archiepiscopo Narbonensi.

Incipit *Sacrorum Canonum, etc.* (1).

Donec viguit mos in Ecclesia habendi singulis annis provincialia concilia, vitia non adeo accrescebant; ad eorum enim ortum statim apponebantur remedia.

Succrescente paulatim Praelatorum dissidia, omissaque *conciliorum continuatione*, vitia ex vitiis gignuntur, quia nulla medicina adhibetur.

Ne ergo in Narbonensi provincia dilatentur ulterius vitia, mandat Urbanus Archiepiscopo Narbonensi, ut provinciale concilium cogat et mittat ad S. Sedem quid in eo gestum sit.

D. Aven. VII kal. dec. P. a. III. a. 1363.

XLVI.

Innovatio praecepti,
ut Archiepiscopi singulis trienniis concilia provincialia habeant.

IOANNES XXIII ad f. r. m.

Incipit *In cassum*, *etc.* (2).

Praeceptum omnibus in generali concilio sub Innocentio III Archiepiscopis datum, renovatumque in Concilio Pisano, ut haberent de triennio in triennium provinciale concilium, ita ut si negligerent, suspensi essent a pastorali officio et omnia eorum emolumenta ad capitulum devolverentur, donec illud convocarent et si eo tempore sese immiscerent, aut capitulum impedirent, ipso facto incurrerent excommunicationem, renovat Ioannes.

Nulli ergo, etc. Si quis, etc.

D. Romae apud s. Petrum V kal. mai. P. a. III. a. D. 1412.

(1) Ib. p. 305.

(2) B. M. p. 3. vol 1. 9. p. 225

XLVII.

Hortatio ad Praelatos Italiae, ut synodos vel provinciales, vel dioecesanas celebrent.

ALEXANDER VII ad p. r. m.

Incipit *Inter coetera*, *etc.* (1).

Episcopos Italiae, insularumque Italiae adiacentium ad celebrationem synodorum vel provincialium, vel dioecesanarum, quod adeo inculcat Tridentinum Concilium, Alexander excitat.

Emolumenta, quae hinc redundatura sunt in Ecclesias, exponit;

Ex interrupto horum tenendorum conventuum more enata esse plurima mala in Ecclesia, asserit;

Ecclesiam nunc praecipue indigere hoc praesenti remedio. N. O.

D. Romae apud S. M. Mai. die XVI mai. P. a. II. a. D. 1656.

XLVIII.

Idem iubetur Episcopis Poloniae.

ALEXANDER VII Archiepiscopis, Episcopis Poloniae.

Incipit *Gravibus et luctuosis*, *etc.* (2).

Ut hortatus est ad synodos habendas Italiae Praelatos Alexander, ita hortatur Poloniae Episcopos.

Et eo maiori cura, quo vicinius illi regno est periculum, ne a finitimis regionibus haeresi infectis in illud pestiferum venenum illabatur.

Et pro iis celebrandis, ait, se nuntium suum in eo regno praemunisse.

D. Romae apud S. M. Mai. die X nov. P. a. III. a. D. 1657.

(1) B. M. t. 6. p. 34. B. R. t. 6. p. 4. p. 111. C. C.
(2) Ib. p. 60. Ib p 204. C. C.

XLIX.

Cassat Synodum Metensem Nicolaus.

NICOLAUS I Episcopis per Galliam constitutis.

Incipit *Scelus quod, etc.* (1).

Synodum Metensem *ex tunc et nunc et in aeternum iudicat* Nicolaus *cassatam et cum Ephesino latrocinio repudiatam, nec vocari Synodum, sed, tamquam adulteris faventem, postribulum appellari decernens.*

Rex Lutharius rem habuit cum duabus feminis Tendberga et Waldrada. *Tutores et fautores in tali facto rex habebat Theutgaudum et Guntharium*, illum Episcopum Trevirensem, hunc Coloniensem. Praeterea Engildrudam filiam quondam Mactifredi Comitis, quae, *Bosone proprio viro relicto, per septem circiter annos huc illuc vagata fuerat, damnatam* a Tadone Archiepiscopo Mediolanensi, et sententia a S. Sede confirmata, illi Episcopi susceperant et in praefata Metensi Synodo regem et Engildrudam absolvi fecerant.

Quapropter Pontifex et synodum et regem et Engildrudam et Episcopos, qui interfuerunt illi concilio et adhaeserunt Theutgardo et Gunthario, et excommunicat; eos etiam excommunicatos vult, qui cum his omnibus excommunicatis communicabunt et qui haec Apostolica interdicta contemnent.

Theugardus et Guntharius Pontifici scripserunt acerbe admodum; se de his, quae in Metensi Synodo acta sunt, scripsisse ad eum eius expostulantes sapientiam: nullum se retulisse responsum; eum non docuisse, quid ipsi deberent agere; per tres hebdomadas expectasse se incassum; advocatos ad praesentiam Pontificis, nihil tale suspicantes, quin quisquam esset accusator, nullo testificante, sine discussione, absentibus Metropolitis, Corepiscopis Galliae et Germaniae, solo assistente lateri Pontificis presbytero Anastasio ambitus damnato quondam, *se fuisse deductos, excommunicatos, suspensos: se proinde eius pravam sententiam, a zelo recti-*

(1) B. R. p. 3 vel t. 9. p. 1.

tudinis alienam, iniustam, irrationabilem, canonicis legibus contrariam non recipere, imo cum omni coetu fraterno, quasi nefas atque maledictum frustra prolatum, se contemnere; ex sua levitatis temeritate propria sententia in anathemate incidisse, qui sacros canones violarit.

In fine addunt, universos Galliae Episcopos, qui Synodo interfuerunt Metensi, haec sentire. a. 863.

L.

Concilium provinciale Rhemense confirmat Pontifex.

LEO IX universis Christi-fidelibus per regnum Francorum constitutis.

Incipit *Compertum charitati, etc.* (1).

Notum facit Episcopis, et universi Christi-fidelibus Galliae Leo, se interfuisse Concilio Provinciali Rhemensi et confirmasse canones in eo statutos et curasse, ut ab aliis quoque synodis confirmarentur.

Quare eos ad eorum observationem hortatur. Valete. a. 1050.

LI.

Confirmatur Turonensis provincialis Synodus.

HONORIUS II Turonensis Metropolis suffraganeis Episcopis.

Incipit *Carissimus frater, etc.* (2).

Hidelbertus Turonensis Episcopus *sicut bonus pastor pro grege suo vigilans in Navatensi civitate more metropolitico concilium celebravit.*

Actum in eo fuit *de incestis nuptiis,* quae fuere damnatae, *de spuriis presbiterorum filiis,* qui fuere esclusi a clericatu, *de his, qui, quasi hereditaria, ecclesiastica petebant beneficia;* quod fuit vetitum.

(1) B. R. t. 1. p. 374 C. C.
(2) Ib. p. 33.

Praecipit ergo Pontifex eius provinciae Episcopis, ut in suis quisque dioecesibus haec observari faciant et eos ad obedientiam hortatur praestandam suo Archiepiscopo, velut membra capiti.

Comes Britanniae in eo concilio in manu Archiepiscopi detestatus est pravas consuetudines in Britanniae comitatu rapiendi bona mariti, vel uxoris, alterutro mortuo et auferendi bona naufragantium.

D. Laterani 13 kal. iunii.

LII.

Concilium Posoniense confirmatur.

CLEMENS VI ad p. r. m.

Incipit *Petitio pro parte, etc.* (1).

Cardinalis Apostolicus Legatus in regnis Hungariae et Poloniae Concilium coëgit Posonium, in quo multa fuere sancita ad disciplinam Ecclesiasticam spectantia.

Petiit Cardinalis a Pontifice actorum in concilio confirmationem.

In eo acta sunt haec:

De non offendendis Praelatis.

Iubetur cultus in Praelatos cuique; poenae denuntiantur, excommunicatio, suspensio ab ordinibus, inhabilitas ad officia, privatio privilegiorum eos offendentibus.

Ut nulla Ecclesiastica persona praebeat auxilium, consilium, vel favorem alicui laico contra Ecclesias, Ecclesiasticasque personas.

Poena his Ecclesiasticis, qui quodammodo suis iuribus renuntiant, est privatio beneficiorum, vel si non habent, suspensio ab ordine et inhibitio ad altiores ascendendi.

(1) B. R. t. 3. p. 2. p. 304. C. C.

Ne quis recipiat ecclesiasticum beneficium de manu laici.

Inhabilis declaratur, qui beneficium a laico accepit, ad illius administrationem; parochianis, vassallis, clericis eius Ecclesiae iniungitur, ne pareant pastori sic electo.

De non occupandis et restituendis bonis ecclesiasticis.

Excommunicationem infligit Cardinalis legatus occupantibus et retinentibus Ecclesiarum bona, sint quicumque etiam Ordinarii et horum detentorum corpora careant ecclesiastica sepultura, si ante restitutionem moriantur.

De poena publicorum concubinariorum.

Clericus deficiens sit excommunicatus et quarta parte suorum redituum multetur. Sit Episcoporum investigare, quinam sint clerici hac labe infecti et eos puniant.

De prohibita depraedatione.

Hoc est poena infligitur iis, qui cum sociis per regnum Hungariae pergunt aggredientes domos et inde bona abstrahentes et perturbantes regni quietem. Iubetur Episcopi hos coërcere.

De his qui pertinaciter substinent excommunicationem.

Quoniam multi erant Hungariae, qui obdurato corde parvi faciebant excommunicationem, iubentur inquisitores contra hos procedere tamquam in haereticos, publicatis prius eorum bonis.

Ne aliqua fidelis alicui infideli matrimonialiter copuletur.

Excommunicatur mulier, quae nupserit Patereno, Lazaro, schismatico, praecipue de Ruthenis, Bulgaris, Rasciis, Lithuanis a catholica fide abhorrentibus, excommunicantur genitores, avi, patrui, si consenserint et induxerint virgines ad matrimonium ineundum cum aliquo horum.

Gravitatem peccati inobedientiae huius legatus ostendit. Hortatorque Praelatos omnes ad parendum.

Haec omnia decreta Clemens rata habet.

Nulli ergo, etc. Si quis, etc.

D. Avenioni IV non. sept. P. a. V. a. D. 1346.

LIII.

Confirmatio provincialis Concilii Mediolanensis.

PIUS V ad p. r. m.

Incipit *Inter omnes, etc.* (1).

Celebraverat iuxta praecepta Tridentini Concilii Carolus Cardinalis Borromaeus Archiepiscopus Mediolanensis provinciale concilium.

In eo multa statuerat ad disciplinam Ecclesiasticam, ad honestatem clericorum, ad cultum Ecclesiarum pertinentia, etc.

Haec omnia Pius confirmat, vultque observari ab omnibus in ea provincia existentibus. N. O. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud s. Petrum die VI iunii, P. a. I. a. D. 1566.

LIV.

Iubetur omnibus provinciae Mediolanensis observantia decretorum synodi provincialis.

PIUS V Archiepiscopi Mediolanensi.

Incipit *Quae in vestra, etc.* (2).

Mandat Pius Archiepiscopo Mediolanensi et eius suffraganeis, ut observari faciant in suis quisque dioecesibus statuta in concilio provinciali.

(1) B. R. t. 4. p. 12. p. 299. C. C.

(2) B. R. t. 4. p. 3. p. 103. C. C.

Vult Pius, diaconos et inferiorum ordinum clericos confiteri sacerdotibus approbatis ad id ab Ordinariis; *dummodo talis sit numerus sacerdotum, ut confiteri volentes delectum habeant inter illos.*

Singula capita decretorum enumerat.

D. Romae apud s. Petrum die XII mai. P. a. V. a. D. 1570.

LV.

Corrigitur provinciale concilium Valentinum iuxta sententiam congregationis concilium.

PIUS V Archiepiscopo Valentino.

Incipit *Provinciale concilium, etc.* (1).

Habitum fuerat concilium Valentinum provinciale, cuius decreta miserat Archiepiscopus ad Pium, ut illa corrigeret et confirmaret.

Pontifex iussit decreta considerari et iis vel addi, vel detrahi et ad mentem Concilii Tridentini conformari.

Correctiones hae sunt minutae nimis, ut possint in epitomem redigi.

Mandat demum haec decreta in provincia Valentina ab omnibus observari.

D. Romae apud s. Petrum die IV nov. P. a. II. a. D. 1567.

LVI.

Confirmatio decreti synodi Valentinae de legatis.

GREGORIUS XIV ad p. r. m.

Incipit *Quae pro indemnitate, etc.* (2).

Decreverat synodus Valentina, ut de legatis non deberet dari quarta pars parochiae defuncti testatoris, *nisi ea legata fuissent dimissa pro expensis funerum.*

(1) Ib. p. 210. C. C.
(2) B. R. t. 1. p. 1. p. 312. C. C.

Neque de rebus mobilibus legatis alicui Ecclesiae, nisi eae debeant vendi et converti in utilitatem sacerdotum;

Neque de missis relictis alicui monasterio, aut Ecclesiae;

Si nullum legatum fecerit testator suae parochiae, tunc unum e melioribus sit Ecclesiae suae parochialis.

Valentinus volens sepeliri in aliena Ecclesia, vel dioecesi debet Ecclesiae suae quartam dare.

Haec statuta Gregorius confirmat et observanda praecipit. N. O. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud s. Marcum die XIV sept. P. a. I. a. D. 1591.

LVII.

Synodi Petrocoviensis confirmatio.

SIXTUS V ad p. r. m.

Incipit *Pastoralis nostra, etc.* (1).

Celebrarunt *de more* regni Poloniae Praesules synodum nationalem Petricoviae, in qua multa decreverunt, ut e suis dioecesibus malas doctrinas arcerent:

I. Ut nemo eligatur in regem nisi sit catholicus;

II. Novus rex electus renuncietur et coronetur a primate regni,

III. Promoti ad episcopatum a rege non possint adire beneficium, nisi prius acceperint litteras apostolicas;

IV. Adhaerentes regi haeretico et ipsi et posteri eorum sint inhabiles ad honores et dignitates regni;

V. Episcopus promovens haereticum privetur beneficio;

VI. Impugnans Sedis Apostolicae iura, privetur ipse omnibus honoribus, eiusque posteri inhabiles ad eos fiant;

VII. Quoties necesse erit munera dare regi e bonis Ecclesiasticis, collectio fiat per Episcopos;

(1) Ib. p. 89. C. C.

VIII. Publicus thesaurus ecclesiasticus pro necessitatibus regni subitis in aliqua Ecclesiae arce custodiatur.

Proceres regni supplicarunt Pontifici, ut haec decreta confirmaret, quo firmius observarentur. — Illa igitur Sixtus confirmat. N. O.

D. Romae apud s. Petrum die III iul. P. a. V. a. D. 1589.

LVIII.

Confirmatur Mexicana Synodus.

SIXTUS V ad p. r. m.

Incipit ***Romanum Pontificem, etc.*** (1).

Synodum coëgerunt Mexicanae provinciae Praelati, in qua multa ad animarum regimen et salutem secundum Ss. Patrum placita et Concilii Tridentini decreta statuere.

Quae statuta subiecerunt Pontifici, ut ea inviseret et si videretur ei, confirmaret.

Commisit Sixtus eorum examen Cardinalium concilii interpretum congregationi, quae illa approbavit.

Confirmantur igitur et a Sixto, qui iubet eorum publicationem per provinciam Mexici, eorumque observantiam. N. O. ***Nulli ergo, etc.***

D. Romae apud s. Petrum die XXVIII oct. P. a. V. a. D. 1589.

LIX.

Publicatio concilii provincialis Romani.

BENEDICTUS XIII Archiepiscopis, Episcopis, etc.

Incipit ***Quatuor cum supra, etc.*** (2).

Romanum provinciale concilium absolverat Benedictus.

Sub triginta et duobus titulis, decretalium more, erant disposita decreta inter solemnes sessiones habitas in Lateranensi basilica; fuerant lecta et confirmata.

Ne autem vanae lites oriantur, quando haec decreta teneant, aut non teneant, sancit Benedictus.

D. Romae apud S. M. Mai. die XXV oct. P. a. II. a. D. 1725.

(1) Ib. p. 221. C. C. — (2) B. M. p. 7. vel t. 13. p. 199. - B. R. t. 12. p. 48. C. C.

DE EPISCOPIS.



I.

Ordo Hierarchiae Ecclesiasticae.

GREGORIUS VII Archiepiscopis Rothomagensi, Turonensi, Senonensi.

Incipit *Sicut novit, etc.* (1).

Supradictis Archiepiscopis Hierarchiae ecclesiasticae ordinem demonstrat hac in constitutione Gregorius.

I. Sicut in caelo Spirituum sunt divisiones, ut alii sint Angeli, alii Archangeli, etc. ita decebat in terris inter Dei ministros aliquam esse differentiam; quae divisionem temporalem provinciarum, ut cum temporalibus unita essent et spiritualia imitata est.

II. Provinciae hae multo tempore ante Christum fuere divisae, et ab Apostolis fuerunt retentae iuxta introductam divisionem, ut ubi essent reges, ubi gubernatores principaliores, ubi urbes plus minusve populo refertae et quo iam populus ob negotia temporalia confluebat, statuerent maiores, vel minores sedes; hinc in quibusdam instituerunt Patriarchatus, in quibusdam Primatias, ad quas confugeret populus, postquam ad minores pastores confugisset, quos pene in omnibus urbibus constituerunt, ut ad subita rerum haberet, ad quos recurreret. Hi Episcopi sunt suffraganei vel Primatum, vel Patriarcharum, vel Metropolitanorum.

III. Ideo autem Ecclesia eos instituit, ut populus haberet, a quo iustitiam exposceret, si prima sententia non esset contentus; et ut Episcopi haberent, a quibus consilia caperent, et quibus subiacerent in Ecclesiarum suarum gubernio.

(1) B. R. t. 2. p. 52. C. C.

IV. Hinc facile videre potest Archiepiscopus Lugdunensis, in cuius gratiam haec scripserat Gregorius, cum sit Primas, qua prudentia, qua morum integritate debeat incedere.

Dat. Romae XII Cal. Maji Indict. II. a. 1079.

II.

Gestatione Exomidis ornantur Patriarchae.

BENEDICTUS XIII ad p. r. m.

Incipit *Romanus Pontifex*, *etc.* (1).

Nova honoris praerogativa volens exornare Benedictus quatuor Patriarchas primaevos, Constantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, Hierosolymitanum,

Dat iis facultatem in omnibus functionibus et actibus publicis et privatis *gestandi Exomidem super auriculo breviori.* N. O.

D. Romae apud S. M. Mai. die XXX sept. P. a. I. a. D. 1724.

III.

Archiepiscopo comprovinciales Episcopi prima vice processionaliter cum clero occurrant.

CLEMENS VIII Archiepiscopo Bracharensi.

Incipit *Fraternitatis tuae, etc.* (2).

Et in Pontificali Romano et in sacro palatii auditorio, iudicatum fuit ann. 1538. Archiepiscopis in aliquam urbem suae provinciae intrantibus debere Ordinarium eius loci cum suo Clero ire obviam processionaliter.

Quia nonnulli perperam hoc interpretabantur, Archiepiscopus Bracharensis supplicavit Clementi, ut hoc explicaret.

(1) B. M. p. 7. vel t. 13. p. 132. - B. R. t. 11. p. 2. p. 350. C. C.
(2) B. R. t. 5. p. 2 p. 178. C. C.

Pontifex de consilio sacrae Congregationis rituum decernit, Episcopos comprovinciales cum suo clero processionaliter teneri ad obviam eundum Metropolitano in aliquam eorum urbem intranti *pro prima vice tantum*. N. O.

D. Romae apud S. Petrum die XIX dec. P. a. VI. a. D. 1597.

IV.

Metropolitis non licet visitare Ecclesias suffraganeas nisi ad praescriptum Concilii Tridentini.

URBANUS VIII ad p. r. m.

Incipit *Exponi nobis, etc.* (1).

Episcopus Laonensis in Hibernia questus est contra Archiepiscopum Cassellensem, qui volebat quovis triennio visitare eam Ecclesiam suffraganeam, volebatque, interim Episcopum carere iurisdictione et ipse redditus Episcopatus percipere pro tempore visitationis, apud sacram super Concilio Congregationem.

Quae decernit, non licere Metropolitis visitare Ecclesias suffraganeas, nisi ad praescriptum Concilii Tridentini can. 32, sess. 24 de Reform.

Decretum Urbanus confirmat, cui omnes parere vult, et non parentibus poenas denuntiat. N. O.

Dat. Romae apud S. M. Mai. die VII iunii P. a. VIII. a. D. 1631.

V.

De iuramento dando ab Archiepiscopis.

PASCHALIS II Polonorum Archiepiscopo (Gnesnensi).

Incipit *Significasti, etc.* (2).

Miserat Paschalis ad Archiepiscopum pallium, ita tamen ut iuraret ante eius acceptationem obedientiam S. Sedi. Miratus est Rex, miratique

(1) B. R. t. 6. p. 1. p. 277. C. C.
(2) Ex Baronio ad an. 1102. §. VIII.

sunt eius regni Magnates id moris introductum fuisse, ut Apocrisarii pallium ad nullum Archiepiscopum mitterent, nisi prius iuramentum praestaret. Hanc admirationem ab iis factam significavit Pontifici Archiepiscopus, cui respondet Paschalis:

In Pallio plenitudo conceditur pontificalis officii. Iam Christus cum praefecturus erat gregi suo Petrum ter eum interrogavit, an ab illo diligeretur; tamen Christus utpote Deus Petri cor videbat. Multo ergo magis Pontifex potest ab Archiepiscopis, ad quos est pallium mittendum, sine quo iis *non licet aut Episcopos consecrare*, *aut Synodum celebrare* et quorum conscientiam non rimatur, antequam pallium ad eos mittat, iuramentum exigere, se non esse abusuros danda plenitudine, sed semper se fore coniunctos cum Romana Ecclesia.

Dicebant Poloni, Christum vetuisse iurare. Ita, inquit Paschalis, sed advertant Poloni, quod Christus subiunxit, *quod amplius est, a malo est.* Malum scilicet Pontificem compellit, ut iuramentum requirat. Nam malum ingens esset, si aliquis Archiepiscopus resiliret ab unitate fidei. Si quidam ab obedientia Ecclesiae resilierunt etiam iurati, quot iniurati resilirent?

Dicebant, Christum prohibuisse Apostolis iuramentum, *ut non sub iudicium incidatis,* scripsit S. Iacobus apostolus. Sed, reponit Paschalis, hoc explicat D. Augustinus; ne iuretur sine necessitate, ne semper iuretur; nam ex frequenti usu fieri potest ut introducatur etiam periurium.

Ceterum etiam *Apostolum Paulum pro auditorum diffidentia iurasse, eius epistolae testantur.*

Poloni instabant, hoc iuramentum non statui in Conciliis *quasi* inquit Paschalis, *Romanae Ecclesiae legem concilia ulla praefixerint; cum omnia concilia per Ecclesiae Romanae auctoritatem et facta sint et robur acceperint et in eorum statutis Romana patenter auctoritas excipiatur.* Quot fiunt ab Episcopis, qua in canonibus non sunt? *Nonne praedecessor tuus praeter Romani Pontificis conscientiam damnavit Episcopum? Quibus hoc canonibus, quibus conciliis legitur esse permissum? Quid super Episcoporum translationibus loquar, quae apud vos non auctoritate Apostolica, sed nutu regis praesumuntur?*

Quod si volunt Archiepiscopi insignia suae dignitatis ab Apostolica Sede, aequum est, eos praestare obedientiam S. Sedi et iuramentum se nunquam recessuros ab unitate Romanae Ecclesiae.

Hoc iuramentum praestant Saxones, Danique Metropolitani *et Legatos A. Sedis honorifice tractant et in suis necessitatibus adiuvant.*

D. Desunt notae chronologicae.

Cum postulatum ab apostolicis Apocrisariis fuisset iuramentum ex Archiepiscopo Panormitano, antequam ad illum pallium mitterent, eaedem turbae excitatae fuerunt a Rege et Magnatibus Siciliae et ad Archiepiscopum Panormitanum eadem scripsit Paschalis, quae scripsit ab Gnesnensem. Ibid. §. V.

Ad honorem Dei omnipotentis et B. Virginis Mariae et Beatorum Apostolorum Petri et Pauli et Domini Papae N. et Romanae Ecclesiae, nec non Ecclesiae tibi commissae, tradimus tibi pallium de corpore B. Petri sumptum, plenitudinem videlicet Pontificalis officii, ut utaris eo intra Ecclesiam tuam his diebus (qui exprimuntur in privilegiis ab Apostolica ei Sede concessis).

VI.

Praefigitur taxa pallii Archiepiscopalis.

URBANUS VIII ad p. r. m.

Incipit *Dudum felicis*, *etc.* (1).

Iam a tempore Sixti V in collegium subdiaconorum *per retentionem palliorum* irrepserant abusus, quos studuit submovere Gregorius XV, sed frustra, licet poenam quingentorum scutorum minitatus fuisset exigentibus aliquid plus praefixa taxa.

Ergo Urbanus vult, ut taxa non sit nisi quinque pro quolibet centenario reddituum Archiepiscopatus.

(1) B. M. t. 5. p. 364 - B. R. t. 6. p. 2. p. 312. C. C.

Si quidpiam amplius exigat Collegium, praeter poenam solutionis praedictae summae, hi Subdiaconi priventur officio et excommunicentur.

Et haec taxa *non est super pallio, hoc est confectione, benedictione, sed super promoventibus Ecclesiarum palliis insignitarum.* N. O.

D. Romae apud S. Petrum die VII febr. P. a. XIX. a. D. 1642.

VII.

Archiepiscopi Lundensis respondetur quaesitis.

HONORIUS III Archiep. Lund.

Incipit *Tua nos*, *etc.* (1).

Cum vidisset Archiepiscopus

I. *Quosdam presbyteros celebrantes Missarum solemnia ponere hostiam ante calicem, quosdam in sinistro latere calicis et quosdam levare calicem corporali contectum et deponere dum signant et iterum levare tectum, quosdam vero discoopertum levare et una manu tenentes elevatum, altera manu signare; quosdamque de tribus partibus, quae fiunt ex hostia, super patenam ponere et quosdam illas tenentes in manus communicare, super calicem illas nequaquam in patena ponentes,* quaesivit quid sibi in huiusmodi varietate tenendum esset?

II. Monachus in apostasia ordinatus sine dispensatione apostolica potestne exercere officium suscepti ordinis iam reconciliatus suo abbati, et poenitentia peracta imposita?

III. In aliena dioecesi Archiepiscopus non habens pallium et sandalia potestne celebrare?

IV. Archiepiscopus potestne celebrare sine pallio et sandaliis pro defunctis?

Respondet Honorius

Ad I. Quaesitum verbis Nicolai Papae: *Nihil obsint saluti credentium diversae pro loco et tempore consuetudines, dummodo illis canonica non*

(1) Ex Rayn. ad ann. 1225. §. 17.

obsistat auctoritas. Quid servet Romana Ecclesia, fortasse Archiepiscopus recolit, qui audivit, et latores harum litterarum fortasse animadverterunt, et illi referent.

Ad II. Requiritur dispensatio Pontificia.

Ad III. Etiam in propria dioecesi possunt Archiepiscopi celebrare sine pallio et sandaliis, nedum in aliena.

Ad IV. Et cum pallio et sine pallio celebrari pro defunctis potest.

D. Reate III. Id. Aug. P. a. IX. a. D. 1225.

VIII.

De antiquitate ritus confectionis et consecrationis et missionis Palliorum.

BENEDICTUS XIV ad p. r. m.

Incipit *Rerum Ecclesiasticarum, etc.* (1).

Antiquissimus est in Ecclesia ritus tradendi a Pontifice Patriarchis et Archiepiscopis pallii, eiusque benedictionis varius fuit ritus.

Inter speciales tamen praerogativas Basilicae S. Petri in Vaticano est et haec, *ut in ea tantum vigilentur pallia* a choro eiusdem Ecclesiae, antequam ea benedicerentur, canebantur psalmi poenitentiales et litaniae et aliae preces et vigiliae nocturnae fiebant in pervigilio SS. Petri et Pauli *et per canonicos eiusdem Ecclesiae ponebantur super corpora BB. Petri et Pauli sub altari maiori, ubi factis de more vigiliis, illa per noctem dimittebantur, deinde restituebantur Subdiaconis, qui in loco honesto ea conservabant,* scilicet in aenea arca, quae erat ipsum altare.

Mutata altaris forma, alius ritus introductus fuit; *per totam octavam* supradictorum Apostolorum *super corpus Apostoli requiescebant*, qua praeterita, removebantur et inclusa capsulae holoserico coccineo coopertae recondebantur in oratorio sacrarii, in quo reliquiae asservantur.

Sed Benedictus XIII primus fuit, qui post vesperas vigiliae Apostolorum praedictorum eorum benedictionem introduxit.

(1) B. M. t. 17. p. 274.

Hunc morem sequutus est Benedictus XIV, qui vult etiam ritum perpetuo duraturum tradere.

Ergo vult, confici numerum sufficientem palliorum ex eorum agnorum, qui Decano collegii Auditorum, Pontifici in subdiaconorum ordine ministrantium, dantur, velleribus. In vigilia AA. BB. Petri et Pauli de mane ab Altarista ad Confessionem B. Petri deferantur et ibi collocentur, et post vesperas eius diei a Pontifice, vel ab eo Cardinali, qui Pontificalia peregerit, benedicentur.

Traditur oratio dicenda in benedictione.

Benedicta collocentur in ipsa Confessione B. Petri et prope sacrum illud corpus, in loco designato ad hunc effectum asserventur.

Cum autem a Cardinali Diaconorum priore dentur haec pallia et ipse iuramentum accipiat, in quo plura, quam praestari nunc possint, ob varietatem temporum promitterentur, ideo Benedictus apponit iuramentum faciendum ab ipsis Archiepiscopis, vel eorum procuratoribus in horum palliorum acceptatione. N. O.

Nulli ergo, etc.

Dat. Romae apud S. M. Mai. prid. id. aug. P. a. VIII. a. D. 1748.

IX.

Ne sint Episcopi nimium faciles ad consecrandos Episcopos.

LEO I Episcopis per Caesariensem Mauritaniam in Africa constitutis.

Incipit *Cum gravi, etc.* (1).

Sciens Leo, in Africa quosdam promoveri ad episcopatum et ad presbyteratum omnino indignos, misit eo Potentium Legatum, ut inquireret, num verum id esset.

Interim eos Episcopos admonet, ne sint tam faciles ad consecrandos Episcopos. Nam si curandum est, *ut in Domini domo nihil sit inordinatum, nihilque praeposterum, quanto magis elaborandum est, ne in electione eius, qui supra omnes gradus constituitur, non erretur*? Quas ergo

(1) B. R. t. I. p. 25. C. C.

requirit Apostolus (ad Timotheum 3.) dotes, vult inesse iis, qui ad episcopatus gradum evehendi sunt.

Praeterea advertendum est, num per omnes militiae ecclesiasticae gradus transierint, ne per saltum videantur ad Episcopatus gradum transiliisse.

Ambitus etiam est fugiendus: si enim merita praecedere debent honores saeculi, multo magis id servandum est in dignitatibus multo maximis Ecclesiae.

Sed praecipue detestatur Leo ordinationes bigamorum in Episcopos, et ait, esse potius tolerandas ordinationes laicorum in Episcopos, quam bigamorum, cum hi videantur efraeni cupidini obnoxii.

Iniungit etiam iis, ut non ordinent Episcopos nisi in iis locis, ubi ex consuetudine fuerunt Episcopi, tum ne nimia copia neglectum pariat, tum quia difficile esset tot probos Episcopos reperire.

Transit Leo ad mulieres, et quia nonnullae virgines per vim barbaricam virginitatem amiserant, ait, has neque dejiciendas esse ad statum viduarum, neque censendas in numero virginum sacrarum et perseverantium.

Tum iis significat, Donatum Salicensem ex Novatianis cum sua plebe fuisse conversum.

De Aggaro et Tyberiano per tumultum ordinatis, permittit iis, ut agant pro sua prudentia.

Dat. III idus augusti.

X.

Ne quisquam invitus ordinetur Episcopus.

SIMPLICIUS Episcopo Ravennati.

Incipit *Si quis, etc.* (1).

Acerrime reprehendit Simplicius Episcopum Ravennatem, qui ordinaverat Gregorium Mutinensem Episcopum invitum et in gratiis suis.

(1) Ib. p. 52. C. C.

Crimen hoc, ait Simplicius, esso gravissimum et severissime puniendum.

In poenam Episcopi Ravennatis assignat Gregorio praedium in agro Bononiensi, quod spectabat ad Ecclesiam Ravennatem, ad quam redeat Gregorio extincto.

Redditus est solidorum XXX liberorum sine dubitatione.

Graviores poenas minatur, si vel episcopum, vel presbyterum, vel diaconum in posterum invitum *ordinaverit; ordinationes sibi Ravennatis Ecclesiae, vel Æmiliensis noverit asserendas.*

Dat. III calendas iunii Severino V. C. Cof. anno 482.

XI.

De electione Episcopi.

GREGORIUS I Agnello episcopo Terracinensi.

Incipit *Obitum Baccaudae, etc.* (1).

Explicari melius non potest ritus electionis episcoporum antiquis temporibus, quam hac Gregorii epistola.

Obitum Baccaudae antistitis directa relatio patefecit.

Quapropter visitationis Ecclesiae destitutae fraternitati tuae operam delegamus, quam ita te convenit exhibere, ut nihil de provectionibus clericorum, redditu, vel ornatu ministeriisque, vel quidquid illud est in patrimonio eiusdem a quoquam praesumatur.

Et ideo fraternitas tua ad praedictam Ecclesiam ire properabit, et assiduis adhortationibus clerum, plebemque eiusdem Ecclesiae admonere festinet , ut remoto studio, uno eodemque consensu talem sibi praeficiendum expetat sacerdotem, qui tanto ministerio dignum valeat reperiri et a venerandis canonibus nullatenus respuatur.

Qui dum fuerit postulatus, cum solemnitate decreti omnium subscriptionibus roborati et dilectionis tuae testimonio litterarum ad nos sacrandus occurrat.

(1) Ex Ughel. t. X p. 93

Commonemus etiam fraternitatem tuam, ut nullum de altera eligi permittas Ecclesia, nisi forte inter clericos ipsius civitatis, in qua visitationis impendis officium, nullus ad episcopatum dignus, quod evenire non credimus, potuerit inveniri.

Provisurus ante omnia, ne ad hoc cuiuslibet conversationis, vel meriti laicae personae aspirare praesumant et tu periculum ordinis tui, quod absit, incurras.

D. non longe ab initio anni 597.

XII.

Electus ex altera dioecesi ad episcopatum eum adire non possit sine consensu sui Episcopi ordinarii.

PELAGIUS II Iulio Episcopo Grumentino.

Incipit *Litteras charitatis, etc.* (1).

Litteras charitatis tuae suscepimus, quibus significas, Latinum diaconem tuum ad episcopatum Ecclesiae Marcellianensis a clero et omnibus, qui illuc conveniunt, postulari.

Hoc itaque dicimus, ut si omnes eum eligunt, et vis eum concedere, *gratum nobis esse cognosce, et si potest, ante diem sanctum festinet occurrere, ut vel sabbato ipso noctis magnae post baptismum cum Dei gratia valeat ordinari.*

Circa an. 580.

XIII.

Episcopi ne consecrent extra suas provincias.

HILARUS Episcopis provinciae Viennensis, Lugdunensis, Narbonensis primae et secundae Alpinae.

Incipit *Etsi meminerimus, etc.* (2).

Conqueritur Hilarus de gravi crimine patrato a Viennensi Episcopo, qui ordinaverat Episcopum extra fines suae dioecesis contra Leontium antistitem Deensibus.

(1) Ib. p. 112.
(2) Ib. p. 49. C. C.

Earum provinciarum episcopos monet, ne in his consecrationibus *transcendant terminos a venerandis Patribus constitutos.*

Tum eos hortatur, ut quotannis ad concilium se conferant, quod Leontinus episcopus coget.

XIV.

De mala consecratione certiores fiunt Galliae Episcopi.

HILARUS Victuro, Ingenuo Ydatio, etc.

Incipit *Sollicitis animis, etc.* (1).

Episcopis Galliarum factum Mamerti episcopi Viennensis, qui consecrarat Deensibus episcopum in praeiudicium Arelatensis episcopi significat Hilarus.

Quod factum licet coarguat, tamen non punit, *quia lenitas a ministro Ecclesiae est adhibenda.*

Eos hortatur, ut repellant ab altari sacerdotes non ordinatos a suis episcopis.

Episcopo Arelatensi permittit, ut de indebite ordinato episcopo agat, quod magis expedire crediderit.

Dat. VI cal. martii P. C. V. Cl. Cof. a. 463.

XV.

Hortatio ad episcopum Arelatensem, ut factum Mamerti deferat ad synodum.

HILARUS Leontio, etc.

Incipit *Qualiter contra, etc.* (2).

Arelatensi episcopo, in cuius praeiudicium et contemptum Mamertus *hostili more occupans civitatem, invitis Deensibus, episcopum consecrare*

(1) Ib. p. 49. C. C.
(2) Ib. p. 50. C. C.

praesumpserat, licet Hilarus *posset pronunciare*, quid agi debeat, tamen mandat, ut rem totam deferat ad synodalem conventum,

Et quid is conventus statuerit ad Pontificem mittat, *ut, quod Spiritu Sancto dictante est faciendum ad comprimendos conatus illicitos, ordinet.*

D. VI idus oct. Basilio V. Cl. Cof. an. 463.

XVI.

Illegitimi non sunt promovendi ad episcopatum.

GREGORIUS VII Sanctio Hispaniarum regi.

Incipit *Quondam erga, etc.* (1).

Resignatio episcopatus, quam Aragonensis Episcopus facere volebat, iam senex et morbo confectus, in favorem alterutrius clericorum, quos favor regius promovebat, sed premebat nativitas ex concubinatu, occasionem huic constitutioni dedit,

I. In qua Gregorius scribit Regi, videri hoc sibi incongruum, illegitimum creari in Episcopum; hoc esse novum et inauditum omnibus retro patribus; se pessimum hoc exemplum posteris non posse dare.

II. Multa a s. Sede tolerari, multa permitti; sed ea nec debere, nec posse, quae contra sacros canones sunt, approbare et concedere; si enim illegitimi excluduntur ab aliis ordinibus, quanto magis decet, eos excludi ab episcopatu; si ad quaedam saecularia officia hi non admittuntur, nefas esset, admitti ad episcopatum;

III. Praecipue cum alia sit via, qua possit male affecto Episcopo subsidium ferri, nempe creetur coadiutor, qui episcopalia munia peragat, si revera est infirmus.

IV. Rogat Regem, ut haec attente consideret, neque gravate ferat, si illi oranti hoc Pontifex deneget tam iuste.

Dat. Romae VIII calendas februarii indict. XIV an. 1705.

(1) B. R. t. 2. p. 30. C. C.

XVII.

Illegitime nati non possint promoveri ad episcopatum.

GREGORIUS IX Archiepiscopo Rhemensi.

Incipit *Novomiensi, etc.* (1).

Philippus nothus erat Philippi regis Galliae: fuerat a Gregorio iustorum natalium dignitate donatus.

Vacaverat Novomiensis Ecclesia: canonici eum iam subdiaconum elegerant in Episcopum, moxque diaconatum accepit.

Confirmata fuerat electio ab Archiepiscopo Rhemensi.

Cum id Pontifex accepisset, reprobat electionem et confirmationem. Ex eo enim quod cum illo dispensavit Gregorius, *ut defectus natalium in nullis spiritualibus illi obesset*, non intellexit dispensare ut posset assumi ad episcopatum, sed solum ad minores dignitates. *Dispensationes enim et indulgentiae, quae defectum natalium patientibus super dignitatibus et honoribus generaliter conceduntur, non extenduntur ad episcopatus, nisi de ipsis specialiter exprimatur in eis*; *nec sub dignitatum et honorum ecclesiasticorum nomine, cum de illis in genere loquitur concilium Lateranense, fel. memor. Innocentius III. voluit episcopalem dignitatem includi.*

Quod si etiam ad consequendas minores dignitates defectus natalium inhabiles reddit, possuntque removeri ad eas promoti sine dispensatione Apost. multo magis removendus erit illegitime natus ab episcopatu.

Etiam de consilio Fratrum, irritam electionem de Philippo factam decernit, eumque suspendit ab officio accepti diaconatus, cum non potuerit ad illum promoveri sine speciali s. Sedis licentia.

Etiam Lateranense concilium decernit, ut *qui scienter non legitime natos eligunt, eligendi potestate illa prima vice priventur et per triennium ab ecclesiasticis beneficiis suspendantur*; et iuxta idem concilium *non solum dejiciendus sit indigne promotus, verum etiam indignum promovens puniendus, ut si eum in hoc per negligentiam deliquisse constiterit, non*

(1) Ex Rayn. ad ann. 1240 §. 30.

tantum confirmandi primum successorem illius careat potestate, sed etiam ne aliquo casu poenam effugiat, a perceptione proprii beneficii suspendatur; si vero convictus fuerit per malitiam excessisse, graviori subiaceat ultioni; Pontifex tamen super iis suo loco et tempore providere curabit, et auctore Deo, sicut melius expedire viderit, procedet.

D. Later. III non. iul. P. a. XIV. a. D. 1240.

Etiam ad legatnm S. A. in Gallia Episcopum Praenestinum ita Gregorius: *miramur, nec immerito, quod sicut te insinuante didicimus P . . . natum clarae memoriae regis Franciae subdiaconum nostrum in Episcopum Novomiensem electum, in diaconum ad titulum Novomiensis Ecclesiae super hoc a nobis licentia non habita, nec etiam postulata, quod tibi non licuit, promovisti.*

XVIII.

De examinibus faciendis in electione Episcoporum.

GREGORIUS XIV ad p. r. m.

Incipit *Onus Apostolicae, etc.* (1).

Iure concilium Tridentinum decrevit, ut ad Ecclesias cathedrales nonnisi insignes viri eligerentur; a bono pastore enim pendet gregis salns. Cui concilio cnm interfuisset Gregorins, sciens eius mentem, vult, in collationibns beneficiorum eius decreta servari.

De Episcopi eligendi vita, doctrina, moribus debebat a Metropolitano fieri examen; sed paucis in locis id fuit observatum.

Quapropter Gregorius iubet, ut examen fiat in curia et extra curiam.

Forma examinis praescribitur, testes sint pii, probi, docti;

Eligendi sint honestis moribus, prudentes, docti et sua studia in aliqua celebri universitate confecerint, ut gregem suum docere valeant.

De regnlaribus snperiores ordinis faciant fidem.

Promovendns debet praestare professionem;

Ad curiam mitti debebunt hi processus, et examinari a tribus Cardinalibus prioribus ordinnm:

(1) B. M. t. 2. p. 762. - B. R t 5. p. 1. p. 268. C. C.

Et haec observari debent etiam in promovendis ad Ecclesias, quae concistorialiter providentur.

Relationem facient horum processuum Cardinales deputati.

Monet demum Gregorius eos, qui ius praesentandi habent, ut idoneos nomiuent. N. O.

Nulli ergo, etc.

Dat. in monte Quirinali id. mai. P. a. I. a. D. 1591.

XIX.

Deputatio Notarii ad conficiendos hos processus.

GREGORIUS XV ad p. r. m.

Incipit *Consuevit Romanus, etc.* (1).

Processus de vita, moribus et doctrina eorum, qui promovendi erant ad Ecclesiarum cathedralium regimen et ad monasteria concistorialia fiebant a quocumque notario ignaro plerumque rerum agendarum.

Erigit ergo Gregorius officium vacabile pro notario, cuius praecipuum munus sit, facere hos processus coram tribus Cardinalibus capitibus ordinum.

Cui notario assignat illa emolumenta, quae antea ab aliis notariis hos processus facientibus percipiebantur.

Qui notarius gaudeat privilegiis aliorum notariorum. N. O.

Nulli ergo, etc.

D. Romae apud S. M. Mai. die XV iul. P. a. I. a. D. 1621.

XX.

Electio Odoardi Tibaldesco in huiusmodi notarium.

GREGORIUS XV ad p. r. m.

Incipit *Pridem cum, etc.* (2).

Odoardum Tibaldesco eligit Gregorius in notarium ad conficiendos praedictos processus;

(1) B. M. t. 3. p. 436. - B. R. t. 5. p. 4. p. 357. C. C.
(2) Ib. p. 438. Ib. p. 358. C. C.

Cui etiam onus incumbet conservandi omnes processus factos extra curiam et Romam missos pro promovendis ad episcopatus et monasteria concistorialia ex Germania, Gallia, Hispania, aliisque partibus.

Notarius geret togam violaceam ad distinctionem aliorum notariorum. N. O.

D. Romae apud s. Petrum die VII dec. P. a. I. a. D. 1621.

XXI.

Instructio quomodo faciendi sint processus admittendi ad regimina Ecclesiarum cathedralium, Monasteriorum etc.

URBANUS VIII. - Decretum.

Incipit *Si processus, etc.* (1).

Si processus sint faciendi extra Romanam curiam, fiant a Nunciis A. et si ibi non resideant Nuncii, a vicinioribus Ordinariis erunt faciendi.

Si Praelatus aliquis inter eos, qui debent facere processus, sit consanguineus eius, de quo fit processus, excludatur;

Si aliquis Praelatus ex iis sit legitime impeditus, eligatur alius, qui proxime sequitur.

Si processus faciendus sit in Romana curia, videndum est, num Ecclesia providenda spectet ad nominationem alicuius Regis, et processus fiat a Cardinali illo, qui coronae illius protector est.

Si non sit ad nominationem alicuius principis, processus fiet a Cardinali deputando a Pontifice.

Si processus sit faciendus de aliquo Episcopo extra curiam transferendo ad aliam Ecclesiam, deficiente Legato, vel Nuncio Apostolico, Metropolita eum faciet.

Si Praelatus nequeat commode ob locorum distantiam examinare testes ipse per se, deputet aliquem, vel aliquos in dignitate ecclesiastica constitutos ad testes examinandos.

(1) B. R. t. 6. p. 1. p. 73. C. C.

Ut autem processus dici possint facti per viam inquisitionis, haec servanda sunt:

Praelatus per se examinet testes.

Non recipiantur testes producti a promovendo, sed Praelatus vocet testes quos vult, adhibeatque quem malit notarium.

Hi testes sint viri graves, pii, prudentes, docti, qui norint qualitates requisitas in Praelatis ecclesiarum, non sint propinqui promovendorum.

Si volet Praelatus, eos moneat de iuramento.

Si Praelatus non habeat plenam notitiam promovendi, potest per aliquem testem eum cogere, ut in schedula exponat nomen, patriam, loca, ubi studuit, gradus quos habet, etc. Praelatusque examinabit per se, deputabit alios etc.

Haec autem sunt, de quibus interrogandi sunt testes.

I. An cognoscant promovendum? num sint illi sanguine coniuncti?

II. Num sciant ex quo loco ille sit?

III. An sit natus ex legitimo matrimonio?

IV. Num in sacris constitutus?

V. An versatus fuerit in functionibus ecclesiasticis?

VI. An expleverit annum trigesimum?

VII. An semper catholice vixerit?

VIII. An sit bonis moribus?

IX. Num sit vir prudens?

X. Num habeat aliquem gradum in iure, in theologia?

XI. Num dederit aliquod scandalum?

XII. Num illum iudicet idoneum ad regendam Ecclesiam cathedralem etc.

Bullae ordinationis praesentandae sunt Praelato et registrandae in processu.

Etiam privilegium gradus doctoralis.

Si alia testimonia promovendus habet, illa ostendat et registrentur.

Si non habet gradum, ab aliqua insigni universitate examinatus declaretur dignus ad docendum.

Si promovendus natus non sit, ubi universitates sint, sufficiet testimoninm virorum canonum et theologiae doctorum, eum esse doctum.

Si promovendus sit regularis, superior testetur de eius doctrina, et alii, etiam saeculares examinentur.

De Ecclesia autem providenda testes examinentur,

I. In qua provincia sit sita illa urbs, quanta sit populi frequentia etc.

II. Num illa Ecclesia sit cathedralis, an metropolitana, sub quo titulo, cuius structurae etc.

III. Si est archiepiscopalis, quot suffraganeos habeat; si non est, cui metropolitae subsit?

IV. Quae et quales sint in illa Ecclesia dignitates, canonicatus, praebendae?

V. Num in ea sit animarum cura, fons baptismalis?

VI. An habeat sacrarium sufficienter instructum?

VII. An in ea sint reliquiae insignes et quales?

VIII. De domo episcopali,

IX. De vero redditu mensae episcopalis,

X. De numero ecclesiarum parochialium in illa urbe, monasteriornm virorum et virginum, hospitalium, confraternitatum, et monte pietatis,

XI. De amplitudine dioecesis,

XII. Num in ea sit seminarium?

XIII. An illa Ecclesia vacet?

Haec interroganda de monasterio:

I. In qua provincia et dioecesi sit situm?

II. Cuius sit ordinis?

III. Quis sit monachorum numerus?

IV. Sub qua invocatione sit Ecclesia? num indigeat reparatione?

V. Qui sint redditus abbatialis, vel prioralis mensae?

VI. An habeat aliquam temporalem iurisdictionem?

VII. Num curam animarum?

VIII. Num vacet et a quo tempore?

Notarius omnia in ordinem digeret, si procesus factns fuerit extra curiam, Romam mittetur; Cardinalis, qui illam Ecclesiam nominare debet

in concistorio, ostendet processum Cardinalibus capitibus ordinum, fietque relatio in concistorio.

Si promovendus sit in curia, visitet Cardinales, seque illis ostendat, *ut possint cognoscere personam promovendi.*

Publicatum fuit anno 1627.

XXII.

Erigitur congregatio ad examinanda merita promovendorum.

BENEDICTUS XIV ad p. r. m.

Incipit *Ad apostolicae etc.* (1).

Concilii Tridentini decreta de electione episcoporum adimpleri ad unguem exoptans Benedictus, peculiarem erigit congregationem quinque Cardinalium, quorum munus sit consulere Pontifici in electione ad Episcopatus.

Huius autem congregationis munera exponit Benedictus, ut postposito quovis humano respectu non proponat, nisi eos, qui maximam spem faciunt, se facturos bonos Episcopos; hoc autem praecipue advertat in promotiones ad Ecclesias Patriarchales, Primatiales, Metropolitanas.

Cardinalis praefectus congregationis scribat ad episcopos et superiores etiam regulares, qui sub secreti lege, eorum presbyterorum, quos norunt pios, doctos, animarum saluti deditos, nomina, patriam, munera exponant et Romam mittant;

Cum feret occasio alicuius Ecclesiae vacationis, unus ex his quinque Cardinalibus proponet aliquem Pontifici et simul cum Pontifice et auditore Sanctissimi tota congregatio examinabit qualitates promovendi.

Eadem diligentia examinum adhibeatur, si occurrat, aliquem Episcopum ad aliam Ecclesiam transferri.

(1) B. M. t. 16 p. 7.

Praecipitur idem secretum congregationi, quod servatur in negotiis sacrae Inquisitionis.

Demum eos omnes, qui aliquo modo ius habent ad promotionem Episcoporum, monet, ut dent operam, ut dignissimos eligant. N. O.

Nulli ergo, etc.

D. Romae apud S. M. Mai. XVI cal. nov. P. a. I. a. D. 1740.

XXIII.

Unctio in Episcopis necessaria ostenditur.

INNOCENTIUS III ad p. r. m.

Incipit *Cum venisset, etc.* (1).

Episcopus Brandizuberensis ad Pontificem progressus, eidem significavit, se non accepisse sacram unctionem in sua consecratione; quam illi dari ab episcopo Albanensi Innocentius iussit, qui probat, eam esse necessariam.

Hoc enim tenet Ecclesia catholica, non solum ex praecepto divino, sed etiam ex Apostolorum exemplo. Moyses unxit Araon et filios eius, Anacletes origine graecus, qui a b. Petro fuit in presbyterum ordinatus et postea in apostolatum Clementi successit, tradit, episcopos in sua ordinatione esse ungendos more Apostolorum et Moysis.

Unctio duplex est, interior et exterior: de exteriore loquitur D. Iacobus *infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros, qui orent super eum ungentes eum oleo;* de interiore Ioannes: *Et vos unctionem quam accepistis ab eo, maneat in vobis.*

Pro consecratione exteriore adhibetur oleum benedictum, quod dicitur catechumenorum, vel infirmorum et conficitur chrisma, quod ex oleo fit et balsamo; per oleum nitor conscientiae designatur, per balsamum odor famae bonae.

Hoc oleo ungitur caput Episcopi, significaturque prudentia et sapientia qua pollere debet Episcopus et unguntur manus, designaturque operatio, quam exercere debet Episcopus in gregis regimine. Alias mysticas rationes affert Pontifex, cur ungantur manus et caput.

(1) Ex Rayn. ad ann. 1204. p. 113.

Pontifices unguntur in capite, Principes in brachio.

Baptizandi unguntur in pectore et inter scapulas.

Pontifices debent monere ubi adhibenda sit manus, ubi gladius, hunc adhibent principes, illa utuntur Pontifices; ideo illi in capite, hi unguntur in brachio. Christiani est legem Christi habere in pectore, omnia pro Christo ferre, ideo inungitur in pectore et inter humeros.

Frons inungitur in confirmatione, quia christianus non debet erubescere se esse christianum.

Hoc sacramentum conferendum est ab Episcopis, quia solum Apostolos, quorum Episcopi sunt successores, illud contulisse legimus.

Unguntur secundum veterem morem altaria, calices, patenae, quod fecit s. Sylvester, quod fecit Moyses.

Ad Episcopum mittit Pontifex paramenta episcopalia, quae numerat.

D. Anagniae VIII cal. mar. p. a. VII. a. D. 1204.

XXIV.

Ne electi in Episcopos differant consecrationem accipere ultra sex menses.

ALEXANDER IV Capitulis Ecclesiarum Cathedralium.

Incipit *Cum ad Romanam*, *etc.* (1).

Quidam electi in pastores Ecclesiarum differebant consecrationem suscipere, et patiebantur Ecclesias suas sponsi desiderio trabescere;

Ex qua absentia pluribus malis in eas redundantibus mederi cupiens Alexander statuit,

Ut infra sex menses ab electionis die munus consecrationis reverenter accipiant electi;

Et nisi legitime impediti, illud suscipere neglexerint, sint suspensi;

Si per alios sex menses differant, priventur beneficio, et capitula et ii, ad quos electio spectat, alium eligant.

D. Neapoli non. apr. P. a. I. a. D. 1255.

(1) B. R. t. 3. p. 1. p. 352. C. C.

XXV.

Electi in Episcopos ne differant consecrationem accipere.

ALEXANDER IV ad p. r. m.

Incipit *Olim Ecclesiarum, etc.* (1).

Causam edendae huius constitutionis dedit Alexandro Episcopus Salisburgensis Philippus Carinthiae dux. Is per annos novem eam Ecclesiam administrarat, quin unquam sacris pontificalibus initiari voluisset. De hac negligentia Alexander admonitus statuit,

Ut intra sex menses a die electionis electus Episcopus consecrationem accipiat, si eam non accipit, sit suspensus; si per menses sex alios negligat consecrari, *capitulum providendi Ecclesiae de alio habeat liberam potestatem.*

Antiquitus, *iuxta in antiquis canonibus definita tempora,* electus cum primum poterat consecrationem accipiebat, suamque Ecclesiam adibat statim.

Admonitus de hac constitutione Alexandri Philippus per sex menses accipere consecrationem distulit; iussu Alexandri fuit declaratus suspensus; per alios sex menses distulit, Ecclesiaque vacare declarata fuit, et praepositus ac capitulum canonice *volentes Ecclesiae suae consulere de pastore, vocatis omnibus, qui voluerunt, potuerunt et debuerunt commode interesse in Episcopum Chimensem, in Praepositum et Scholasticum et Hermannum canonicos Salisburgenses providendi eidem Ecclesiae de pastore contulerunt unanimiter potestatem, qui Seccoviensem Episcopum in Salisburgensem Archiepiscopum iuxta formam sibi traditam concorditer postularunt.*

Hanc electionem approbat et confirmat Alexander.

Depositionemque Philippi confirmat.

Omnibusque eius dioecesis personis mandat, ne illi pareant, et illi inhibet, ne electo molestiam afferat sub poenis etc.

(1) Ex Rayn. ad ann. 1257. §. 10.

Irritum decernit futurum quidqnid Philippus pro Archiepiscopali dignitate illa in Ecclesia aget.

Nulli ergo etc. Si quis autem etc.

D. Viterbii non. sept. P. a. III. a. D. 1257.

XXVI.

Auriensis Episcopi dubio respondetur.

INNOCENTIUS III Episcopo Auriensi.

Incipit *Quaesivisti per Sedem, etc.* (1).

In consecratione Episcopi solet Episcopos Metropolita consecrans singulos interrogare, an sciant consecrandnm esse dignum. Interdum accidit, aliquem ex assistentibns Episcopis nescire, utrum ille sit dignns an non, quia eum non novit, peccatne hic respondens, se scire eum esse dignnm?

Respondet Pontifex, *se non credere in hoc aliquem peccare*, quia praesumptio bonitatis electi pro electo militat, et ideo Episcopus respondet, eum esse dignnm, quia nititnr cognitione electorum, qui si scivissent enm non esse dignum, non elegissent.

Praeterea addit, *quantum humana fragilitas sinit*, quibus verbis, si fallitur, errorem corrigit et excusat; *illum enim, quem indignum esse non novit, dignum debet aestimare.*

D. Romae apud s. Petrum id. mar. P. a. IX. a. D. 1706.

XXVII.

Absolutio Episcopi urbis Assumptionis super minus canonica consecratione.

ALEXANDER VII ad p. r. m.

Incipit *Alias pro parte, etc.* (2).

Consecratus fuerat Episcopus urbis Assumptionis provinciae Paraquariensis anteqnam litteras apostolicas accepisset et fuerat consecratus

(1) Ex Rayn. ad ann. 1206. §. XXXXI.

(2) B. R. t. 6. p. 5 p. 53. C. C.

ab Episcopo Tucumaniae, priusquam is a s. Sede indultum dandae consecrationis haberet; et illae, et hoc iam fuerant expedita.

Sentientes Episcopi, se contra pontificia decreta egisse et incurrisse in poenas ecclesiasticas, absolutionem ab Alexandro petunt et obtinent. N. O.

D. Romae apud s. Petrum die XXVII febr. P. a. V. a. D. 1660.

XXVIII.

Formula confirmationis Pontificiae, dum capitula eligebant Episcopos.

GREGORIUS IX Cantuariensis Ecclesiae Suffraganeis.

Incipit *Praesentatam, etc.* (1).

Praesentatam nobis electionem, quam dilecti filii Capituli Cantuariensis Ecclesiae de dilecto filio magistro Eadmundo (postea inter Sanctos relato) *Thesaurario Saraberiensi, viro morum honestate conspicuo, eminenti litterarum scientia praedito, et temporalium providentia circumspecto in Cantuariensem Archiepiscopum canonice et concorditer celebratam, examinantes, sicut convenit, diligenter, eam, quia rectis dispositionibus nihil debet difficultatis afferri, de Fratrum nostrorum consilio duximus confirmandam; firmam spem fiduciamque tenentes, quod idem in eadem Ecclesia regens et dirigens indirecta, sibique per vitae meritum et aliis proficiens per exemplum quasi stella in eiusdem Ecclesiae firmamento fundata per diligentiae suae ministerium ipsi, auctore Domino, spiritualibus et temporalibus proficiet incrementis.*

Quia vero si patrem quis tenetur honorare carnalem, eo ipso spiritualis debet amplius honorari, quo pretiosior est carne spiritus et animae sunt corporibus digniores, universitati vestrae per Apostolica scripta mandamus, quatenus eidem electo tanquam patri et pastori animarum vestrarum humiliter intendentes ipsius monitis salubribus et mandatis cunctis efficaciter obedire.

D. Later. XI kal. Jan. P. a. VII. a. D. 1233.

(1) Ex Rayn. ad ann. 1233. §. 64.

» Si vero electus a capitulo non erat Archiepiscopus ita post illa » verba *proficiet incrementis* concludebantur Bullae missae ad Capitulum » et Canonicos et dioecesim Ecclesiae.

Quocirca universitatem vestram monemus et hortamur attente per Apostolica scripta vobis mandantes, quatenus eumdem Episcopum electum tanquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes, eius monitis et mandatis salubriter et humiliter intendatis, ita quod ipse N. Episcopus in vobis devotionis filios et vos in eo per consequens patrem invenisse benivolum gaudeatis.

Hoc autem Eadmundus edidit iuramentum in manibus Episcoporum Londinensis et Roffensis, quod ad Pontificem miserunt.

I. *Ego Eadmundus Cantuariensis Archiepiscopus ab hac hora in antea fidelis et obediens ero b. Petro et Sacrae R. Ecclesiae et Domino Papae Gregorio suisque successoribus canonice intrantibus.*

II. *Non ero in facto, nec in consilio, aut consensu ut vitam perdant, aut membrum, aut capiantur mala captione.*

III. *Consilium vero, quod mihi credituri sunt per se, aut per nuntios suos, sive per litteras ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam.*

IV. *Papatum Romanum et regalia b. Petri adiutor eis ero ad retinendum et defendendum, salvo meo ordine, contra omnem hominem.*

V. *Legatum Apostolicae Sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo et in suis necessitatibus adiuvabo.*

VI. *Vocatus ad Synodum veniam, nisi praepeditus fuero canonica praepeditione.*

VII. *Apostolorum limina singulis trienniis visitabo, aut per me, aut per nuntium meum, nisi Apostolica absolvar licentia.*

VIII. *Possessiones vero ad mensam mei Archiepiscopatus pertinentes non vendam, neque donabo, neque pignorabo, neque de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, inconsulto Romano Pontifice.*

Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia.

XXIX.

De confirmatione petenda ab Episcopis.

NICOLAUS III ad p. r. m.

Incipit *Cupientes Ecclesiarum, etc.* (1).

Cum velit occurrere Pontifex vacationibus periculosis Ecclesiarum *hac generali et in perpetuum valitura constitutione sancit, ut omnes electi cathedralium, vel regularium Ecclesiarum, quorum electionum confirmationes, vel infirmationes ad ipsius Sedis examen deducit immediate subiectio, vel appellatio interiecta devolvit, infra unum mensem post consensum, vel post obtentam de ipsorum electione notitiam, si eam non contingeret debito tempore praesentari, ad Sedem ipsam iter arripiant.*

Et ex tunc sive intra praescriptum mensem iter arripuerint, sive non, absque fraude quam cito commode poterunt, locorum considerata distantia, petituri suarum electionum confirmationes, vel prosequuturi electiones suas, quibus potuerint modis licitis comparere cum omnibus actis, iuribus, monumentis suis et processus suos contingentibus coram nobis personaliter teneantur.

Quod si per viginti dies post lapsum ex qualitate locorum moderandi temporis expectati sive eligentes, seu opponentes venerint, sive non personaliter comparere et suarum electionum confirmationem, vel prosequutionem, seu executionem petere nulla iusta causa interveniente contempserint; de qua infra praedictos viginti dies proposita, infra quindecim dies post tempus huiusmodi coram nobis, vel alio, sive aliis deputando, vel deputandis a nobis, si admittenda videbitur, teneantur apud S. Sedem ipsam facere plenam fidem: nisi vel infra eosdem viginti dies per praedictos quindecim eo casu tantum, cum ad praedictam causam propositam, ut praedicitur, et admissam probandam concessi fuerint, talia et tam verisimilia proponi contingeret, quae iudicio praesidentis electos ipsos ab infrascripta poena merito excusarent et propter quod forsitan videretur eidem ad praedictam comparitionem tempus prolixius indulgendum.

(1) Ex Rayn. ad ann. 273. I. §. 44.

Insuper etiam eo casu, quo, ad personalem electorum comparitionem excusandam, aliquam iustam causam proponi contigerit, vel admitti, nisi tunc infra idem tempus, iusto impedimento cessante, per procuratorem ad praemissa omnia sufficienter instructum, et nihilominus ipsa causa causante, ut praemittitur, se personaliter praesentarint, electiones de ipsis factas eo ipso viribus vacuantes, ipsos omni iure, si quod eis per electionem huiusmodi quaesitum esset, decernimus esse privatos.

Electos vero, qui se sine actis, iuribus et monumentis suis et processus *suos continentibus personaliter, vel per procuratorem, ut praemittitur, praesentarint, eos volumus ex contemptu constitutionis huiusmodi eo casu poena percelli, ut pro exhibendis illis alibi quam apud Sedem ipsam, nisi ex iusta causa, non possint dilationem aliam obtinere.*

Nulli ergo etc. Si quis autem, etc.

Dat. Romae apud S. Petrum id. dec. P. a. II. a. D. 1279.

XXX.

Superioris constitutionis declaratio.

NICOLAUS III ad p. r. m.

Incipit *Quia leges, etc.* (1).

Superiorem constitutionem *praesenti constitutione eo moderamine decernit Nicolaus observari,*

Ut virtus eius, prout ipsorum negotiorum status et qualitas patientur, sic in veniendo, comparendo, prosequendo expensas ministrando, eligentes, electos, postulantes et postulatos, ut se opponentes in iisdem praeteritis, et in iudicio pendentibus negotii, eo tempore, quo verisimiliter possit ad eos praesentis constitutionis editio pervenire, omnes adstrigant, quemadmodum ex sui forma, suis determinationibus, modis, poenis, terminis in futuris negotiis coarctabat.

Nulli ergo, etc. Si quis autem, etc.

D. Romae apud S. Petrum Non. feb. P. a. III. a. D. 1280.

(1) Ib. §. 16.

XXXI.

Episcopi consecrati a Pontifice, vel, de eius mandato, ab alio, iuramentum Metropolitis suis praestare debent.

CLEMENS VI ad p. r. m.

Incipit *Romanus Pontifex, etc.* (1).

Episcopi non immediate subiecti S. Sedi consecrati vel a Pontifice, vel de mandato Pontificis ab aliis Episcopis renuebant dare iuramentum suis Metropolitis, aientes se illud dedisse Pontifici, vel Episcopis, a qnibus iussu Pontificis fuerant consecrati.

Questi fuere apud S. Sedem de hac antiquissimae consuetudinis violatione Metropolitae.

Per has ergo Litteras decernit Clemens, ut suffraganeis a quocumque Episcopo consecrentur, etiamsi a Pontifice, solitum iuramentum suis Metropolitis praestent.

Nulli ergo, etc.

D. Avenioni kal. Oct. P. a. VIII.

Hanc eamdem Constitutionem Urbanus V confirmavit an. 1370. XII. kal. dec. ad preces Gaffredi Archiepiscopi Tolosani.

XXXII.

Disquisitio, num qui aliquem ordinem a Pontifice accepit, debeat consecrari electus Episcopus a Pontifice.

BENEDICTUS XIV. Carolo electo Episcopo Iustinopolitano.

Incipit *In postremo, etc.* (2).

Quaerit in hac constitutione Benedictus, num qui ordines minores, vel aliqnem e maioribus acceperit a Pontifice, electus Episcopus debeat consecrari ab ipso Pontifice, vel ab alio de commissione expressa Pontificis.

(1) Ex Petro de Marca de Concordia I. et S. p. 793.

(2) B. M. t. 19. p. 253.

Occasionem huic dissertationi dedit Carolus electus Episcopus Justinopolitanus, qui diaconatum et presbyteratum a Benedicto XIII acceperat.

Celebris est textus Innocentii III in cap. *cum in distribuendis, de temporibus ordinationum: ordinatus a Papa sine licentia Papae ad superiores ordines non promoveatur.* Canonistae omnes ex hoc textu concludunt, qui accepit ordinem aliquem a Pontifice aut esse ordinandum in reliquis a Pontifice, aut ab alio de licentia Pontificis; ex quo textu tamen Christianus Lupus ostendit hoc non tam aperte, ut canonistae putant, deduci.

In dictato Gregorii VII canon XV talis est, *Ordinatus a Papa alii Ecclesiae praeesse potest, sed non militare, et ab aliquo Episcopo non debet superiorem gradum accipere.*

Ulterius vergente saeculo XII Archiepiscopus Mediolanensis consuluit Innocentium III quidnam agere deberet, cum in sua Ecclesia essent multi clerici ordinati a Pontifice, qui proinde non poterant promoveri ad altiores ordines? et Innocentius ei dat licentiam illos promovendi, modo tamen ii clerici *promoveri velint.* Quod est alterum privilegium eorum, qui sunt ordinati a Pontifice, *ut nonnisi spontanea voluntate* ordinari possint ab Episcopo.

Atque haec intelligenda sunt de iis, qui ordinati sunt a Pontifice *honoris causa*, non de iis, qui addicti sunt obsequio alicuius Ecclesiae.

A pari id etiam probat Benedictus, sicut simplex Sacerdos, quo die Episcopus celebravit, super eodem altari celebrare non potest, nec quisquam potest celebrare super altari, super quo celebravit Pontifex, nisi de ipsius Pontificis licentia, ita qui accepit aliquem ordinem a Pontifice ordinari nequit ab Episcopo, nisi de licentia Pontificis.

Tangit hic Pontifex scholasticas quaestiones de charactere Episcopatus, num sit diversus a charactere presbyteratus; num Episcopatus ordo dari possit Diacono, an requiratur necessario intermedius presbyteratus.

Quam postremam quaestionem solvit Benedictus adducens auctoritatem Concilii Tridentini *sess.* 22. *c.* 2. *de Reform.* iubentis, neminem

posse consecrari in Episcopum, *nisi in sacro ordine antea sex mensium spatio fuerit constitutus*, et stylum Curiae in bullis datis ad subdiaconos electos in Episcopos, *postquam tamen ad sacros ordines diaconatus et presbyteratus fueris admotus.*

Non pauca affert de more electionis Episcopi, quae fiebat a capitulo, et consecrationis, quae fiebat a Metropolitanis (v. supra Bullas VII. VIII. IX. X. et XX. XXI) nunc consecratio fit ab eo Episcopo, quem eligit S. Sedes.

Benedictus XIII voluit, ut fieret a Metropolita, qui impeditus, posset subdelegare alium; si consecrandus sit Metropolita, scribitur a Curia antiquiori suffraganeo.

Benedictus XIV consecrationem Episcopi existentis Romae vult fieri ab aliquo Cardinali Episcopo vel saltem ab aliquo ex Patriarchis quatuor, qui ut plurimum sunt Romae;

Ex quibus convincitur, nunc Episcoporum consecrationes reservatas esse Pontifici, qui delegat vel hunc, vel illum ad eas peragendas.

Canonistae quaestiones ex quaestionibus ferentes quaerunt, num ordinatus a Pontifice debeat obedire Episcopo? a qua obedientia non absolvitur hic ordinatus a Pontifice; num hic ordinatus possit ab Episcopo suspendi? an eius reservata sit Pontifici suspensio?

Abeunt in diversa canonistae, sed Benedictus ait, quemadmodum suspensio Episcopi, cuius consecratio facta fuit a Pontifice, vel ab alio de eius licentia, reservatur Pontifici, ita dicendum esse de suspensione, vel degradatione ordinati a Pontifice, scilicet hanc, vel illam reservari Pontifici:

Post haec omnia fuse exposita, Pontifex ait, se consecraturum Episcopum Iustinopolitanum, vel si erit impeditus podagra, vult esse praesens consecrationi faciendae die festo Ss. Simonis et Iudae.

Consecratus Episcopus insignietur a Pontifice titulo *Venerabilis frater*, quo titulo omnes Episcopi nominantur a Pontifice, etiam Episcopi schismatici, ut arguitur ex plurimis litteris pontificiis ad eos missis, idque in gratiam episcopalis characteris.

D. Romae apud S. M. Mai. die XX octob. P. XVII, a. D. 1756.

XXXIII.

Vetantur translationes.

HILARUS Ascanio et Episcopis Tarraconensis provinciae.

Incipit *Postquam litteras, etc.* (1).

Irenaeus iam Episcopus ad Ecclesiam Barcinonensem transierat. Factum reprehendit Hilarus tanquam contra canones Nicaenos patratum et quatuor haec circa Episcopos observari mandat:

I. *Ut nullus praeter notitiam et consensum Metropolitae aliquatenus consecretur Episcopus, quia vetus ordo hoc tenuit, hoc trecentorum decem et octo Patrum definivit auctoritas;*

II. *Ut nemo relicta Ecclesia sua ad alteram transire praesumat;*

III. *Ut in relicta Ecclesia alius de clero proprio ordinetur, quem Metropolita consecrabit;*

IV. *Ne in una Ecclesia duo sint Episcopi.*

Tum exponit qualitates eligendi in Episcopum ex Apostolo.

Si Irenaeus ad Ecclesiam suam *redire neglexerit, removendum se ab Episcopali consortio esse cognoscat.*

D. III kal. Ianu. Basilisco et Hermenerico VV. CC. Coss.

Ann. Dom. 465.

XXXIV.

Eadem inhibitio.

HILARUS Episcopis Viennensi, Lugdun. Narbon.

Incipit *Quamquam notitiam, etc.* (2).

Episcopus Hermes exclusus a Bituricensibus, quibus ordinatus fuerat, *a Narbonensi Ecclesia credidit iure suscipi.*

Coarguit factum Hilarus, reprehensumque fuisse ait, *a numeroso Concilio fratrum ex diversis provinciis ad diem natalis Pontificis congregato.*

(1) B. R. t. 1. p. 50. C. C.

(2) Ib. p. 48. C. C.

Pontifex tamen existimans, Hermetem *in eos excessus incurrisse, potius quam fecisse*, permittit, ut sit Ecclesiae Narbonensis Episcopus.

Sed tamen facultatem, quam habent eius Ecclesiae Episcopi consecrandi comprovinciales illi adimit, datque eam Veneticae Ecclesiae Antistiti, quia *aevo honoris primus erat;* mortuo tamen Hermete ius ad tempus ablatum redibit ad Narbonenses Episcopos.

Mandat deinde, ut per singulos annos nationale episcopale concilium habeatur *ex quibus poterit provinciis*, in quo examinentur minores causae, maioribus Sedi Apostolicae reservatis.

Ne ullus Episcopus audeat ad ullam provinciam proficisci praeter litteras Metropolitani, quas si impetrare non potuerit ob aliquas simultates, Episcopus Arelatensis deputatur huius controversiae iudex.

Remittit ad praedictos Episcopos examinandum libellum ab Episcopo Arelatensi oblatum, quo petit, Parochias suae Ecclesiae a suo praedecessore translatas pristino iuri restitui.

Eos demum monet, ne bona immobilia suarum Ecclesiarum alienent.

D. III Id. dec. G. L. P. Severo Augusto Cos. an. 462.

V. Ecclesias Bituricensem et Salernitanam.

XXXV.

Increpantur quidam Episcopi, quod permiserint Imperatori facere translationem Episcopi.

EUGENIUS III Episcopis Salisburgensi, Bernensi, Trevirensi etc.

Incipit *Litteras quas, etc.* (1).

» Imperator Fridericus I transtulerat Episcopum ab sede sua Cicensi » in Magdeburgensem, quam translationem significarunt Episcopi Eugenio.

Se maxime miratum fuisse, iis respondet Eugenius, permisisse eos, Imperatorem violare tam aperte sacros canones et eos qui pro muro debuissent stare pro Dei Ecclesia, ut Imperatoris sibi compararent gratiam, in re tanti momenti eos illi fuisse adulatos.

(1) Ex Baron. ad ann. 1152. § 8.

Cum enim translationes Episcoporum sine manifestae utilitatis et necessitatis iudicio divinae legis oraculum non permittat, cum etiam multo amplior, quam in aliis electionibus, cleri et populi eas debeat praevenire concordia in facienda translatione, nihil horum est, sed solum favor principis expectatur.

Tum ostendit Eugenius utilitatem, quae redundabat in Ecclesiam, a qua fuerat translatus Episcopus Guicmanus, et quam male Episcopi hanc translationem permiserint.

Eos hortatur, ut rogent Imperatorem, ut relinquat Ecclesiae Magdeburgensi liberam electionem; ut potius libertatem omnibus Ecclesiis det, quam adimat.

D. Signiae XVI cal. sept. P. a. VIII. a. D. 1152.

XXXVI.

Poena inflicta propter translationem.

INNOCENTIUS III Hyldesehemensi capitulo.

Incipit *Novum et inauditum, etc.* (2).

Conradus Episcopus Hyldesehemensis imperialis aulae cancellarius ad Ecclesiam Herbipolensem transierat, inconsulto Pontifice.

Innocentius graviter eum reprehendit in epistola ad eum data, quae sine salutatione consueta est, eumque excommunicavit, deposuitque a sede Herbipolensi.

Tum scripsit Archiepiscopo Magdeburgensi, eiusque suffraganeis, ut hanc depositionem, excommunicationemque Conradi publicari faciant, ut ab omnibus evitetur, et eam publicari faciant solemniter singulis diebus dominicis et festis.

Capitulo autem Hyldesehemensi iubet, ut ad electionem alterius Episcopi procedat, *quod ad Herbipolensem Ecclesiam Conradus transire praesumpsisset, apostolicae Sedis auctoritate contempta, ad quam Episcoporum cessiones, depositiones et translationes spectare compertum est omnibus.*

D. Later. II non. iul. P. a. II. a. D. 1199.

(2) Ex epist. l. ium. 2. ep. 52.

XXXVII.

Vacationes Ecclesiarum in translationibus Episcoporum censeantur factae, cum in concistorio Episcopus absolvitur.

URBANUS VIII ad p. r. m.

Incipit *Nobis nuper, etc.* (1).

Translationes, dimissiones Ecclesiarum Episcopalium quandonam censeri factae deberent, cum non satis conveniretur, ac proinde lites enascerentur, propterea quod translati Episcopi, sed nondum litteras ap. consequuti volebant iurisdictionem exercere in novam Ecclesiam, vel in dimissam etiam se ingerere.

Urbanus, ut dubitationes tollat, de consilio congregationis Concilii declarat, tunc censeri Episcopos dimisisse Ecclesias, vel fuisse translatos, cum in concistorio absolvuntur a vinculo suarum Ecclesiarum.

Atque ita iudicari mandat. N. O.

D. Romae apud s. Petrum die XX mar. P. a. II. a. D. 1625.

XXXVIII.

Translati Episcopi ne dent beneficia eius Ecclesiae, a qua sunt translati.

URBANUS VIII M. P.

Incipit *Licet nullus, etc.* (2).

Episcopi, etiamsi sint Cardinales, a regimine unius Ecclesiae ad aliam translati, non possunt amplius conferre beneficia illius Ecclesiae, a qua sunt translati, sed tantum illius, ad quam sunt translati.

Collationesque ita factas nullas decernit Urbanus.

P. M. P. P.

D. X sept. P. a. IV. a. D. 1626.

(1) B. R. t. 3. p. 5. p. 315. C. C.
(2) B. M. t. 5. p. 122. - B. R. t. 6. p. 1. p. 13. C. C

XXXIX.

Episcopus Auximanus absolvitur a censuris ob exercitam iurisdictionem in dioecesi Ilcinensi.

ALEXANDER VII Antonio Episcopo Auximano.

Incipit *Cum sicut, etc.* (1).

Antonius Episcopus Ilcinensis translatus fuerat ad episcopatum Auximanum. Immemor interim suae absolutionis ab illa Ecclesia in eadem quosdam iurisdictionis actus exercuerat contra sacros canones; ob quorum violationem in censuras prolapsus absolutionem ab Alexandro petiit.

Quam illi impertitur Alexander. N. O.

D. Romae apud s. Petrum die V apr. P. a. I. a. D. 1656.

XL.

De examinibus faciendis in translationibus Episcoporum.

URBANUS VIII. Decretum.

Incipit *Si processus, etc.* (2).

Ut tradidit Urbanus formulam examinandorum testium in promotione Episcoporum, ita eam assignat in eorum ab una ad aliam Ecclesiam translatione.

Ergo examinentur testes,

I. An cognoscant Episcopum?

II. An sciant, eum esse consecratum?

III. Per quot annos fuerit Episcopus?

IV. An assidue resederit?

V. An visitaverit dioecesim?

(1) B. R. t. 6. p. 4. p. 94. C. C.
(2) B. R. t. 6. p. 1. p. 73. C. C.

VI. An saepe celebraverit solemniter?

VII. An praeiverit exemplo et doctrina?

VIII. An prudenter se gesserit?

IX. An habeat doctrinam in Episcopo necessariam?

X. An sit dignus qui transferatur?

Haec eadem servanda erunt in transferendis in monasteria.

Episcopus praestet iuramentum fidei in manu Praelati, praesente notario, qui hanc professionem exscribet, seque subscribet post praelati subscriptionem testantis, se recepisse iuramentum.

An. Dom. 1627.

XLI.

Episcopi tenentur venire ad concilia.

INNOCENTIUS III Archiepiscopo Lundensi.

Incipit *Inter caetera, etc.* (1).

Multa Episcopi et Archiepiscopi praesertim debent exhibere Apostolicae Sedi, tamquam matri suae; inter haec illud praecipuum est, ut ad concilia veniant.

Cum enim in iis agendum sit de regulis morum, sicut Episcopi sciunt in quo errent greges sui, ita regulae praescribi nequeunt, nisi ipsi suggerant, quae curatione indigeant.

Deest ergo muneri suo et quidem primario Episcopus, qui ad concilium vel generale, vel provinciale invitatus ire recusat.

Cum Innocentius indixisset concilium Laterani habendum a cal. nov. Lundensem Archiepiscopum invitat, quem non vult deesse.

D. Romae apud s. Petrum IX kal. mart. P. a. XVI. a. D. 1215.

(1) Ex Rayn. ad ann. 1215. §. 31.

XLII.

Licentiae obtentae de non visitandis liminibus Apostolorum revocantur.

ALEXANDER IV ad p. r. m.

Incipit *Importuna multorum, etc.* (1).

Multi Episcopi per importunas preces ita coarctarant praedecessorem Pontificem Innocentium IV et hunc Alexandrum, ut eos absolverint ab iuramento facto de visitandis liminibus Apostolorum.

Ex huiusmodi dispensationibus gravissimum illud ortum erat inconveniens, *quod apostolicae Sedis dignitas rarius visitabatur in derogationem reverentiae, quae debetur eidem; utpote quae mater existit Ecclesiarum et magistra.*

Dignitati ergo apostolicae Sedis eiusdem volens Alexander consulere, *praesertim cum non sit facile recedendum ab eo, quod a praedecessoribus Pontificibus super hoc diu excogitatum existit et obtentum*, de consilio fratrum indulgentias et concessiones huiusmodi Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus et aliis Ecclesiae praelatis factas revocat.

D. Viterbii III non. aug. P. a. III. a D. 1257.

XLIII.

Alia revocatio exemptionum a visitatione liminum Apostolorum.

ALEXANDER IV ad p. r. m.

Incipit *Importuna multorum, etc.* (2).

Assiduae Episcoporum preces invitum pertraxerant Innocentium, ut multa concederet, quae nullo modo erant concedenda.

Inter has concessiones dedit quibusdam Episcopis exemptiones a visitatione sacrorum liminum contra formam praestiti ab iis iuramenti.

(1) Ex Rayn. ad ann. 1257. §. 50.
(2) B. R. t. 3. p. 1. p. 383. C. C.

Alexander reputans, hoc fuisse statutum et confirmatum a pluribus antecessoribus Pontificibus, ut ad magistram Ecclesiam statutis temporibus omnes Episcopi accederent, has omnes exemptiones revocat, nullumque Antistitem exemptum vult ab hac visitatione.

Nulli ergo, etc. Si quis, etc.

D. Viterbii IV kal. aug. P. a. IV. a. D. 1258.

XLIV.

Iubentur Episcopi visitare sacra limina.

SIXTUS V ad p. r. m.

Incipit *Romanus Pontifex, etc.* (1).

Solebant antiquitus Episcopi ad data tempora limina Apostolorum visitare.

Quidam ob varias causas aiebant, se non posse a suis dioecesibus discedere, quidam ob mendicatos praetextus huiusmodi tam pium institutum reliquerunt.

Quod Sixtus renovare volens, iubet, ut omnes Ecclesiae Praelati vix promoti ad suas Ecclesias haec limina visitent, vel translati idem faciant; eodemque tempore alii, qui iam regunt Ecclesias, accedente Romam suarum Ecclesiarum Pontifici rationem reddant.

Quod si ipsi per se id facere nequeunt, per nuncium id saltem faciant.

Immo principes, qui aliquid a s. Sede impetrare volunt, eligere tempus possunt, quo Episcopi suarum ditionum Romam accedunt, ad impetrationem.

Episcopis Italiae praefinitur ad hanc visitationem annus quilibet tertius, aliis ultra mare et montes annus quartus.

Poenas minatur ita non facientibus. N. O.

Nulli ergo, etc.

D. Romae apud s. Petrum XIII kal. ianu. P. a. I. a. D. 1585.

(1) B. M. t. 2. p. 551. - B. R. t. 4. p. 4. p. 193. C. C.

XLV.

Invitatio Episcoporum Romam.

CLEMENS VIII Archiepiscopo Trevirensi.

Incipit *Tempus acceptabile, etc.* (1).

Invitat Clemens Romam Archiepiscopum Trevirensem cum suis suffraganeis, ut lucretur iubilaeum, et ut statum suae Ecclesiae s. Sedi exponat.

Quam adhortationem facit aliis omnibus Metropolitanis, ut excitent suos suffraganeos ad accedendum Romam, deferendumque secum suarum Ecclesiarum statum.

D. Romae apud s. Petrum die XXX oct. P. a. VIII. a. D. 1599.

XLVI.

Etiam inferiores praelati habentes iurisdictionem quasi episcopalem iubentur visitare sacra limina.

BENEDICTUS XIV ad p. r. m.

Incipit *Ad sancta, etc.* (2).

Sardicensis synodus iam praeceperat, ut Episcopi referrent identidem suarum Ecclesiarum statum ad Romanam Sedem, ut ita facilius provideri posset earum incommodis.

Hac de causa Sixtus V edidit constitutionem, (et est antecedens *Romanus Pontifex*) qua iniungit omnibus Ecclesiarum praelatis, ut identidem Romam veniant suarum Ecclesiarum reddituri rationem.

Sed cum multi abbates, priores et alii sint, qui spirituali iurisdictione quasi episcopali in suis territoriis separatis gaudeant, eorumque Ecclesiae ab omni Episcopali iurisdictione sint exemptae, nullumque onus iis iniunxerit Sixtus limina Apostolorum visitandi, Pontifex statum harum Ecclesiarum se fatetur omnino ignorare.

(1) B. R. t. 5. p. 2. p. 270. C. C.
(2) B. M. t. 16. p. 11.

Igitur ille primum confirmat constitutionem Sixti,

Iubetque ab Episcopis eam observari;

Deinde eam extendit et ad inferiores praelatos, quos vult, si Romae sint, iurare in manu diaconi Cardinalis in ordine prioris, si absentes, in manu Nuncii, aut Legati a latere, sin minus in manu Archiepiscopi, vel Episcopi, in cuius dioecesi separatum habent territorium, se quovis anno tertio, si sint in Italia, vel quovis anno quarto, vel quinto, si degant ultra mare, aut montes, venturos Romam, relaturosque suarum Ecclesiarum rationem, et si sint legitime impediti, cum hac relatione se missuros nuncios suos.

Tempus autem visitationis erit computandum ab utrisque vel Italis, vel ultramontanis et transmarinis a tempore captae possessionis. Nomine autem Italorum veniunt etiam incolentes insulas Italiae adiacentes.

Qui vero provisi sunt abbates, priores, etc. neque dederunt iuramentum, si plures sunt anni, ex quo sunt provisi, si sint Itali, accedant infra annum, si extra Italiam, infra biennium.

Non peragentibus vel per se, vel per nuncios hanc visitationem et hanc relationem, poenam suspensionis infligit. N. O.

Apponitur in fine constitutionis formula iuramenti praestandi ab his inferioribus praelatis, quod est, se accessuros Romam dato tempore, se vere relaturos suarum Ecclesiarum statum.

Nulli ergo, etc.

D. Romae apud S. M. Mai. IX kal. dec. P. a. I. a. D. 1740.

XLVII.

Formula faciendae relationis status Ecclesiarum.

BENEDICTUS XIV Sacra Congregatio concilii, etc.

Incipit *Summus Pontifex, etc.* (1).

Cum relationes Episcoporum advenientium Romam ad sacra limina factae suarum Ecclesiarum aliae essent abundantes in superfluis, aliae

(1) Ib. p. 13.

deficientes in necessariis, propterea quod Sixtus, qui has relationes faciendas decreverat, quamdam formam non praescripserat, iuxta quam illae fierent, Benedictus iussit, ut congregatio Cardinalium super Concillo hanc formulam exararet, in qua vitarentur supervacanea, et solum scitu digna apponerentur.

Ea continet capita novem.

In I. Facienda est relatio de Ecclesia materiali; exponenda institutio, confinia, privilegia, numerus oppidorum, status cathedralis, ecclesiarum collegiatarum, canonicatuum, praebendarum, ecclesiarum parochialium, oratoriorum, hospitalium, collegiorum, archiconfraternitatum, montium pietatis.

In II. Referenda erunt quae pertinent ad ipsam vel primatialem, vel patriarchalem, vel archiepiscopalem, vel episcopalem, vel abbatialem Ecclesiam; num Episcopus adimpleverit praeceptum de residentia, num et quoties, an per se, an per alios dioecesim visitaverit; num et quoties synodum coëgerit; num praedicaverit verbum Dei, vel impeditus per alium suppleverit, an poenas pecuniarias applicaverat locis piis, quaenam taxa et an Innocentiana servetur in sua cancellaria; an habeat quicquam quo impediatur ab exercenda sua iurisdictione; quale opus pium egerit pro sua Ecclesia, populo, clero, etc.

In III. Exponet Episcopus statum cleri saecularis; an Canonici intersint quotidie choro et celebrent missam conventualem, serventque constitutiones; num Theologus et Poenitentiarius adimpleant sua munera; num Parochi resideant in suis Ecclesiis, num retineant libros baptizatorum, matrimoniorum, mortuorum, an doceant populum, in Missa diebus dominicis et festis applicent pro populo; an Clerici promovendi ad ordines vacent decem diebus ante spiritualibus exercitiis; an habeantur collationes theologicae morales; an sint publica scandala, etc.

In IV. Edentur pertinentia ad clerum regularem: an Regulares habentes curam animarum adimpleant munera sua; an aliqui extra conventum pernoctent; an sint apostatae et eiecti; an visitaverit eorum paroecias et conventus, qui iuxta constitutiones Ordinariis subsunt, qui sint singulorum ordinum mores, etc.

In V. Enarrabuntur pertinentia ad Moniales: an servent regulas, an clausuram, an dati sint iis extraordinarii Confessores; an in monasteriis exemptis servetur regulariis disciplina; an harum Monialium confessarii fuerint ab Episcopo approbati, etc.

In VI. Significabuntur attinentia ad Seminarium: quot haec seminaria sint in sua Dioecesi, quot alumni nutriantur, an inserviant diebus dominicis et festis in Cathedrali; quot sint magistri, quot redditus, an illud visitet, an cum consilio duorum Canonicorum illud regat, etc.

In VII. Describentur denuncianda circa loca pia et Confraternitates: an in sacristiis sint expositae tabellae onerum Missarum; an mandentur executioni voluntates testatorum, an visitaverit montem pietatis, an hospitalia, qui haec loca regant, etc.

In VIII. Referentur scienda de laicis: qui eorum mores, num dociles, num propensi ad Dei cultum, quae vulgatiora vitia, etc.

In IX. Proponet Episcopus quae optet facienda pro sua Ecclesia, et suas postulationes exponet. Sed haec postulata respiciant suae Ecclesiae utilitatem. Si Episcopus volet aliquid addere, quod corrigatur, vel promoveatur, addat.

D. Romae apud S. M. Mai. die XIII dec. P. a. I. a. D. 1740.

XLVIII.

Institutio Congregationis, quae has relationes examinet.

BENEDICTUS XIV ad p. r. m.

Incipit *Decet Romanum*, *etc.* (1).

Sicut ampliavit Benedictus Constitutionem Sixti, iubens inferiores Praelatos venire Romam, ita erigit Congregationem,

Cuius munus sit inspicere relationes horum Abbatum et eorum postulata, sicut etiam maiorum Praelatorum relationes examinare.

Praelatos, et Cardinalem Praefectum Congregationis et Secretarium, qui nomine Congregrationis rescribat, Benedictus nominat.

D. Romae apud S. M. Mai. IX kal. dec. P. a. I. a. D. 1740.

(1) Ib p. 16.

XLIX.

Episcopus Cardinalis creatus censebatur solutus a suo Episcopatu.

MARTINUS V Ioanni *(de Rochetaillee)* Archiepiscopo Rothomagensi.

Incipit *Romani Pontificis, etc.* (1).

Certiorem fecit Martinus Ioannem praedictum creatum fuisse Cardinalem Presbyterum S. R. E. simul cum quibusdam aliis, ita exigentibus eius virtutibus, ingentibusque in Ecclesiam meritis.

Sed cum Pontifex timeat, ne ille dignitatem recuset eo quod absolutus ab Archiepiscopatu, ac proinde eius beneficii privatus redditibus, Cardinalitiae dignitatis onera sustinere nequet, *sicut in simili casu reperitur per nonnullos aliis temporibus factum esse et aliquos penitus recusasse*, eius arbitratui permittit dimittere aut retinere Archiepiscopatum;

Idque etiam libentius facit, quia nollet Antistite tanto illam Ecclesiam spoliare, a quo plurima accepit et acceptura est ornamenta, et a quo tanta sanctitate, integritate et fide regitur, regeturque. N. O.

Nulli ergo, etc.

D. Romae apud S. Petrum VIII kal. iunii, P. a. IX. a. D. 1462.

L.

Episcopo suspenso, vel interdicto, Ecclesia non censetur vacare.

BONIFACIUS VIII Philippo Regi Galliae.

Incipit *Cum nuper, etc.* (2).

Ex quibusdam causis Bonifacius coram se citaverat Episcopum Laudunensem, eumque suspenderat ab administratione eiusdem Ecclesiae in spiritualibus et temporalibus.

(1) Ex Petro de Marca de Concordia Sac. et Imperii - Typis Francfordiensibus in prolegomenis p. 79.

(2) Ex Rayn. ad. ann. 1298. §. 24.

Rex praetextu cuiusdam consuetudinis, quae appellatur regalia, eiusdem Ecclesiae bonorum temporalium administrationem cepit.

Pontifex Regi ait, eum fuisse a suis consiliariis deceptum, neque potuisse eius Ecclesiae bona administrare; *quod per interdictum administrationis, vel suspensionem, seu etiam excommunicationem praelati non vacat Ecclesia.*

Quare Rex dimittat administrationem.

D. Reate IV id. oct. P. a. IV. a. D. 1299.

LI.

Quae respicere debeant Episcopi in admittendis ad clericatum.

LEO I Universis Episcopis per Campaniam, Picenum etc. constitutis.

Incipit *Ut nobis, etc.* (1).

Praescribit Leo Episcopis per Italiam constitutis, quae observare debeant in admittendis ad clericatum personis laicis.

Attendenda est ratio natalium; non enim promovendi sunt, *qui premuntur vilitate servitii, nec a dominis suis consequi libertatem potuerunt.*

Morum etiam attendenda est honestas;

Arcendi a clericatu mariti viduarum, aut repudiatarum;

Eos etiam monet Leo, ne permittant clericos exercere usuram nomine suo, vel alieno.

Aliter facientes ab officio removeant.

D. VI id. oct. Maximo iterum et Paterno VV. CC. Coss. an. 443.

LII.

Laicos in haeresim prolapsos ne admittant ad clericatum tam facile.

LEO I Ianuario Episcopo Aquileiensi.

Incipit *Lectis fraternitatis, etc.* (2).

Interroganti Episcopo Ianuario, num clerici prolapsi in haeresim sint restituendi ad pristinum gradum,

(1) B. R. t. 1. p. 29. C. C.
(2) Ib. p. 39. C. C.

Et num laici haeresim amplexati, detestatique eam postea, sint admittendi ad clericatum, respondet Leo:

Clericos in haeresim prolapsos, si severam et diutinam poenitentiam egerint, esse ad pristinum gradum restituendos;

Laicos autem non tam facile promovendos ad clericatum. Si enim difficiles debent esse Episcopi in promovendis iis, qui sunt *inculpati de haeresi, multo magis non debet licere in suspectis et prolapsis.*

D. III kal. iauu. Alypio et Ardabure VV. CC. Coss. an. 447.

LIII.

Qui sint recipiendi in clericos ab Episcopis.

GELASIUS I Episcopis per Lucaniam et Brutios et Siciliam constitutis.

Incipit *Necessaria rerum*, *etc.* (1).

Ad preces quorumdam Episcoporum et praecipue Ravennatis, dolentium ob nimiam antiquorum canonum severitatem imminui quotidie magis ecclesiasticam militiam, haec dispensat Gelasius, posse id fieri, inqniens, si necessitas urgeat.

I. *Ergo si quis de religioso proposito et monasterialibus disciplinis eruditus accedat ad munus clericale*, inquisita eius vita, si non fuerit vel viduae, vel repudiatae, vel duarum mulierum vir, non sit originariae servituti obnoxius, *si curiae iam probatur nexibus absolutus*, si litteris est sufficienter instructus, *continuo Lector, vel notarius, aut certe defensor effectus, post tres menses existat Acolythus,* maxime si aetas suffragetur, sexto mense subdiaconus; si sit *modestae conversationis et bonae voluntatis,* nono mense Diaconus; anno completo presbyter ordinetur,

II. Si ex laicis aliquis assumendus sit, omnia supradicta diligentius inspiciantur;

III. Excludentnr bigami, viduae, aut repudiatae viri, sine litteris, vitiati corpore, *conditionarii,* Curiae nexibus implicití (hoc est inquisiti de crimine) poenitentes publici ob publicum delictum;

(1) Ib. p. 39. C. C.

IV. Episcopi novas Basilicas, *non petitis ex more praeceptionibus* dedicare, nec usurpare clericos sibi alienae Ecclesiae praesumant;

V. *Baptizandis, consignandisque fidelibus* Sacerdotes *pretia nulla* praefigant;

VI. Presbyteri sibi non arrogent episcopalia munia,

VII. Diaconi ne munia episcopalia obeant,

VIII. Omnes demum Ecclesiastici canones observent;

IX. Conferant baptisma, si non adsit necessitas, in diebus Paschatis et Pentecostes,

X. Fiant ordinationes Diaconorum et presbyterorum statis temporibus, id est, *ieiunio quarti mensis, septimi et decimi et quadragesimalis initii, ac mediana quadragesimae die sabbati ieiunio circa vesperam*,

XI. *Devotis Deo virginibus nisi aut in Epiphaniarum die, aut in albis Paschalibus, aut in Apostolorum natalitiis sacrum velamen non imponatur; sed gravi moerore correptis* aliis etiam diebus non denegetur.

XII. Servi et originarii et fugientes iura dominorum suorum non admittantur ad clericatum;

XIII. Clerici negotiantes et inhiantes turpibus lucris coërceantur;

XIV. Illiterati, quia nescient adimplere munera sua, imminuti aliqua parte corporis, vel malo affecti, cum nihil vitiosum debeat Deo offerri, non recipiantur in Clerum;

XV. Se ipsos excidentes, si sint clerici, removeantur, si velint fieri clerici, ne recipiantur.

XVI. Criminosi arceantur;

XVII. *Daemoniacis similibusque passionibus irretitis ministeria sacrosancta tractare non licet;*

XVIII. Se sociantes sacris virginibus poenitentiam agant;

XIX. Viduae, quae voverunt castitatem, nubentes postea, peccant;

XX. Laicis secundae nuptiae non sunt vetandae;

XXI. Ecclesiae et oratoria sacrari. et dedicari non debent sine consensu Pontificis;

XXII. Feminae altari non ministrent;

XXIII. Reddituum Ecclesiarum quatuor partes fiant; una sit Episcopi, secunda Clericorum, tertia pauperum, quarta applicetur fabricae Ecclesiae,

XXIV. Si haec neque Episcopus, neque Presbyter, neque Diaconus observet, *probationibus dumtaxat competenter exhibitis*, puniatur.

D. V. id. martii Asterio et Praesidio VV. CC. Coss. a. 494.

LIV.

Episcopis Hispaniae praescribuntur requirenda in promovendis ad ordines.

HORMISDA Episcopis per Hispaniam constitutis.

Incipit *Benedicta Trinitas, etc.* (1).

Quae Italiae Episcopis mandaverat observanda Leo in promotione Clericorum, praescribit Hormisda Episcopis Hispaniae;

Servanda sunt in eorum ordinatione statuta ecclesiastica,

Attendendae virtutes,

Non promovendi per saltum,

Requirenda scientia,

Publici peccatores, licet postea poenitentes, arcendi ab ordinibus,

Ne ab Episcopis quicquam exigatur pro collatione ordinum,

Praecipue Metropolitarum haec debet esse cura, ut Episcopi sui suffraganei haec curent;

Commendat iis celebrationem synodorum bis in anno; si tempora id non permittant, saltem semel per annum.

D. IV kal. apr. Agapeto V. Cl. Coss. a. 517.

(1) Ib. p. 77. C. C.

LV.

Servilis conditionis homines, invitis et insciis dominis, ne promoveantur ad clericatum.

GELASIUS I Herculentio, Stephano et Iusto Episcopis.

Incipit *Frequens equidem, etc.* (1).

Frequens equidem et assidua nos querela circumstrepit de his Pontificibus, qui nec antiquas regulas, nec decreta nostra noviter directa cogitantes obnoxius possessionibus obligatasque personas venientes ad clericale cingulum non refutant.

Nuper etenim rectores illustris foeminae Placidae petitorii oblatione questi sunt, Sabinum Marcellianensis, sive Clusionatus urbis Antistitem Antiochum servum iuris patronae suae (absentis Dominae occasione captata) ad presbyterii honorem usque produxisse, eiusque fratrem Leontium clericalis officii privilegio decorasse.

Et ideo fratres carissimi, inter supradictos actores et eos, qui extremae conditionis repetuntur obiecta, cognitionem vobis nostra auctoritate deputamus, ut omni veritate discussa, si revera obiectam sibi maculam iustae refragationis non poterit ratione diluere, Leontium Clericum, quem gradus praefinitus legibus non defendit, ad sequendam conditionis suae necessitatem modis omnibus reddi iubeatis. Antiochum vero, quia per sacerdotium reconciliari non potest, si in sua Ecclesia in hoc, in quo est honore, collocare eum desiderat Domina, non velut redditum sibi habeat, sed pro ministeriorum celebratione susceptum.

D. an. circiter 493.

LVI.

De ordinatione clericorum.

PELAGIUS I Laurentio Centumcellensi Episcopo.

Incipit *Principali devotissimorum, etc.* (2).

Principali devotissimorum militum, qui isthic in civitate Centumcellensi consistunt, relatione ad nos directa sacram epistolam insinuant, se cle-

(1) Ex Ugh. t. 10. p. 128.

(2) Ex Ugh. t. 10. p. 57.

mentissimi principis impetrasse, qui eis Presbyterum, Diaconum et Subdiaconum fieri praecepit.

Ideo hortamur dilectionem tuam, ut personas ipsas videas et diligenter requiras, ne aliquid contra canones commisissent, et si eas inculpabiles repereris et vitae ipsarum laudabile testimonium videris, veniente mediana septimana Paschae (si Dominus voluerit et si vixerimus) unumquemque per officia, quae praediximus, non differas promovere. An. 556.

LVII.

De ordinando presbytero.

PELAGIUS II Bono Episcopo Savinati.

Incipit *In parochia, etc.* (1).

In Parochia tua Basilica s. Laurentii, quae in possessione filii et Consiliarii nostri viri magnifici Theodori fundata est, officium presbyteri deesse cognovimus.

Et quia praefatus filius noster nobis retulit, invenisse Rufinum quemdam monachum olim sibi vita, religione et moribus comprobatum, et hunc postulat ibi presbyterum consecrari; quod subito fieri nos prorogata observantia non acquievimus.

Ideo dilectio tua his litteris acceptis sabbato veniente faciat eum diaconum: et si Deus voluerit et vixerimus, mediana hebdomada presbyterum faciemus: quatenus veniente paschali festivitate sacra ministeria in memorata basilica a persona competenti valeant adimpleri.

An. circiter 580.

LVIII.

In ordinationibus serventur tempora.

SIMPLICIUS Florentio, Equitio et Severo Episcopis.

Incipit *Relatio nos, etc.* (2).

Gaudentius Episcopus Aufiniensis contra canones ordinationes fecerat, tempora non servans.

(1) Ib. p. 74.
(2) Ib. p. 52. C. C.

Praefatis Episcopis ergo iubet Simplicius, ut unam partem distribuant clericis pro cuiusque meritis, duas insumant in fabricas ecclesiasticas et eleemosynas pauperum et peregrinorum, eumque arguit.

D. XIII kal. dec. post consulatum Leonis Augusti an. 1475.

LIX.

Dubiis Archiepiscopi Barensis respondetur.

GREGORIUS IX. Archiep. Bar.

Incipit *Ad ea, etc.* (1).

Haec tria dubia proposuit Archiepiscopus Barensis Gregorio;

I. An clericus extra tempora ordinatus characterem accipiat?

II. An confirmatus a simplici sacerdote sit vere confirmatus?

III. An in panno lineo a graeco Episcopo benedicto latini possint celebrare?

Ad I. dubium respondet Gregorius, *eos qui extra tempora constituta sacros ordines receperunt, characterem non est dubium recepisse; quos pro transgressione huiusmodi, prius eis poenitentia imposita competenti, sustinere Archiepiscopus poterit in susceptis ordinibus ministrare, attentius provisurus, ut id de cetero fieri in sua provincia non permittat.*

Ad II. *Chrismáti a simplici sacerdote confirmationis munus minime receperunt; quia de solis Apostolis legitur, quorum sunt Episcopi successores, quod per manus impositionem Spiritum Sanctum dabant, et ideo tam illi, quam confirmandi de cetero a solis Episcopis consignentur.*

Ad III. *Qui pro altari viatico panno lineo a graeco Episcopo benedicto utantur, studeat Archiepiscopus firmiter inhibere, ne in panno huiusmodi celebrare praesumant: sed id de cetero faciant, vel in altari itinerario, vel in altari maiori secundum ritum Ecclesiae consecrato.*

D. Reate II id. nov. P. a. V. a. D. 1231.

(1) Ex Rayn. ad ann. 1231. §. 30.

LX.

Quomodo sint reconciliandi Clerici.

URBANUS II ad Anselmum Archiepiscopum Mediolanensem.

Incipit *Discretioni vestrae, etc.* (1).

Clericos reconciliandi modum hunc praescribit Urbanus Mediolanensi Archiepiscopo;

Cum daturus est ordines aliis clericis iubeat *ut inter benedicendum et manus imponendum reconciliandi intersint. His reconciliandis omnia consecrationis instrumenta, praeter unctionem, expleat, et sic ad sacra ministeria reconciliabit.*

Ann. Dom. 1091.

LXI.

Patrimonium in ordinandis requiratur.

PIUS V ad p. r. m.

Incipit *Romanus Pontifex, etc.* (2).

Ne ordo clericalis saecularis vilesceret, statuerat concilium Tridentinum, neminem ad ordines promoveri posse, qui non haberet beneficium ecclesiasticum, vel redditus proprios assignatos sibi ad honestam vitam conducendam.

Clerici multi viventes in communi, sed non profitentes religionem ullam, tamquam regulares ordinabantur sine patrimonio. Inde e claustris exeuntes, ut viverent, aut mendicare cogebantur, aut viles artes exercere, aut flagitia patrare.

Pius, ut hoc malum tollat, decernit, ut omnes clerici saeculares, vel suis in domibus viventes, vel etiam in communi in alieno loco

(1) B. R. t. 2 p. 72. C. C.

(2) B. M. t. 2 p. 320. - B. R. t. 4 p. 3. p. 46. C. C.

tamquam claustro, non possint ad ordines promoveri nisi de proprio habeant, unde possint vivere.

Ordinationes horum clericorum aliter factae censeantur, quoad exercitium ordinis, nullae, ipsique ordinati sint irregulares, neque gaudere possint clericorum gratiis. N. O.

Nulli ergo, etc.

D. Romae apud s. Petrum prid. id. oct. P. a. III. a. D 1568.

LXII.

Nova decreta pro clericorum ordinatione.

SIXTUS V ad p. r. m.

Incipit *Sanctum et salutare, etc.* (1).

Multa decernit hic Sixtus pro clericorum ordinatione,

Ne promoveantur inhabiles et indigni ab Episcopis, nulla vocatione ducti, sed tantum respicientes commodum suum;

Ne quemquam Praelati ordinent ante legitimam aetatem,

Ne permittant ab alienis Episcopis clericos suae dioecesis ordinari.

Ut praevio examine de eorum scientia fiant certiores;

Ne ordinent clericos alienae dioecesis, nisi habeant ordinariorum suorum litteras commendatias,

Examinent natalia, aetatem, vitam, mores, scientiam ordinandorum.

Eos ergo, in quibus aut omnes, aut aliqua pars horum desit, ne promoveant serventque ad unguem decreta Tridentini concilii;

Si secus fecerint, sint suspensi et privati a perceptione fructuum suorum beneficiorum, neque harum poenarum absolutionem ab alio, nisi a Romano Pontifice accipere possint.

Renovat etiam omnes poenas a canonibus sancitas contra Episcopos pacta pecunia clericos ordinantes. N. O. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud s. Petrum non. ianuar. P. a. IV. a D. 1588.

(1) B. M. t. 2. p. 711. - B R. t. 5. p. 1. p. 41. C. C.

LXIII.

Moderatio bullae Sixti V.

CLEMENS VIII ad p. r. m.

Incipit *Romanum Pontificem, etc.* (1).

Nonnulli Episcopi adeo proxime praecedenti Sixti constitutione fuerunt deterriti, ut paucos admodum ad ordines promoverent. Paulatim ergo reducebatur ad nihilum ecclesiasticus ordo.

Cui malo obviam ire cupiens Clemens vult, observari ab ordinariis regulas concilii Tridentini de promovendis clericis.

Et poenas omnes reducit ad normam sacrorum canonum, exceptis poenis a Sixto inflictis contra simoniace promotos et promoventes.

D. Romae apud s. Petrum prid. kal. mar. P. a. V. a. D. 1595.

LXIV.

Mandatur Episcopo Pacensi, ut in ordinationibus novorum christianorum decretum concilii Tridentini exequatur.

CLEMENS VIII Episcopo Pacensi.

Incipit *Cum ex iniuncto, etc.* (2).

Licet Pacensis Episcopus a sacra Cardinalium super concilio congregatione fuisset admonitus, *ut quascumque personas ab haereticis per paternam lineam ultra secundum, per maternam ultra primum gradum vel a iudaeis originem trahentes, ac etiam filios et nepotes haereticorum, quos emendatos et Ecclesiae unitos constat,* iuxta Bonifacii VIII decretum ordinaret, modo in aliis idonei essent, nolebat parere.

Clemens *in virtute sanctae obedientiae et sub poenis indignationis suae, aliisque ad arbitrium,* ei praecipit, ut hos homines non repellat ab ordinibus. N. O.

D. Romae apud s. Marcum die VI oct. P. a. II. a. D. 1593.

(2) B. M. t. 3. p. 60. - B. R. t. 5. p. 2. p. 97. C. C.
(1) B. R. t. 5. p. 1. p. 364. C. C.

LXV.

Idem praecipitur Archiepiscopo Elborensi.

CLEMENS VIII Archiepiscopo Elborensi.

Incipit *Cum ex iniuncto, etc.* (1).

Quod iniunxerat Episcopo Pacensi de ordinationibus novorum christianorum, iniungit Clemens supradicto Archiepiscopo. N. O.

Bulla concepta est iisdem verbis, ac proximo superior.

Dat. Romae apud s. Petrum die II ian. P. a. VI. a. D. 1598.

LXVI.

Confirmatio constitutionis Clementis IV.

URBANUS VIII ad p. r. m.

Secretis aeternae, etc. (2).

Clementis IV constitutionem (quae deest in U. B.) vetantis, quemqnam Episcopum ordinare clericum alterius dioecesis sine licentia et litteris eius Episcopi in cuius Provincia est natus, vel eius, in ditione cuius beneficium habet, confirmat et renovat Urbanus, vultqne, eam ab ordinariis servari;

Idque intelligi vult de Episcopis Italiae et de clericis ultramontanis, idque sub poenis, etc.

Suspensionem autem ab officio Italis, et inhabilitatem ad alios ordines minatur iis clericis, qui falsas litteras dimissoriales protulerint, et privationem fori.

Et hanc constitutionem publicari vult. N. O.

Nulli ergo, etc.

D. Romae apud s. Petrum die XI dec. P. a. II. a. D. 1624.

(1) B. R. t. 5. p. 2. p. 197. C. C.

(2) B. M. t. 5. p. 80. - B. R. t 5. p. 5 p. 295. C. C.

LXVII.

Extensio huius decreti ad clericos Melitenses.

INNOCENTIUS XI ad p. r. m.

Incipit *Cum dudum, etc.* (1).

Constitutionem Urbani VIII subjicientis clericos ordinatos, vel sine dimissoriis, vel cum falsis, iudici saeculari, privantisque eos privilegio fori, extendit Innocentius ad clericos Meliteuses ita rogatus a magno Magistro militiae.

Renovatque constitutionem Gregorii XIII (v. infra *Circumspecta in omnibus*) eos subjicientis ordinariis. N. O.

Dat. Romae apud s. Petrum kal. iul. P. a. VIII. a. D. 1684.

LXVIII.

Explicatio superioris bullae.

INNOCENTIUS XI ad p. r. m.

Incipit *Alias postquam, etc.* (2).

Superiorem proximam constitutionem vult Innocentius intelligi tantum de iis, qui ordinati sunt cum falsis litteris dimissorialibus, non de iis, qui sine ullis fuerunt ad ordines promoti. N. O.

D. Romae apud s. Petrum die XXX lan. P. a. X. a. D. 1686.

LXIX.

Quibus sit dandum quibus negandum indultum ordines accipiendi extra tempora.

INNOCENTIUS XII - Decretum.

Incipit *Sanctissimus Dominus, etc.* (3).

Indultum recipiendi ordines extra tempora debet concedi iis, qui arctantur beneficio; ob penuriam sacerdotum in aliquibus locis; ob so-

(1) B. M. t. 5. vel t. 11. p. 420. - B. R. t. 8. p. 309. C. C.

(2) Ib. p. 463. Ib. p. 366. C. C.

(3) B. M. t. 7. p. 373.

latium patris, vel matris superantium annos quinquaginta, dummodo oratores per triennium habitum clericalem gestaverint honeste; familiaribus Pontificis; canonicis cathedralium et etiam collegiatarum et eorum coadiutoribus; magistris in utroque iure et doctoribus in sacra theologia.

Contra vero negetur iis, qui nihil aliud praeseferunt nisi nobilitatem, qui sunt scriptores in alma Curia, aut qui cursum philosophiae absolverint;

Ordines autem dandi non sunt diebus tribus continuis, sed interpolatis, spatio ab Episcopo definiendo.

Ergo Episcopos Innocentius monet, ne ita passim permittant, clericos id a Pontifice impetrare; sed ipsi potius examinent, num iustae sint et permissae a canonibus causae hoc indultum petendi.

Die XII dec. a. D. 1693.

LXX.

Nova decreta observanda ab Episcopis in admittendis ad ordines.

INNOCENTIUS XII ad p. r. m.

Incipit *Speculatores domus, etc.* (1).

Praecedentis decreti sensu breviter exposito, monet Innocentius Ecclesiae Praelatos, ut non tam faciles sint in admittendis clericis ad ordines:

Tum etiam clericos monet, ne nimium querantur de Ecclesiae Praelatis, si non adeo proclives sunt ad ordinationes. Mature enim pensitanda est vocatio, num a Deo sit.

Ergo haec hic Pontifex praescribit, quae ait derivari a mente Concilii Tridentini.

I. Vetat Praelatis promovere exteros ratione originis et domicilii, etiamsi habeant aliquod beneficium ecclesiasticum;

(1) Ib. p. 233 - B. R. t. 9. p. 374. C. C.

II. Nullus Episcopus promoveat clericum ratione beneficii, qui non habeat testimoniales litteras sui ordinarii, ratione originis et domicilii;

III. Beneficium debet considerari, ut, detractis oneribus, sufficiat congruae clerici substentationi;

IV. Porro nomine originis intelligitur locus, in quo est pater clerici natus, in quo est domus clerici; nativitas enim accidentalis nihil facit;

V. Sicut nihil facit mora accidentalis v. gr. litis, vel studii in aliqua urbe;

VI. Et si pater alio se transferat e loco, ubi natus est, cum animo ibi morandi et revera ibi moretur, domicilium dicitur.

VII. Ratio ergo domicilii reddit clericum subditum Episcopo loci, in quo cum sua familia commoratur, in quo domum conducit.

VIII. Si igitur hic clericus in ea aetate, in qua possit esse obnoxius canonico impedimento discesserit a loco originis, ad accipiendos ordines, indiget etiam testimonialibus Episcopi loci originis; si in tenella aetate cum suis consanguineis inde migraverit, non indiget;

IX. Item nullus Episcopus subditum alienae dioecesis, licet familiarem suum, ordinet absque testimonialibus Episcopi originis, vel domicilii; sin autem per integrum triennium in suo actuali servitio eum retinuerit, potest ordinare;

X. Episcopus clericos suos quoquo modo subditos ab aliis Episcopis ordinatos, etiam cum suis commendatitiis debet recognoscere; perquiratque, num officium suum adimpleverint, num laudabiliter se gesserint, etc.

XI. Ordinarii aliter ordinantes suspendantur ab ordinatione per annum; et secus ordinati suspendantur ab exercitio suorum munerum; aliisque poenis et hi et illi subjiciantur. N. O.

Haec decreta publicari mandat Innocentius, ut omnes Episcopi ea exequantur. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud S. M. Mai. prid. non. nov. P. a. IV. a. D. 1694.

LXXI.

Ordinationi praemittant clerici decem dies spiritualium exercitiorum.

CLEMENS XI – Epistola encyclica.

Incipit *Reverendissime Domine, etc.* (1).

Ad Episcopos Italiae scribit Pontifex iubens illis, ut clericos promovendos ad sacros ordines per decem dies ante, mandent, vacare exercitiis spiritualibus, quod iam iusserat Innocentius XI.

Tum eos monet, ut hortentur canonicos et beneficiatos et sacerdotes, ut saltem semel in anno, vel in domibus societatis Iesu, vel missionariorum iis vacent;

Curatos quoque, interim dum absunt ob haec exercitia peragenda, absolvit a residentia.

Quos omnes ut magis alliciat ad hoc opus, a quo plurima redundatura sunt bona, indulgentiam plenariam iis elargitur, si confessi sumpserint sacramentum Eucharistiae in fine exercitiorum.

D. Romae kal. febr. a. D. 1710.

LXXII.

Disquisitio, num regulares ordinari debeant ab Episcopo, in cuius dioecesi sunt, an a quocumque possint.

BENEDICTUS XIV ad p. r. m.

Incipit *Impositi nobis, etc.* (2).

Est vetus controversia, num regulares debeant ordinari ab Episcopo intra cuius dioecesim est conventus, in quo degunt, an possint a quocumque catholico Antistite ordinationes accipere.

(1) B. M. t. 8. p. 422.
(2) B. M. t. 17. p. 106.

Episcopi tuentur iurisdictionem suam sacris canonibus id iubentibus, regulares contra iactant sua privilegia.

Sed cum Gregorius XIII redegerit haec privilegia ad ius commune, et id confirmaverit Paulus V reducens ea ad normam Concilii Tridentini, insuper cum in causa vertente inter Carthusianos ex una parte, et Episcopos ex alia, decisum fuerit, Carthusianos ordinari non posse nisi ab Episcopo, in cuius dioecesi degunt, vel ab alio Episcopo, de licentia tamen huius ordinarii, et idem statuerit Sixtus V, idem Clemens VIII videtur res in controversiam amplius deduci non posse.

Sed rursus controversiae sunt enatae eo quod ordinarii, ratione originis regularium, volebant exquiri a regularibus dimissorias, ut possent alibi ordinari; sed contra Episcopos decisum fuit.

Sub Innocentio XIII alia controversia enata est, de privilegiis regularium, deciditque Pontifex de consilio congregationis, omnia privilegia ante Concilium Tridentinum, utpote quae ab illo abrogata fuerunt, non valere; valere concessa post Concilium, inter quae est hoc de ordinatione absque dimissoriis Episcopi originarii.

Multi tamen ex his regularibus ignoranter peccant, quod ostendit Pontifex exemplis, dum erat Archiepiscopus Bononiensis, alio migrant ad ordinationes sub diversis praetextibus. Contra huiusmodi regulares poenas minatur.

Praeterea confirmat decreta superiorum Pontificum; et statuit, superiores ordinum dare non posse dimissorias pro ordinationibus, neque alium Episcopum posse eos ordinare, nisi habeant attestationem vicarii generalis, Episcopum ordinarium abesse a dioecesi, vel non habiturum ordinationes.

Caeterum nulli regulares arctari possunt ad accipiendos ordines extra tempora.

Confirmat interim privilegium ordines accipiendi a quocumque Antistite iis regularibus, qui directe, non per communicationem, illud acceperunt post Concilium Tridentinum.

Sed hoc privilegio utantur regulares cum causa; nec pridie illum diem, quo habendae sunt ab ordinario ordinationes, alio migrent.

Episcopos autem hortatur Benedictus, ut quoniam plurimum regulares laborant in suis dioecesibus pro animarum salute, eos *caritative et paterne tractent*; ne erga regulares ita sint male affecti, ut eos in praeiudicium privilegiorum nolint ordinare, nisi statutis temporibus. N. O. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud S. M. Mai. III kal. mart. P. a. VII. a. D. 1747.

LXXIII.

Solutio dubiorum super episcopali visitatione confirmatur.

URBANUS VIII ad p. r. m.

Incipit *Exponi nobis, etc.* (1).

Congregationi cardinalium super concilio supplicavit Archiepiscopus Coloniensis, ut his propositis dubiis responderet:

I. An Episcopus ad visitationem suae dioecesis possit assumere duos canonicos etiam ab aliqua collegiata in sua provincia existente?

II. An possit eos assumere, licet iuraverint de residentia facienda?

Ad I. Respondit congregatio, Episcopum posse uti duobus canonicis etiam alicuius collegiatae; qui, si praeter duos menses absint, careant distributionibus quotidianis.

Ad II. Iuramentum non obstare, quin possint assumi.

Rogatus Urbanus haec responsa confirmat. N. O.

D. Romae apud S. M. Mai. die VII oct. P. a. VI. a. D. 1628.

LXXIV.

Ne Episcopi perturbent monachos de altaribus ab annis XXX possessis ab illis.

PASCHALIS II Ivoni Carnotensi et Ranulfo Santonensi Episcopis.

Incipit *Iuxta sanctorum, etc.* (1).

In concilio Arvernensi, praesidente Urbano II statutum fuerat, *ut altaria, quae ab annis XXX et supra sub vicariorum redemptione mona-*

(1) B. R. t. 6. p. 1. p. 149. C. C.

(1) Ex Petro de Marca de C. Imp. et S. p. 960.

steria possedisse noscuntur, quiete deinceps et sine molestia qualibet monasteriis ipsis firma permaneant, salvo utique Episcoporum censu annuo, quem ex iisdem altaribus haberi soliti sunt.

Questi monachi fuerunt, a praefatis Episcopis hoc decretum non servari.

Ergo Paschalis praedictis Antistitibus praecipit, ut monachos non perturbent, ut decretum servent, memores Dei ultionis.

D. Romae II id. martii a. 1109.

LXXV.

Episcopi possunt visitare Ecclesias Parochiales de iure patronatus militiae Hierosolymitanae.

PIUS V ad p. r. m.

Incipit *Exposcit pastoralis, etc.* (2).

Iuxta decretum Concilii Tridentini volentes quidam ordinarii visitare Ecclesias cum cura animarum nominationis magni Magistri, vel Bailivorum militiae Hierosolymitanae et earum rectores, fuerunt impediti a Bailivis, Fratribus, etc. asserentibus, suas Ecclesias et rectores exemptos esse ab iurisdictione episcopali, ac proinde etiam ab episcopali visitatione.

Pius, ut de caetero omnes lites tollat, amputat omnia haec iactata privilegia exemptionum ab omnimoda episcopali iurisdictione, et vult, Episcopos tamquam apostolicae Sedis delegatos in hoc visitare quascumque Ecclesias suarum dioecesum curam animarum habentes, examinare rectores earum, et ministros movibiles minus idoneos removere, titulares suspendere, et eorum superiores monere, ut rectoribus non peragentibus munus suum, vel ob impotentiam, vel ob negligentiam, coadiutores dent iuxta decretum Concilii Tridentini sess. 21. c. 6.

Et si intra id temporis coadiutores non ponantur per superiores, Episcopus ponere eos possit.

(2) B. M. t. 2. p. 370. - B. R. t. 4. p. 3. p 180. C. C.

Caeterum faciant haec Episcopi non tamquam ordinarii, sed tamquam delegati Sedis apostolicae absque ulla dictae militiae rectorum expensa et onere, consecrent vasa, benedictiones faciant, etc. gratis.

Lite pendente inter milites et Episcopos, hi loca religionis non visitent.

Episcopi autem in his Ecclesiis non visitent nisi sacramenta, quomodo doceantur pueri etc. quaeque tantum pertinent ad animarum curam, non quaerant de redditibus Ecclesiarum, de administratione earum, etc.

Nullum tamen per hoc praeiudicium afferatur militiae, si ius de non visitatione antea habeant. N. O.

Nulli ergo, etc.

D. Romae apud s. Petrum die XXII sept. P. a. VI. a. D. 1571.

LXXVI.

Solutiones quorumdam dubiorum expositorum ab Archiepiscopo Manilensi confirmantur.

URBANUS VIII ad f. r. m.

Incipit *Exponi nobis, etc.* (1).

Haec dubia proposuit Archiepiscopus Manilensis sacrae congregationi super concilio,

I. An iurisdictio, visitatio, correctio, *in cap. XI. de regul. sess.* 25. data Episcopo super regularibus extendatur etiam ad taxam factam super emolumentis baptismatis, matrimoniorum in eorum capitulis provincialibus ?

II. Concilium Tridentinum vult, virgines, quae fieri volunt moniales, ut bis examinentur ab ordinario in susceptione habitus et professione; Episcopus potestne cogere regulares, ne habitum novitiae dent, neque ad professionem eam admittant, nisi prius certiorem fecerint Episcopum, qui eam de voluntate examinet ?

(1) B. R. t. 5 p. 413. C. C.

III. Cum Concilium dicat *atque etiam consuetudinibus ab immemorabili*, haec verba suntne intelligenda de consuetudinibus post Concilium ?

IV. Episcopi ea, in quibus a Concilio habent iurisdictionem, possuntne praecipere regularibus sub censuris ?

V. Et superiores regulares possuntne suos subditos ab his censuris absolvere ?

Ad I. Congregatio respondit, competere Ordinariis in ea, quae spectant ad sacramenta, eamdem iurisdictionem in regulares, quam habent in sacerdotes saeculares;

Ad II. Faciendum esse certiorem Episcopum.

Ad III. Intelligenda esse ita, nempe de consuetudinibus post Concilium.

Ad IV. Ordinarios posse.

Ad V. Regulares superiores non posse.

Urbanus ad instantiam Archiepiscopi haec responsa confirmat, eorumque executionem praecipit. N. O.

D. Romae apud S. M. Mai. die IX mai P. a. III. a. D. 1626.

LXXVII.

Episcopi possunt visitare Ecclesias parochiales rectas per regulares.

BENEDICTUS XIV ad p. r. m.

Incipit *Firmandis, atque asserendis, etc.* (1).

Agit hic Benedictus de iurisdictione, quam Ordinarii habent in Ecclesias parochiales, etiamsi illae regantur a regularibus.

Praeceptum Concilii Tridentini est *(sess. 25. can. XI. de regul.)* eos *debere subesse immediate in iis, quae ad dictam curam et administrationem sacramentorum pertinent, visitationi, iurisdictioni et correctioni Episcopi, in cuius dioecesi praedicta monasteria sunt sita*. Quod confirmavit Gregorius XV, qui correxit quosdam presbyteros regulares, qui parochi cum non essent, voluerant interesse matrimoniis.

(1) B. M. t. 16. p. 249.

Cum ergo etiam ex eo tempore, quo Benedictus erat secretarius congregationis concilii, hae controversiae essent, an Episcopus in visitandis regularium Ecclesiis, quae curam animarum habent, posset in illis iurisdictionem exercere; an hoc, illud monasterium dici posset ordinaria et principalis sedes Abbatis generalis, seu capitis ordinis, ideoque Ecclesia huiusmodi unita dicto monasterio visitationi Episcopi esset subiecta?

Pontifex, approbata consuetudine praemittentium visitationi missiones in ea loca, quae sunt Episcopi visitaturi, iussisque regularibus permittere, eos missionarios in suis Ecclesiis parochialibus illas peragere, confirmataque sententia congregationis super concilio, Episcopos posse in Ecclesiis regularium sacramentum confirmationis conferre, etiamsi non sint illae parochiales, decernit,

I. Posse Episcopum in regularium parochialibus Ecclesiis visitare altare, ubi est Eucharistiae sacramentum, tabernaculum, olea sancta, baptisterium, confessionales sedes, coemeterium, turrim campanariam, si instrumenta sint populi, sacristiam, decernere, ut illa, haec fiant, etc.

II. Posse interrogare parochum regularem, num resideat, num praedicet, num doceat christianam doctrinam, inquirere mores parochianorum, ea demum omnia, quae de seculari rectore solent exquiri:

III. Si causae subsint, cur removeri debeat parochus, tunc Episcopus cum superiore eum removeat,

IV. Ea tamen loca sunt exempta ab hac visitatione, in quibus abbates et superiores generales ordinum habent iurisdictionem temporalem et spiritualem quasi episcopalem cum territorio separato,

V. Illa etiam, in quibus abbates et superiores supremi ordinum resident, etiamsi habeant curam;

VI. Monasteria autem capita ordinum, si habeant curam, non eximuntur; sed eximitur quodlibet monasterium, ubi residet generalis ordinis;

VII. Sed Ecclesiae parochiales subiectae monasteriis ubi resident generales, non sunt exemptae;

VIII. Iam Episcopo in parochianos harum Ecclesiarum unitarum monasteriis, ubi resident generales, ius competit; debet Episcopus approbare parochum, instare pro eius remotione, etc.

IX. Ergo ubi decernunt constitutiones ordinis residentiam generalis, illae Ecclesiae sunt exemptae a visitatione episcopali; non sunt tamen exemptae illae parochiales, quae dependent ab his monasteriis residentialibus generalium; si constitutiones nullum monasterium assignant residentiae generalium, illa Ecclesia est exempta, ubi eligit generalis residentiam quoad usque eius gubernium perdurat; alio enim generali residente in alio monasterio, Ecclesia illa subest, sicut ceterae, episcopali visitationi. N. O.

Nulli ergo. etc.

D. Romae apud S. M. Mai. VIII id. nov. P. a. V. a. D. 1645.

LXXVIII.

Quandonam ordinarii dare debeant licentiam claustralibus erigendi conventus.

CLEMENS VIII ad p. r. m.

Incipit *Quoniam ad institutum, etc.* (1).

Cum intersit, ordines mendicantes iis in locis vivere, ubi substentari possint eleemosynis, mandat Clemens Ordinariis,

Ut licentiam erigendi conventus dare non debeant, nisi prius convocatis, adhibitisque aliorum conventuum prioribus, vel procuratoribus et sciant eleemosynarum quantitatem.

Quod si appellatum sit ad s. Sedem, ipsi Ordinarii tamdiu suspendant licentiam de erectione conventuum, donec a s. Sede definitum aliquid fuerit. N. O.

D. Romae apud S. Marcum die XVIII iul. P. a. XII. a. D. 1603.

(1) B. M. t. 3. p. 162. - B. R. t. 5. p. 3. p. 15. C. C.

LXXIX.

Committitur Nuntio in Polonia, ut inhibeat Metropolitae Russiae domus regularium in pago Zyrovisciae erigere.

URBANUS VIII Nuntio Ap. Poloniae.

Incipit *Certis de causis, etc.* (1).

Certis de causis animum suum moventibus mandat Urbanus Nuntio suo in Polonia, ut litteras inhibitoriales det Metropolitae Russiae, ne inconsulta s. Sede, in oppido Zyrovisciae, eiusque districtu novas domos, aut hospitia per religiosos cuinscumque instituti erigi permittat. N. O.

D. Romae apud S. M. Mai. die XVIII mai. P. a. XII. a. D. 1635.

LXXX.

Suppressio parvorum conventuum.

INNOCENTIUS X ad p. r. m.

Incipit *Instaurandae, etc.* (2).

Inter causas, cur prolapsa fuerit regularis disciplina vel haec fuit, multitudo parvorum conventuum.

Exponit Innocentius, quae fratres in his parvis conventibus degentes agebant, *hae sunt*, inquit, *vulpes parvae, quae demoliuntur vineas.*

Quibus malis ut aliquod remedium afferat, iubet Superioribus ordinum eos supprimere, revocare fratres ad conventus maiores, quibus et applicent ea bona.

Prohibet ulterius in iis monasteriis divina officia celebrari.

Dat facultatem Ordinariis ejiciendi inde inobedientes, etiam brachii saecularis invocato auxilio.

Bona, quae supererunt, oneribus detractis, iubentur Ordinarii convertere in pios usus ad utilitatem eorum locorum, in quibus ea monasteria erant sita. N. O.

D. Romae apud S. M. Mai. Id. oct. P. a. IX. a. D. 1624.

(1) B. R. t. 6. p. 73. C. C.
(2) B. M. t. 5. p. 482. - B. R. t. 6. p. 3. p. 232. C. C.

LXXXI.

Conventus, in quibus non sunt sex religiosi, subsint Ordinariis.

INNOCENTIUS X ad p. r. m.

Incipit *Ut in parvis, etc.* (1).

Suppressis parvis conventibus, eos, qui possent alere saltem quatuor Sacerdotes, et duos Laicos, vult Innocentius subsistere.

Alii autem, in quibus vel ob incuriam Superiorum, vel ob aëres intemperiem, vel ob carentiam religiosorum, cuiuscumque ordinis sint, non sunt acta sex religiosi, ut ibidem regularis observantia vigeat, decernit Innocentius, ut ordinariis subiaceant. N. O.

D. Romae apud S. M. Mai. die X feb. P. a. X. a. D. 1655.

LXXXII.

Superiores parvorum conventuum invitati ab Ordinariis debent ire ad Synodum.

ALEXANDER VII ad p. r. m.

Incipit *Cum sicut, etc.* (2).

Enatum dubium ad proxime praecedens Innocentii decretum, num superiores horum parvorum conventuum subiectorum Episcopis, etiamsi sint Abbates, teneantur ire ad Synodos invitati ab Ordinariis, per has litteras solvit Alexander, qui respondet,

Eos teneri ad eundum. N. O.

D. Romae apud S. M. Mai. die XXX mai. P. a. VI. a. D. 1661.

(1) Ib. p. 487. Ib. p. 280. C. C.
(2) B. R. t. 6. p. 144. C. C.

LXXXIII.

Propositio et solutio dubiorum in hac materia.

ALEXANDER VII.

Incipit *Posito decreto*, *etc.* (1).

Ex praecedenti Innocentii X constitutione multa enata sunt dubia, quae a sacra Cardinalium congregatione super regulares, cui proposita fuerant, fuerunt explanata. Eorum haec est summa:

I. Dubium. An Episcopus possit Abbates, Priores, Guardianos, et alios superiores locales, et familiam constituere in his parvis conventibus intra limites suae Dioecesis constitutis?

Respondit Congregatio, non potest.

II. D. An possit ab iis conventibus religiosos ejicere?

R. C. Potest, prius admonito superiore, cuius est removendis assignare alios conventus.

III. D. An Regulares his parvis in conventibus degentes possint compelli ad ostendendos libros expensarum Episcopo?

R. C. Possunt.

IV. D. An Episcopus in iis, quae spectant ad regularem observantiam, possit se immiscere?

R. C. Immo debet.

V. D. An Ecclesiae horum conventuum et capellae granciarum, ubi sunt conversi pro cultura agrorum, possint ab Episcopo visitari?

R. C. Possunt.

VI D. An ipsae granciae et conversi in iis degentes subsint visitationi Episcopi?

R. C. Subsunt.

VII. D. Capellae granciarum, in quibus nullus est conversus, subsuntne Episcopo?

R. C. Ita.

(1) B. M. t. 6. p. 5.

VIII. D. Episcopus potestne visitare conventus suppressos, restitutos, et non suppressos, ut cognoscat, num ibi sint sex religiosi?

R. C. Minime.

IX. D. An Episcopus hos conventus visitans possit exigere procurationem a visitatis in victualibus, aut pecunia?

R. C. Expedit, ut Sanctissimus decernat, id non licere Episcopo.

X. D. Iurisdictio haec data Episcopis tamquam delegatis a s. Sede competitne etiam eorum Vicariis generalibus? competitne inferioribus Praelatis respectu sui territorii?

R. C. Competit.

XI. D. Provinciales et Visitatores possuntne visitare, corrigere et punire fratres horum conventuum, sicut faciebant ante hoc decretum?

R. C. Possunt, sed non privative quoad Episcopos.

XII. D. Superior efformat processum alicuius religiosi ex his conventibus et eum punit, Episcopus potestne reassumere processum?

R. C. Potest, si videat aliquo nimio affectu odii, crudelitatis, negligentiae, etc. illum esse factum.

XIII. D. Episcopus contra format processum, potestne efformari etiam a superiore conventus?

R. C. Non potest.

XIV. D. Volens Provincialis removere aliquem fratrem ex his conventibus potestne impediri ab Episcopo?

R. C. Non potest.

XV. D. Conventus prius suppressus, postea restitutus per breve aliquod tempus caret sex fratribus, intelligiturne suppressus ut prius?

R. C. Si id contingat sine fraude, non est suppressus.

XVI. D. Conventu non suppresso absunt aliqui fratres, ita ut requisitus numerus ibi non sit, estne interea subiectus Episcopo?

R. C. Durante hac absentia est subiectus.

XVII. D. Advenientibus religiosis, num pristina exemptio ab Episcopo restituitur conventui?

R. C. Ita

XVIII. D. Conventus suppressus restituitur; deest numerus; supprimitur rursus, iustus numerus impletur, gratia restitutionis reviviscitne conventus?

R. C. Minime.

XIX. D. Ut conventus remaneat suppressus, deficiente iam numero, debetne praecedere declaratoria Episcopi?

R. C. Debet praecedere ad effectum possessionis apprehendendae.

XX. D. Ab huiusmodi declaratoria possuntne regulares appellare ad s. Sedem ad effectum suspensivum, aut devolutivum?

R. C. Licet, ad effectum devolutivum tantum.

XXI. D. Quatuor Sacerdotes debent esse in his conventibus aetate matura; at quaenam est censenda matura aetas?

R. C. Ad hunc effectum aetas matura est completo anno quadragesimo.

Has declarationes Alexander visas approbavit, observarique praecepit.

D. Romae die XXVII iul. P. a. I. a. D. 1655.

LXXXIV.

Monentur Episcopi, ut curent ut in his conventibus vigeat regularis disciplina.

CLEMENS XI Epistola encyclica.

Incipit *Pervenuta la notizia*, *ecc.* (1).

Cum audisset Clemens, in quibusdam parvis conventibus negligi observantiam regularem, in iis praecipue, qui longe ab urbibus distant inter agros et montes sitis, mandat Ordinariis,

Ut sedulo et diligenter incumbant, ut fratres in iis degentes iuxta quod voverunt, vivant.

Si obedire recusent, certiorem faciant sacram Cardinalium congregationem super Regularibus.

D. Romae die XXVI ian. a. 1706.

(1) B. M. t. 8 p. 518.

LXXXV.

Superiores puniant malos fratres ad praescriptam ab Ordinariis terminum.

CLEMENS VIII ad p. r. m.

Incipit *Suscepti numeris*, *etc.* (1).

Decrevit Concilium Tridentinum, ut Regularis cuiuscumque Ordinis, qui esset populo scandalo, puniretur a Superiore admonito ab Episcopo intra terminum ab Episcopo praescriptum.

Nonnulli superiores hunc mittebant alio extra dioecesim Episcopi quaerentis, et impunitus ille erat.

Ut hoc subterfugium tollat Clemens, praecipit Superioribus Ordinum, sub poena privationis officii, ut delinquentes puniant ad praescriptum ab Episcopis terminum, ubicumque illi fuerint.

Nulli ergo, etc.

D. Romae apud s. Petrum VII kal. mar. P. a. V. a. D. 1596.

LXXXVI.

Regulares degentes extra claustra sunt subiecti Ordinariis; iactantes privilegia, ea ostendant.

BENEDICTUS XIV Episcopo s. Pauli in America Lusitanica.

Incipit *Pontificia commendatione, etc.* (2).

Scripserat Episcopus s. Pauli in Brasilia ad sacram super regularibus congregationem exposcens, quid sibi esset faciendum, cum multi regulares in domibus saecularium viverent *induti habitu et super habitum mozzettam gestantes, incumbentes ad laborandam terram et mercatum faciendum?* Alii autem cum transirent ex hoc in illum ordinem, et saecularia negotia peragerent ex ordine egressi?

(1) B. M. t. 3. p. 59. - B. R. t. 5. p. 2. p. 93. C. C.
(2) B. M. t. 17. p. 28.

Pontifex ei respondet, hos regulares degentes extra claustra iuxta decreta Tridentini Concilii *(sess. 4. c. 3. de Reform.)* esse subiectos Ordinariis. Episcopus ergo eos corrigat et puniat;

Translatos ad alios ordines *(sess. 14. de Reform. c. 11.)* esse subiectos iis Superioribus, ad quorum ordines migrarunt.

Praeterea multi erant, qui aiebant, se a Sede Ap. fuisse per privilegium dispensatos.

Iubetur Episcopus eos compellere etiam vi et censuris, ut hoc apostolicum indultum ostendant, ostensum examinet, num sit verum, an falsum.

In nolentes ostendere iuxta facultatem Ordinariis traditam a Concilio Tridentino *(c. 3. sess. 6. de Reform.)* procedat.

D. in arce Gandulphi die XXVII maii P. a. VI. a. D. 1746.

LXXXVII.

Nullus regularis audire possit laicorum confessiones, nisi approbetur ab Ordinario.

PIUS V ad p. r. m.

Incipit *Romani Pontificis, etc.* (1).

Cum admitterentur ad audiendas confessiones laicorum sacerdotes regulares *quandoque minus idonei et inhabiles a suis* superioribus, mandat omnibus regularibus Pius,

Ut nullus regularis cuiuscumque sit ordinis, congregationis, instituti possit audire laicorum confessiones, nisi de licentia Ordinarii, *et non facto praevio examine.*

Irritum sit quod aliter factum fuerit. N. O.

Nulli ergo, etc.

D. Romae apud s. Petrum VII id. aug. P. a. VI. a. D. 1571.

(1) B. M. t. 2. p. 358. - B. R. t. 4. p. 3. p. 177. C. C.

« Ante Concilium Tridentinum, ex vi extravagantis *Super cathedram*,
» et Clementinae *Dudum*, examen et iudicium Regularium fuit superioribus
» monasteriorum ordinis concessum, et solum requiebatur exterior prae-
» sentatio, nec Episcopi poterunt praetendere aliquam causam, cur illos
» non admitterent.

» Cellotus Iesuita qui dixerat, regularem ab Episcopo licentiam
» audiendi confessiones petentem, neque eam obtinentem, modo sit
» dignus, posse audire confessiones, putantem a Pontifice eam appro-
» bationem sibi esse concessam, quam inferior Pontifex iniuste negarat,
» fuit coactus hanc propositionem retractare, et hanc alteram profiteri:
» *non debent, nec possunt regulares saecularium confessiones audire, nisi*
» *approbationem ab Episcopo obtinuerint*. Vid. Caput de Parochis.

LXXXVIII.

Regulares in Provincia Mexicana debent approbari ab Archiepiscopo pro cura animarum.

PAULUS V ad p. r. m.

Incipit *Sacri Apostolatus, etc.* (1).

Assumebant sibi regulares in Dioecesi Mexicana curas animarum, quin approbarentur ab Archiepiscopo.

De quo questus ille fuit, ita ut decernit Paulus,

Nemini licere curam suscipere, quin fuerit adprobatus ab eodem.

Archiepiscopum executorem deputat, quem vult censuras expedire in eos, qui curam exercebunt, eo inscio et invito. N. O.

D. Romae apud S. M. Mai. die VII octob. P. a. XI. a. D. 1615.

(1) B. R. t. 5. p. 4. p. 180. C. C.

LXXXIX.

Quoad laicorum confessiones etiam.

PAULUS V ad p. r. m.

Incipit *Universalis Ecclesiae, etc.* (2).

Regulares non approbati ab Archiepiscopo etiam laicorum confessiones audiebant.

Sub iisdem clausulis vetat id Paulus, et cum iisdem facultatibus executorem depntat Archiepiscopum. N. O.

D. Romae apud S. M. Mai. die X oct. P. a. XI. a. D. 1615.

XC.

Regulares neque audiant confessiones laicorum, neque praedicent sine licentia Ordinariorum.

GREGORIUS XV ad p. r. m.

Incipit *Inscrutabilis fidei, etc.* (1).

Nullus presbyter Saecularis, aut Regularis, absque licentia Ordinariorum possit audire confessiones laicornm.

Monasteria in iis, quae spectant ad Sacramentorum administrationem, subsunt inrisdictioni, visitationi et correctioni illius Episcopi, intra cuius dioecesim existunt;

Regulares praedicare volentes, etiam in Ecclesiis suorum ordinum, debent se praesentare Episcopis locorum. Ita decrevit Concilium Tridentinum.

Quae omnia observari Gregorius praecipit.

Ulterius inbet, ut confessarii monialium ordinarii, vel extraordinarii esse non possint, nisi iudicati idonei ab Episcopis;

(2) Ib. p. 181. C. C.

(1) B. M. t. 3. p. 452. - B. R. t. 5. p. 5. p. 1.

Ut gubernatores monasteriorum monialium quotannis administrationis rationem reddant Ordinariis, adhibitis etiam superioribus regularibus, si modo ea monasteria iis subsint;

Episcopus possit vel per se, vel per alium praeesse electionibus superiorum monasteriorum monialium;

Episcopus ut Apostolicae Sedis delegatus habeat auctoritatem coërcendi quoscumque exemptos saeculares et regulares praedicantes in Ecclesiis absque sua licentia. N. O.

Nulli ergo, etc.

Dat. Romae apud S. Petrum Non. febr. P. a. I. a. D. 1622.

XCI.

Propositio et solutio dubiorum ex praecedenti constitutione enatorum.

GREGORIUS XV.

Incipit *An liceat, etc.* (2).

Dubia quaedam mota ad praecedentem immediate Gregorii constitutionem fuere enodata a sacra Cardinalium super concilio congregatione. Ea sunt,

I. Dubium, an liceat Episcopis visitare altaria Ecclesiarum regularium sine cura animarum, confessionales sedes, Eucharistiae sacramentum?

Congregatio respondit, non licet.

II. D. An possint Ordinarii praescribere regularibus loca, tempora confessiones audiendi, et eorum privilegia restringere in administratione sacramentorum?

C. R. Hanc auctoritatem Gregorii constitutio Ordinariis non dat. Quod si hanc facultatem aliunde habent, non est iis per hanc constitutionem sublata.

III. D. An haec facultas Episcoporum in exemptos et non exemptos, extendatur et ad personas nullius dioecesis?

C. R. Nequaquam.

(2) Ib. p. 453. Ib. p. 3. C. C.

IV. D. An haec iurisdictio competat inferioribus praelatis respectu suorum territoriorum separatorum?

C. R. Non competit.

V. D. An quia Episcopus assistit electioni abbatissarum, illi competat ius illas confirmandi?

C. R. Nullum competit.

VI. D. An confessarii monialium deputati ante editam Gregorii constitutionem debeant examinari et approbari ab Ordinariis?

C. R. Confessarii non debent examinari et approbari, incoepto iam triennio; extraordinarii, si tempus non incoeperit, debent.

VII. D. Utrum regulares electi in confessores monialium ante praedictam constitutionem debeant ab Episcopo approbari?

C. R. Possunt, sine approbatione Episcopi, iam electi officium suum exercere; eligendi autem debent approbari.

VIII. D. An confessiones auditae ab his regularibus electis post publicationem huius Bullae, qui non obtinuerant licentiam ab Ordinariis, sint censendae nullae?

C. R. Ita.

IX. D. Regulares approbati ab Ordinario ad audiendas confessiones saecularium, possuntne audire confessiones monialium?

C. R. Indigent nova licentia.

X. D. Regularis approbatus ad audiendas confessiones monialium unius monasterii, potestne audire confessiones monialium alterius monasterii?

C. R. Non potest.

XI. D. Regulares extraordinarii semel approbati ad audiendas confessiones *una vice tantum*, possuntne, quin approbentur alias, audire alias confessiones?

C. R. Toties sunt approbandi, quoties deputantur.

XII. D. Cum liceat Ordinario admonere superiores ordinum, ut removeant illum et illum confessorem, teneturne causam huius remotionis illis exponere?

C. R. Non tenetur.

XIII. D. Haec iurisdictio Episcopi in regulares delinquentes, in personas degentes intra claustra monasteriorum circa clausuram et bonorum administrationem, habetne locum in omnibus delictis, an solum in notoriis et cum scandalo populi?

C. R. In notoriis tantum et cum scandalo populi.

XCII.

Responsio ad alia dubia inde nata.

GREGORIUS XV.

Incipit *An regularis, etc.* (1).

Rursus quaesitum fuit

I. D. An regularis accedens absque legitima licentia ad aliquod monasterium monialium, et in loco colloquiis destinato cum moniali loquens possit ab Episcopo tamquam delegato s. Sedis coërceri?

C. R. Potest.

II. D. An possint puniri regulares ad electionem superiorum monialium procedentes, non significata electionis die Ordinario?

C. R. Possunt. Debent enim admonere Episcopum de tempore et usque ad illum statutum electionis tempus eum tenentur expectare.

XCIII.

Iubetur collector spoliorum in Portugallia supersedere executioni constitutionis supradictae Inscrutabilis *circa confessionem.*

URBANUS VIII Collectori spoliorum in Portugallia.

Incipit *Alias a felici, etc.* (2).

Deputatus fuerat ab exemptis in Portugallia agens Michael Pereira, ut a litteris Gregorii deducerentur, quae essent deducenda.

Urbanus, donec id fieret, praecipit collectori spoliorum ibidem, ut supersedeat executioni demandare praedictam Gregorii constitutionem. N. O.

D. Romae apud s. Petrum die III mar. P. a. II. a. D. 1652.

(1) Ib. p. 551. Ib. p. 4. C. C.
(2) B R. t. 5 p 5. p. 307. C. C.

XCIV.

Revocatio privilegiorum regularium circa confessiones audiendas.

URBANUS VIII ad p. r. m.

Incipit *Cum sicut, etc.* (1).

Causa huius constitutionis est haec;

Indultum a quibusdam Pontificibus fuerat *religiosis quorundam ordinum, seu congregationum, ut sacramentales saecularium confessiones audire valerent, etiamsi a dioecesano Episcopo examinati et approbati non fuissent.*

Ex amplissimis privilegiorum communicationibus ansam arripuerunt alii religiosi aliorum ordinum audiendi confessiones, quin approbarentur ab Ordinariis.

Iamque irrita erant decreta Concilii Tridentini, constitutiones pontificiae, illa et hae quae inculcaverant toties obtinendam ab Ordinariis licentiam et approbationem ad audiendas laicorum confessiones, nullusque regularis fuisset, qui licentiam obtineret et exposceret, cum iactare posset privilegia, vel data suo ordini, vel cum suo ordine ab alio communicata.

Haec igitur omnia privilegia cassat et irritat Urbanus, decernitque neminem cuiuscumque sit ordinis audire confessiones laicorum posse, nisi ab Ordinario approbetur. N. O.

Nulli ergo, etc.

D. Romae apud S. M. Mai. die XII sept. P. a. VI. a. D. 1628.

XCV.

Praecedens constitutio explicatur.

URBANUS VIII ad p. r. m.

Incipit *Accepimus, etc.* (2).

Novus Episcopus ingressus fuerat regimen dioecesis Giennensis, vocavitque ad examen regulares, qui iam ab antecessoribus Episcopis fuerant approbati, qui negarunt, se velle examini subjicere; et licet

(1) B. M. t. 5. p. 473.

(2) Ex Barbosa de potest. Ep. in fine.

constitutionem Pii V afferret in medium (v. supra *Romani Pontificis*) regulares imperium detrectarunt, aientes Episcopum posse vocare ad examen eos regulares, quibus licentias audiendi confessiones dedisset ad tempus, eo tempore praeterito, non eos, quibus ipse hanc licentiam non dedit, vel quibus ipse sine praescriptione temporis dedit; quod si Episcopus velit alicui regulari confessario confessionem adimere, debere causam eidem regulari manifestare, cur eam illi adimat; respondebatque Episcopus, se non teneri eam manifestare, nisi apostolicae Sedi.

Confugit Episcopus ad Pontificem, qui ita controversiam definit, suam constitutionem confirmando, explicandoque.

De venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus, Episcoporum et regularium praepositorum consilio, partibus auditis, reque mature discussa, auctoritate apostolica, tenore praesentium decernimus et declaramus praeinsertas litteras (de suo Brevi loquitur proxime superiore) *ita esse intelligendas et declarandas, ut regulares quidem in civitate et dioecesi Giennensi a praedecessoribus Episcopis examinati et approbati ad confessiones personarum saecularium audiendas, a praesente Episcopo successore pro maiori conscientiae suae quiete possint iterum examinari, ac si minus idonei reperti fuerint, reprobari, ad praescriptum constitutionis s. m. Pii V praedecessoris nostri hac de re editae: sed illi quos idemmet Episcopus approbavit, siquidem huiusmodi approbationem obtinuerint ad certum tempus, eo lapso non possint confessiones audire absque nova ipsius Episcopi licentia et approbatione, praevio etiam, si eidem libuerit, novo examine. Illi autem quos ipsemet Episcopus ad confessiones huiusmodi audiendas semel admisit simpliciter, ac sine ulla temporis praefinitione, nullatenus possint ab eodem reprobari sine iusta causa, eaque confessiones ipsas concernente: caeterum an eadem causa subsit, necne, Episcopum non teneri ipsis regularibus edicere, sed Sedi A. dumtaxat, ubi eam sibi aperiri postularit.*

Quod si regulares, sive in confessionibus audiendis, sive in praedicando adversus ea, quae superius declaravimus, quoquo modo deliquerint, in vim earumdem praeinsertarum litterarum ab Episcopo Giennensi coërceri et puniri possint etiam censuris ecclesiasticis etc. N. O.

Nulli ergo, etc. Si quis autem etc.

D. Romae apud S. M. Mai. III kal. feb. P. a. XVIII. a. D. 1639.

» Quidam regulares scripserunt, posse regularem, si praevideat, » Episcopum denegaturum, vel non confirmaturum esse licentiam au- » diendi confessiones saecularium, eas audire, quin Ordinarii requirat » assensum. Quam propositionem damnavit Alexander VII.

» Barbosa de officio et potest. Episc. par. 2. alleg. 25. n. 52 ita lo- » quitur et concludit: *ex quibus consequens sit, regularium iurisdictionem* » *a iure, vel a Papa eis tributa restringi, seu dilotari per ipsam appro-* » *bationem Ordinarii; iusta enim, atque legitima existente causa, certum* » *est, posse Episcopos confessariorum regularium approbationem, ac iu-* » *risdictionem restrinjere, ac limitare ad certum locum, tempus, sive* » *personas.*

XCVI.

Regulares in dioecesi Oxomensi non possint confessiones audire, et praedicare sine licentia Episcopi.

INNOCENTIUS X Episcopo Oxomensi.

Incipit *Cum sicut, etc.* (1).

Iactantes regulares in dioecesi Oxomensi quamdam constitutionem Clementis V in suum favorem editam, aiebant, se semel approbatos posse ad libitum confessiones audire, et praedicare absque licentia Episcopi noviter in dioecesim ingressi ob mortem antecessoris.

Episcopus interrogavit Pontificem, num id illis liceret, an requireretur nova licentia et approbatio novi Episcopi?

Ita, respondet Innocentius, qui iubet, eos regulares, se praesentare Episcopo, subire examen, et ab illo approbari;

Episcopoque dat facultatem inobedientes coërcendi censuris. N. O.

D. Romae apud s. Petrum die XVIII mar. P. a. I. a. D. 1625.

(1) B R. t. 6. p 3. p. 36. C. C.

XCVII.

Regulares possunt audire confessiones paschales.

INNOCENTIUS X ad p. r. m.

Incipit *Exponi nobis, etc.* (1).

Vetuerat Archiepiscopus Burdegalensis regularibus suae dioecesis audire confessiones toto tempore paschali, volens ut populus in propria paroecia confiteretur, sicut communicat.

Sacra congregatio super concilio, ad quam regulares confugerunt, censuit, Archiepiscopum id illis vetare non posse; tantum iis posse inhibere, ne communionem intra id tempus ministrent.

Regulares iidem supplicarunt Innocentio, ut hoc congregationis decretum ad maius robur sua auctoritate confirmaret,

Quod per praesentes litteras facit. N. O.

D. Romae apud s. Petrum die VII febr. P. a. I. a. D. 1645.

XCVIII.

Decreta observanda circa praedicationem et administrationem poenitentiae a regularibus.

CLEMENS X ad p. r. m.

Incipit *Superna magni, etc.* (2).

I. Quidquid sancitum fuit de benedictione petenda ab Ordinario a regularibus praedicaturis verbum Dei, vel in suis, vel in alienis Ecclesiis confirmat Clemens et ab iis observari praecipit.

De confessione autem haec observanda praescribit:

II. Sacerdos approbatus ab Ordinario in hac dioecesi ad audiendas confessiones, si ad aliam dioecesim se transferat, non potest eas au–

(1) Ib. p. 22. C. C.

(2) B. M. t 6. p. 305. - B. R. t. 7 p. 30 C. C.

dire, nisi approbetur ab illo ordinario, in cuius provinciam migravit; imo nec confessionem in hac dioecesi potest accipere eius, cuius erat confessarius in alia.

III. Regularis semel approbatus in confessarium monialium non potest semper earum confessiones audire, sed toties est approbandus, quoties eligitur.

IV. Regulares designati ad audiendas confessiones regularium propriarum domorum possunt audire confessiones laicorum inservientium monasterio, quia hi censentur de familia,

V. Regulares audientes confessiones infirmorum debent, vel per se, vel per schedulam relinquendam in domibus infirmorum, certiores facere respectivos parochos de hac re.

VI. Novo succedente Episcopo, regulares etiam debent se exponere novo examini, non vero si succedat novus generalis Vicarius Episcopi;

VII. Episcopus potest suspendere a confessione et revocare licentias, quin teneatur cuiquam huius rei rationem reddere.

VIII. Habens facultatem absolvendi ab omnibus casibus s. Sedi reservatis, non ideo potest absolvere a casibus reservatis ab Episcopo in sua dioecesi absque licentia eiusdem Episcopi;

IX. Si aliquis poenitens huius dioecesis, in qua casus unus est reservatus, ad aliam se conferat, in qua ille idem casus non est reservatus, potest ab eo casu a confessario absolvi, modo id non noverit confessarius factum esse a poenitente in fraudem;

X. Regulares possunt absolvere in foro interno quoad censuras, non quoad iudiciale forum, seu externum.

XI. Si privilegium aliquod regularium sit ambiguum, pro explicatione non est recurrendum ad ordinarium, aut ad Metropolitanum, sed s. Sedem. Eius enim est explicare decreta cuius est ea condere. N. O.

Nulli ergo, etc.

D. Romae apud S. M. Mai. XI kal. iunii P. a. I. a. D. 1670.

XCIX.

Regulares approbati in una dioecesi non ideo possunt sine approbatione audire confessiones in alia.

INNOCENTIUS XII ad p. r. m.

Incipit *Emanavit nuper, etc.* (1).

Lites erant natae inter regulares ex una parte et Archiepiscopum Bracharensem et Episcopum Leviensem ex alia circa confessiones.

Aiebant enim regulares, se approbatos in una dioecesi posse audire confessiones et in aliis, quin ab Ordinariis approbentur, neque posse omnino suspendi: negabant Episcopi.

Lites hae diremptae fuerunt a sacra congregatione super concilio, quae inhaerens Clementis X constitutioni iussit, ut regulares in nulla dioecesi possent audire poenitentes, nisi de licentia Ordinariorum, licet ab aliquo Ordinario pro una dioecesi fuerint approbati; declaravitque eos posse suspendi.

Ad instantiam Episcoporum Innocentius confirmat decretum. N. O.

D. Romae apud S. M. Mai. die VI sept. P. a. VIII. a. D. 1698.

C.

Quando confessarii regulares interesse debeant discussionibus casuum, quae fieri solent a Clero saeculari.

BENEDICTUS XIV.

Incipit *Altre volte, ecc.* (2).

Saepe ad instantiam Episcoporum propositum fuit dubium sacrae Congregationi super Regularibus, an confessarii regulares tenerentur ad interveniendum discussionibus casuum, quae per quamlibet hebdomadam fieri solent; variaque pro varietate casuum respondit Congregatio.

(1) B. M. p. 6. vol. I. 12. p. 305. - B. R. t. 2. p. 488. C. C.
(2) B. M. t. 19 p. 118.

· Sed cum multi regulares praetextu interveniendi his discussionibus se eximerent ab observantia suarum regularum, Procurator generalis FF. MM. Conventualium, ut certi aliquid in hac re statueret congregatio eam rogavit.

Cum autem congregatio haec scivisset, a sacra Congregatione super concilio alias decisum fuisse, non teneri ad hoc regulares *a.* 1718 *in una Aquipendii, in Forosemproniensi an.* 1685, *in Maceratensi an.* 1682 respondit, regulares ad interveniendum his conventibus non teneri.

Iussit tamen Congregatio, in quibuslibet conventibus, ubi sunt confessarii, ut haberentur lectiones de morali iuxta Clementis VIII constitutionem;

Si autem in aliquo conventu, nec lectio theologiae moralis, nec discussio casuum fiat, et tunc tenerentur confessarii intervenire decisioni casuum.

Die VIII nov. a. 1752.

CI.

Regulares iubentur non hortari ad eleemosynas populum, Episcopo inscio.

GREGORIUS XIV ad p. r. m.

Incipit *Reminiscimur dum, etc.* (1).

Recordatus Gregorius, cum erat Cremonensis Episcopus, concionatores regulares fuisse solitos hortari populum ad elargiendas eleemosynas huic, vel illi loco pio, inscio et invito interdum Episcopo,

Id regularibus cuiuscumque ordinis, instituti et societatis vetat, necessariamque decernit licentiam Ordinarii, vel eius Vicarii ad hoc;

Episcopis autem dat facultatem inobedientes puniendi. N. O.

Episcopi tamen semel saltem in anno dent licentiam concionatoribus commendandi eleemosynam populo pro suis conventibus, si concionatores sint ex Ordine Mendicantium.

Dat. in Monte Quirinali die XXIV maji, P. a. I. a. D. 1591.

(1) B. R. t. 5. p. 1. p. 273. C. C.

CII.

Quaedam privilegia et exemptiones ab iurisdictione Ordinariorum dantur Regularibus Mendicantibus.

PIUS V ad p. r. m.

Incipit *Etsi Mendicantium, etc.* (1).

Multas inferri sibi ab Ordinariis molestias conquesti fuerunt apud Pontificem Mendicantes et Moniales. Erant hae,

I. Multi Ordinarii nolebant ad praedicationem admittere Mendicantes,

Pius permittit, Mendicantes a suis superioribus approbatos in suis Ecclesiis praedicare posse licite:

II. Nolebant eos admittere ad confessiones audiendas licet probos et doctos:

Pius statuit, ut Mendicantes in una Dioecesi semel admissi ad confessiones, semper durante eodem Ordinario, seque bene gerentes, censeantur admissi;

III. Regulares deputati Confessarii Monialium, quae subsunt suis ordinibus, examinabantur ab Ordinariis contra decretum a Concilio Tridentino;

Vetat Pius eos et Confessarios Fratrum examinari ab Episcopis;

IV. Multi nolebant, laicos accipere communionem in Ecclesiis Mendicantium;

Communione paschali excepta, quae debet fieri in propria paroecia, fieri potest communio in quacumque Mendicantium Ecclesia. Ita Pius.

V. Episcopi et eorum Vicarii dabant licentias saecularibus ingrediendi in Monasteria Monialium, etiam Ordinis S. Clarae, subiecta regularibus.

Ordinarii non possunt dare hanc licentiam, nisi pro monasteriis iis, quibus praesunt. – Pius.

VI. Quidam sub praetextu exquirendi voluntatem novitiarum, eas extrahebant a conventibus et multa interrogabant, de quibus non licet.

(1) B. M. t. 2 p. 258.

Examen debet fieri iuxta Concilium Tridentinum infra quindecim dies aut ab Episcopo, aut a Vicario, quibus elapsis, eas amplius interrogare non possunt, et est faciendum de rebus ad vocationem attinentibus. Ita statuit Pius.

VII. Quidam nolebant admittere ad Ordines, approbatos a suis superioribus.

Regulares a quolibet Antistite communionem catholicam habente possunt ordinari. Sic Pius (v. Constit. L. *Impositi nobis*).

VIII. Quidam excommunicationem promulgabant in eos, qui interessent dominicis diebus officiis divinis in Ecclesiis Mendicantium, non in propria paroecia.

Laici possunt interesse divinis officiis in Ecclesiis Regularium – Pius.

Aliae querelae erant de praecedentia, de exclusione regularium a cura animarum, de quarta funerum, de quarta ornamentorum Ecclesiae, de exemptione a solutione decimarum, de testamentis in favorem Fratrum.

Praecedentia debent declarari ab Episcopis iuxta fundationem suorum Ordinum in urbibus; possunt habere regulares curam animarum, debent habere quartam funerum, non dare quartam ornamentorum, eximuntur a solutione decimarum, nemo potest impediri a faciendis legatis in favorem Regularium.

Atque ita ab omnibus iudicari vult. N. O.

Nulli ergo, etc.

D. Romae apud s. Petrum XVII kal. iunii. P. a. II. a. D. 1567.

CIII.

Extensio privilegiorum horum ad alios Ordines.

PIUS V ad p. r. m.

Incipit *Ex supernae, etc.* (1).

Haec privilegia Ordinum Mendicantium alii religiosi ordines videntes supplicarunt Pontifici, ut ad se quoque ea extenderet,

(1) Ib. p. 248. Ib. p. 375. C. C.

Pius non gravate id facit per praesentes litteras.

Cardinales horum Ordinum patroni executores huius Bullae deputantur. N. O.

D. Romae apud s. Petrum XVII kal. Sept. P. a. II. a. D. 1567.

CIV.

Admonitio ad Ordinarios, ne in his privilegiis molestent regulares

PIUS V ad p. r. m.

Incipit *Ad hoc*, *etc.* (1).

Commonefacit Pius omnium Ecclesiarum Praelatos de privilegiis, quae concessit Ordinibus Mendicantibus, et non Mendicantibus et Monialibus; suntque relata in bulla *Etsi Mendicantium* supra.

Eosque monet, ne in his privilegiis eos perturbent sub poenis, etc.

D. Romae apud s. Petrum die XXIII sept. P. a. VI. a. D. 1571.

CV.

Nullum ius competit Ordinariis super Regulares in causis civilibus.

PAULUS V ad p. r. m.

Incipit *Religiosorum*, *etc.* (2).

Quidam Hispaniarum Episcopi volebant, claustrales debere coram tribunali episcopali convenire in causis civilibus, ac proinde eos privabant privilegio fori, quod illis indulserat Tridentinum Concilium.

Vetuit hoc Episcopis sacra Congregatio super eodem concilio, decrevitque, in causis civilibus nullum ius super regulares competere Ordinariis.

Decretum hoc, regularibus orantibus, apostolica firmitate roborat Paulus. N. O.

D. Romae apud s. Marcum die XXIV aug. P. a. III. a. D. 1608.

(1) Ib p. 259. Ib. C. C.

(2) B M. t. 3. p 252. - B R t. 5 p. 3 p. 280. C. C.

CVI.

Episcopi dent olea sancta Regularibus.

CLEMENS VIII Archiepiscopis, Episcopis, etc.

Incipit *Exponi nobis, etc.* (1).

Licet omnibus retroactis temporibus Fratres Carmelitae reciperent ab Ordinariis oleum sanctum, quod administrarent sui ordinis infirmis, tamen nonnulli illud iis dare recusabant.

Querentibus iisdem apud Pontificem, Clemens Ordinariis praecipit, ut illud iis suppeditent, sicut antea. N. O.

D. Romae apud s. Petrum IX kal. sept. P. a. VIII. a. D. 1599.

CVII.

De iure Episcoporum circa indicendas publicas preces.

BENEDICTUS XIV Patriarchis, Primatibus, etc.

Incipit *Quemadmodum preces, etc.* (2).

Convenit pro principibus orare, sed hoc ita convenit, *ut preces sint ex illis, quas Ecclesia recepit: maxime vero si sint in Missa dicendae.*

Spectat enim ad ecclesiasticam potestatem unice preces illas statuere, atque indicere, cum nulli potestati saeculari fas sit decernere. Orandum autem pro principibus esse, docet D. Paulus ad Timoth. 2. *atque haec semper fuit Ecclesiae praxis.*

Non spectare autem ad principes saeculares preces has statuere, infinita sunt loca sanctorum Patrum, quae id aperte testantur. Ad Constantium Imperatorem ita scripsit: *magnus ille Osius Episcopus Cordubensis, tibi Deus Imperium tradidit, nobis, quae sunt Dei, etc.*

Praeterea sacra Congregatio revocavit edictum, quo saecularis potestas iubebat cani *Te Deum pro parta a Principe victoria.*

(1) B. R. t. 3. p. 82. - B. R. t. 5. p. 2. p. 240. C. C.
(2) B. M. t. 16. p. 1154.

Monet in fine Episcopos Benedictus, ut si saecularis potestas postulet, ut publicae preces decernantur, decernant quidem; sin autem saecularis potestas eas iusserit, se insciis, ne pareant iussis; si parere potestas saecularis nolit, utantur Episcopi iuribus suis et ecclesiasticis remediis.

D. Romae apud S. M. Mai. die XXIII mart. P. a. III. a. D. 1743.

CVIII.

Facultas datur Episcopis Indiarum absolvendi ab irregularitate.

PIUS V ad p. r. m.

Incipit *Decens et debitum, etc.* (1).

Concesserat Pius Missionariis ordinum Mendicantium in Indiis absolvendi ab irregularitate tam ex delicto, quam ex defectu contracta.

Eamdem facultatem concedit Ordinariis earum partium (*homicidio voluntario extra bellum commisso, et simoniae labe dumtaxat excepta*). N. O.

D. Romae apud s. Petrum die IV aug. P. a. VI. a. D. 1571.

CIX.

Episcopi in Indiis possint absolvere Indos ab haeresi.

GREGORIUS XIII ad p. r. m.

Incipit *Cum sicut, etc.* (2).

Restrinxerat Gregorius facultatem contentam in Bulla Cruciatae, qua Episcopi Hispaniarum absolvebant ab omnibus casibus, exceperatque absolutionem haeresis; cum haec spectet ad Inquisitores.

Gregoriana constitutio dubium movit, num hac facultate privarentur Indiarum Regi Hispaniarum subiectarum Episcopi?

Illos excipit Gregorius, declaratque, illos et subdelegatos ab illis posse absolvere Iudaeos, Mauros ab idololatria, ab haeresi, ab aliis criminibus s. Sedi reservatis. N. O.

D. Romae apud s. Petrum die I ianu. P. a. XI. a. D. 1583.

(1) B. R. t. 4 p. 3. p. 175. C. C.

(2) B. R. t. 4 p. 4. p. 22. C. C.

LX.

Facultas datur Ecclesiae Praelatis benedictione Pontificis aliquoties benedicendi populo per annum.

CLEMENS XIII ad p. r. m.

Incipit *Inexhaustum indulgentiarum, etc.* (1).

Non raro ipsius summi Pontificis nomine effundendae benedictionis Apostolicae super Principes viros absentes delegata fuit facultas; etiam invaluit praeter modum usus verbis Dei praeconibus indulgendi, ut similiter cum plenaria indulgentia apost. benedictionem populo ad Ecclesiam confluenti impartiri valerent.

Ne igitur Ecclesiae Praelati hac facultate privarentur, congregatione Cardinalium super Indulgentiis audita, ut maiore cultu populus pastores suos prosequatur, statuit Clemens,

Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et Episcopos *duabus anni solemnitatibus Paschate resurrectionis Domini, alioque die festo solemni eorum respective arbitrio designando; Praelatos vero inferiores mithrae et pontificalium usum, territoriumque separatum cum vera qualitate nullius dioecesis habentes semel in anno, in uno ex diebus, quibus eorum singulis pontificalium usus permittitur,* populo Apost. benedictione posse benedicere.

Per hoc non intendit Clemens quicquam derogare iis ordinum Superioribus, qui hanc benedicendi facultatem habent; nec populus praesumat per hanc benedictionem absolvi a poenis et censuris ecclesiasticis. N. O.

Apponitur ritus huius benedictionis impartiendae.

Post impositam benedictionem publicabitur latino et vernaculo idiomate concessio plenariae Indulgentiae.

Apponiturque formula.

Nulli ergo, etc.

D. Romae apud S. M. Mai. III non. sept. P. a. VI. a. D. 1762.

(1) *In folio separato.*

CXI.

Revocatio indulti,
quo quidam non subiacebant censuris ab Episcopis latis.

ALEXANDER IV ad p. r. m.

Incipit *Quia pro qualitate, etc.* (1).

Status mutabilis temporis facit, ut quae necesse fuit concedere, opus sit postea revocare.

Hinc est, quod cum Innocentius praedecessor plura interdum invitus concesserit, debeant omnino revocari.

Inter haec privilegium concessit curialibus, ne possent excommunicari, aut suspendi et communitatibus non interdici; idem concesserat multis laicis et ecclesiasticis personis.

Haec omnia revocat Alexander, et nisi sint reges, reginae, filii regum, principes, magnates; sublimesque viri, has exemptiones ab Ordinariorum censuris nulli prodesse vult.

Nulli ergo, etc.

D. Anagniae XV kal. sept. P. a. I. a. D. 1255.

CXII.

Confirmatio revocationis.

CLEMENS IV ad p. r. m.

Incipit *Sedes Apostolica, etc.* (2).

Ideo obtentas a s. Sede exemptiones ab Episcoporum auctoritate revocat Clemens, quia illi, qui haec privilegia habebant, iis abutebantur non in sui defensionem, sed ad aliorum molestiam et oppressionem.

Haec igitur omnia privilegia, has exemptiones *ad instar Alexandri IV* revocat Clemens, eaque nullum robur posthac habere posse decernit.

Nulli ergo, etc. Si quis, etc.

D. Viterbii Id. aug. P. a. II. a. D. 1266.

(1) B. R. t. 3. p. I. p. 563. C. C.
(2) Ib. p. 549. C. C.

CXIII.

Quinam sint exempti ab iurisdictione Ordinariorum.

LEO X ad p. r. m.

Sacro approbante Concilio.

Incipit *Regimini universalis, etc.* (1).

Multi canonici ut effugerent correctiones Ordinariorum iactabant privilegia a s. Sede concessa, sicut faciebant clerici quidam, qui se exemptos ab auctoritate episcopali gloriabantur.

Leo volens, *ne praetextu hoc delicta remanerent impunita, sacro approbante concilio*, decernit per praesentem constitutionem, ut

Episcopi, quibus onus corrigendi incumbit, officium suum exequantur. Nam exempti ab iurisdictione Ordinariorum sunt hi Protonotarii apostolici, officiales, qui inserviunt actu romanae curiae, familiares Cardinalium iis actu inservientes. In alios omnes ius Episcopi habeant.

Caeterum monasteria immediate subiecta Pontifici monialium visitentur ab Ordinariis semel in anno; et alias exemptiones sine rationabili causa nullas Episcopi ducant.

Causae spirituales, civiles et mixtae in prima instantia deferantur ad Ordinarios; et nemini liceat ante definitivam sententiam Ordinarii appellare.

Iudices et conservatores a s. Sede deputati assumant assessorem, et iudicent.

Impedientes autem Ordinariorum iurisdictionem poenis subiaceant ecclesiasticis, contra quos omnes censuras a superioribus Pontificibus latas renovat Leo.

Monentur Archiepiscopi, ut ad quolibet triennium provinciale concilium celebrent, Episcopi synodum dioecesanam, et in hoc negligentes poenas canonicas incurrisse se sciant.

Nulli ergo, etc.

D. Romae in publica sessione in Lateranensi sacrosancta Basilica solemniter habita IV nonas maj. P. a. III. a. D. 1515.

(1) B. M. t. 1. p 551. - B. R. t. 3. p. 3. p. 405. C. C.

CXIV.

Clerici et capellani militiae Hierosolymitanae Ordinariorum iurisdictioni subiiciuntur.

GREGORIUS XIII ad p. r. m.

Incipit *Circumspecta in omnibus, etc.* (1).

Abutentes clerici et capellani ordinis Hierosolymitani gratiis et privilegiis a Pontificibus militiae indultis multa patrabant in populi scandalum.

Subiiciuntur ergo Ordinariorum iurisdictioni, et eorum privilegia reducuntur ad terminos iuris a Tridentina synodo praescriptos;

Modo tamen illi non vivant intra claustra militiae, et actu militiae non inserviant. Tunc enim eos corrigere spectat ad magnum Magistrum, et ad praeceptores, quos Episcopus monebit de eorum perversis moribus. N. O.

D. Romae apud s. Petrum VII kal. dec. P. a. IX. a. D. 1580.

CXV.

Episcopi loca deputent, congregationes instituant ad docendam doctrinam.

PIUS V ad p. r. m.

Incipit *Ex debito, etc.* (2).

Quia a bene culta infantia ut plurimum reliquae aetates dependent, et quia multi ignorantes legis sunt, quia doctores non habent, ideo mandat Pius universis et singulis Ecclesiae Praelatis,

Ut loca deputent, quo pueri conveniant, ut instruantur in iis, quae spectant ad Dei cultum, ab iis sacerdotibus, quos idoneos crediderint ad hoc opus elegerint.

Ut autem alacrius docentes et docendi conveniant, toties, quoties eo ibunt ad hunc finem, dierum quadraginta indulgentiam lucrabuntur.

D. Romae apud s. Petrum die VI oct. P. a. VI. a. D. 1571.

(1) B. M. t. 1. p. 480. - B. R. t. 4. p. 3. p. 551. C. C.
(2) B. M. t. 2. p. 371. - B. R. t. 4. p 5. p. 181. C. C.

CXVI.

Quae Praelati debeant curare iuventuti tradi.

CLEMENS XI Epistola encyclica.

Incipit *Premendo alla Santità, ecc.* (1).

Instructio continetur in hac epistola, quae missa fuit ad omnes Italiae et insularum adiacentium Praelatos, quomodo docere debeant populum religionis essentialia.

I. Circa cultum in Ecclesiis Deo praestandum,

II. Ut de hoc cultu confessarii poenitentes admoneant,

III. Mulieres praecipue cum modestia ad Ecclesiam veniant,

IV. Si fieri potest, in Ecclesiis locus virorum sit separatus a loco mulierum,

V. Ne in Ecclesiis colloquia fiant;

VI. Ecclesiastici admoneantur, ut bene peragant ministeria ecclesiastica,

VII. Omnes modeste intersint missae;

VIII. Modestia in processionibus, in comitando ss. Eucharistiae Sacramentum ad infirmos servetur;

IX. Explicentur indulgentiae datae comitantibus illud,

X. Dies festi celebrentur, qua fieri potest, diligentia;

XI. Si populus, et Ecclesiastici in his desint, Episcopi iis minentur poenas ecclesiasticas;

XII. Pauperes in Ecclesiis ne mendicent, sed stent ad ostia Ecclesiarum;

XIII. Mandent Ordinarii parochis, ut haec curent, et denuncient contrafacientes curiae episcopali;

XIV. Eadem praescribant superioribus regularibus, ut eadem observari faciant in suis Ecclesiis.

D. Romae die XXVI iulii. a. D. 1701.

(1) B. M. t. 8. p. 501.

CXVII.

Alia instructio eiusmodi.

CLEMENS XI Epistola encyclica.

Incipit *La sollecitudine, ecc.* (1).

Novae instructiones continentur in hac epistola ad Italiae insularumque Italiae Episcopos.

I. Repetuntur strictim circa cultum Ecclesiarum dicta in immediate antecedenti epistola;

II. Eos Clemens hortatur, ut sedulo invigilent observationi dierum festorum;

III. Ut hortentur genitores, ut mittant filios suos ad scholas et ad doctrinam christianam,

IV. Ut admoneant praeceptores, ut circa morum honestatem praecipue erudiant discipulos,

V. Ut diebus festis infra hebdomadam parochi adultos instruant;

VI. Ut introducant etiam in urbes usum missionum,

VII. Monialium praecipuam curam habeant,

VIII. Ut curent, ut ecclesiastici clericalem habitum decentem deferant;

IX. Ut decor ecclesiasticus servetur in sacris functionibus;

X. Ut sint cauti ad promovendos ad ordines sacros.

D. Romae die XVI mar. a. D. 1703.

CXVIII.

Monita ad Ordinarios.

BENEDICTUS XIV Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis.

Incipit *Ubi primum, etc.* (2).

Cum Christus dixerit Petro: *Pasce agnos meos, pasce oves meas*, optimum factu ducit Benedictus ad Episcopos, *qui sunt veluti agnorum matres*, hanc encyclicam epistolam mittere.

(1) Ib. p. 407.

(2) B. M. t. 16. p. 3.

Multa salutifera monita iis dat, ut clericorum mores et ecclesiasticam disciplinam regant; ne sint faciles in admittendo quoscumque ad ordines, sed nonnisi probos, doctosque promoveant;

Et ideo seminaria erigant, ubi non sunt; ubi autem sunt, in melius promoveant, ingruentesque abusus tollant ea saepius visitando;

Praecipuam curam habeant in deligendis animarum pastoribus; quibus electis iubeant catechizare, praedicare; tardos corrigant; proderit autem plurimum, si parochi quotannis spiritualibus exercitiis incumbant;

In formam autem facti gregis resideant in suis Ecclesiis, neque putent sibi quotannis per tres menses ab iis abesse ad libitum esse fas; nisi enim causa gravissima subsit, abesse impune non possunt.

Iniungit etiam iis visitationem suarum Ecclesiarum, et reliquorum episcopalium munerum observantiam assiduam.

Illis pollicetur auxilium christianorum principum, cum opus fuerit, s. Sedis assistentiam, divinam opem.

Dat. Romae apud S. M. Mai. die III dec. P. a. I. a. D. 1740.

CXIX

Hortatio ad Episcopos, ut curent, ne Parochi desint docendae doctrinae.

BENEDICTUS XIV Patriarchis etc.

Incipit *Etsi minime, etc.* (1).

Etsi non dubitat Benedictus, quin Episcopi invigilent, ut populus sibi commissus erudiatur in rebus fidei, sui tamen muneris esse putat illos de hoc episcopali munere admonere.

Exponit ergo, quae docenda sint; scilicet alia credenda de necessitate medii, alia de necessitate praecepti; explicanda praecepta attinentia ad mores; id officium non esse alienum ab Episcopis, cum constet plures pios et doctos praelatos id fecisse et facere magna cum laude et utilitate;

(1) Ib. p. 64.

Invigilandum Episcopis, ut parochi in suis quisque Ecclesiis id praestent, cogendosque esse clericos, ut auxilientur parochis, eligendos magistros et magistras ad instruendos filios et filias separatim; inculcandum genitoribus, ut mittant filios et filias ad addiscendam christianam doctrinam in suas paroecias; instruendos esse pueros a parochis admittendos ad communionem, adolescentes promovendos ad ordines, aut volentes nubere.

Quod si aliqui sint adeo ignorantes, ut nesciant mysteria fidei, ne permittant iis nuptias contrahere, nisi ea addiscant; si ad confessionem eant, confessarii eos interrogent de fidei mysteriis, ignarosque repellant.

Iniungit etiam Episcopis, ut edicant, in oratoriis ruralibus non esse celebrandas missas ante parochialem, ne populus distrahatur ab audienda explicatione evangelii, quae a parochis debet fieri inter missarum solemnia;

Deputari mandat visitatores doctrinae per urbes;

Suadet doctrinam cardinalis Bellarmini addiscendam et explicandam, ut uniformitas habeatur; docendos, ait, esse actus virtutum theologicarum et frequenter pueros in iis eliciendis exercendos.

D. Romae apud S. M. Mai. die VII febr. P. a. II. a. D. 1742.

CXX.

Nova adhortatio ad Episcopos, ut curent pueros doceri christianam doctrinam.

BENEDICTUS XIV Patriarchis, etc.

Incipit *Cum religiosi, etc.* (1).

Deputaverat Benedictus quosdam, qui docerent damnatos a Dataria ad servilia opera trium basilicarum urbis, antequam iis concederetur dispensatio impedimenti matrimonialis.

Canonici deputati ad eos docendos retulerunt Pontifici, eos esse prorsus ignaros etiam eorum mysteriorum, quorum cognitio est de necessitate medii,

(1) B. M. t. 19 p. 108.

Benedictus licet putet ignorantiam hanc esse tribuendam genitoribus, qui eos ad doctrinam christianam addiscendam non mittebant, tamen adhortari non desistit Episcopos, ut hoc munus sedulo urgeant, proponitque iis exemplum D. Caroli Borromaei, qui nullam diligentiam in hoc nimiam putabat.

D. in arce Gandulphi die XXVI iunii P. a. XIV. a. D. 1754.

CXXI.

De Episcopi officiis.

IOANNES XXII Philippo regi Franciae.

Incipit *Profecto fili, etc.* (1).

Rogarat Philippus Ioannem ut praeficeret Ecclesiae Rothomagensi Guillelmum e s. Maura cancellarium suum in Archiepiscopum.

Regi respondet Ioannes, se quoque fuisse cancellarium Caroli regis Siciliae, ac proinde experimento scire quantum intersit munus hoc inter et illud; levia esse cancellarii munera prae episcopalibus officiis.

Episcopi quidem est, inquit, *officium, gregem sibi commissum verbo doctrinae scripturae sacrae, et exemplo vitae pascere et subsidio temporali*, hoc significasse Christum cum dixit Petro: *pasce oves meas.*

Officium quoque medici noscuntur habere, qui inter lepram, et lepram, idest inter peccatum et peccatum debent cognoscere, et spirituales medicinas congruas, ut a suis sanentur oves infirmitatibus, ministrare.

Habent quoque a sibi commisso populo extirpare vitia, et virtutes plantare;

Constituuntur insuper pro hominibus in iis, quae sunt ad Deum, ut sacrificium et dona offerant pro peccatis.

Habent insuper sacramenta ministrare ecclesiastica.

Iam videt rex, haec officia esse prorsus aliena ab instituto cancellarii; et difficulter admodum, qui saecularibus officiis assuevit, posse se ecclesiasticis provecta in aetate aptare.

(1) Ex Rayn. ad ann. 1331. §. 32.

Quidquod regis ipsius interest, bonos habere praesules? sic enim populi magis in officio continentur, minoresque motus, turbasque excitant, cum ad exemplum suorum pastorum ad virtutem, pietatemque ferri soleant.

Meminerit rex, quae quondam ab ipsomet Pontifice audivit, nempe licet magnae virtutes requirantur in Cardinalibus, tamen se potius electurum esse Cardinalem aliquem tot virtutibus non praeditum, quam Episcopum. Episcopus enim vita sua exemplo debet esse populis suae curae commissis;

Multo vero minus potest facere Archiepiscopum, qui et Episcopis ipsis suis suffraganeis exempla virtutum dare debet.

Consulit ita agendo Pontifex etiam saluti animae regis, qui certe affligeretur reusque coram Deo esset, si Archiepiscopus Rothomagensis ad eius preces eligeretur qui expectationi, votisque non responderet, adimpleretque non omnino tanta, totque episcopalia munera.

D. Aven. IX kal. mar. P. a. XV. a. D. 1331.

CXXII.

Commonentur Episcopi de suis muneribus, ad quae adimplenda Pontifex eos hortatur.

CLEMENS XIII Patriarchis, Primatibus, etc.

Incipit *A quo die, etc.* (1).

Sequutus suorum praedecessorum morem Clemens XIII monet Episcopos de muneribus episcopalibus vix ac evectus fuit ad pontificale fastigium, quo ingentia in christianam rempublicam merita eum duxerant.

Doctus enim experientia vidit quae, qualiaque praestare debeat Episcopus, quae certe ipse praestitit per annos sexdecim, per quos Ecclesiae Patavinae summa cum laude praefuit et verbo et opere et exemplo et munificentia.

(1) *In folio separato.*

Inculcat igitur Ecclesiarum Praelatis, ut mutuam unitatem inter se servent, reputantibus, Christum nihil aliud ascensurum in coelos discipulis commendasse, nisi pacem;

Tum quae sint charitatis notae, explicat Pontifex ex Apostolo ad Corinthios I. c. XIII. v. 4. 5.

Qui porro debeant esse Episcopi mores, ostendit, ne sit contumax, ne dominandi cupidus, ne tumidus etc. ut si misericors in pauperes, praecipue cum quodam iure suo pauperes largitatem in Episcopo requirant, qui bonorum Ecclesiae, quae dicuntur bona pauperum, est solum administrator.

Sint Praelati assidui orationi, quae erit efficax, si eam fides, humilitas, perseverantia comitentur. Ne facile praetermittant offerre divinum sacrificium; ex eo prudentia in expediendis negotiis haurietur.

Doceant christianum populum quae, qualiaque passus sit Christus, commoriendum esse cum Christo iis, qui cum Christo regnare volunt.

Sed quia Episcopi omnia per se agere nequeunt et indigent auxilio pastorum, iis ostendit Clemens, quam cauti esse debeant in iis eligendis. Doctos, prudentes eligant; proinde non sint adeo faciles in admittendis ad ordines quibuscumque.

Episcopi, si possunt, per se praedicent, si minus aptos ad quaedam se norunt, faciant quae possunt, ministrent aliquando sacramenta, adeant interdum chorum cum Canonicis, collationibus Theologiae moralis intersint; resideant, neque nisi ex gravissima causa a suis Ecclesiis discedant.

Quae omnia perpendens Clemens testatur, se non promoturum ad hanc dignitatem, nisi qui habeant *doctrinam sanam*, *vitam irreprehensibilem*, *mentem paratam ad omnia pro Christo pati.*

Si pastores ad haec minus pares se agnoscent, et auxilio indigebunt, Pontificium subsidium iis pollicetur, quotiescumque a s. Sede illud implorabunt.

D. Romae apud S. M. Mai. die XIV sept. P. a. I. a. D. 1758.

CXXIII.

Adhortatio ad Episcopos ut simul cum Pontifice curae populorum invigilent, et principibus obedire populum doceant.

CLEMENS XIV Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis.

Incipit *Cum attente*, *etc.* (1).

Considerans Clemens quantum oneris sibi fuerit impositum cum Pontifex fuit electus, imbecillitatemque suarum virium animadvertens, non potest quin maximopere commoveatur. Iam quietam agebat vitam et e tutissimo portu in altum proiectus fuit, ita ut pene tempestate sit absorptus. *Sed a Domino factum est illud, et est mirabile in oculis nostris.* Nam nemo erat, qui esset magis alienus a Pontificatu consequendo, quam ipse. Hinc autem spem desumit fore ut ille, qui voluit eum Pontificem esse, auxilium, opemque illi praestet; meritoque timeret, ne sicut coargutus de parva fide fuit Petrus, cum inibi erat, ut immergeretur fluctibus, ipse quoque argueretur. Dum Deus eum eligit in Pontificem; etiam auxilium certissimum illi pollicetur. Ille consilio suo quod opus incoepit, perficiet, solidabitque. Quare si Pontifex quidquam aget, quod Ecclesiae emolumento sit, id totum Deo adscribendum erit. Laetus igitur, tanto auxilio fretus, regendam Ecclesiam suscipit, pro cuius regimine nullis laboribus, nulli sollicitudini, diligentiaeque parcet.

Maiores etiam animos accipit Clemens, cum Ecclesiae Praelatos circumspicit, quos coadiutores sibi a Deo datos, Concustodes Dominici gregis, et Evangelicae vineae operarios agnoscit. Illos initio sui Pontificatus alloqui Clemens desiderat; si illis videbitur ipse de quibusdam eos admonere, eos hortari in Domino, adscribant id aut timori, quem de se habet, vel fiduciae, quam habet in illos, quorum virtutem, pietatemque optime novit.

Ac primum eos rogat, obsecratque Pontifex, ut Deum precentur, ut in regimine Ecclesiae suo auxilio illi assistat. Quoniam invisibilis Ecclesiae capitis Christi ipse est visibile caput, Episcopique sunt membra

(1) *In folio separato.*

singulis in uno lapide angulari consolidati, aequum est, caput consulere membris, et membra capiti, et hoc esse horum vel laetarum, vel infelicium rerum particeps, et illa huius vel laetitiae, vel doloris habere partem. Unum igitur, et caput, et membra sentientia, in unum conspirantia finem, ad metam eamdem tendentia curent sanitate doctrinae, morumque sanctimonia Ecclesiam Dei regere, populoque christiano praeesse.

In primis autem curent Episcopi persuadere populis suis, ut fidem suo principi servent, illi pareant, illum venerentur non poenarum timore acti, sed conscientia. Ita populis conformatis ad obedientiam, obsequiumque in Reges, facile Episcopis erit quiete et tranquille Ecclesias suas regere. Orent etiam pro populo, et pro regibus, ut Deus illos incolumes servet, ut prudenter, iuste, sancteque populos regant. Hoc ab Episcopis praestandum esse quis non videt, cum sint a Deo in hominum beneficium constituti?

Oleum se, operamque perditurum esse, ait Clemens, si eos de singulis eorum muneribus admonere vellet; praecipue cum iam sciat, eos illis abunde satisfacere.

Ad hoc tantum eos hortatur, ut curent efficere, ut populus in suo pastore imaginem videat nostri Ducis, Principisque pastorum, studeantque praeseferre eam sanctitatem, caritatem, humilitatemque, quarum virtutum ille tot nobis documenta dedit. Si exemplo Pastor praecedat, si quae loquitur, opere exerceat, mirum quantum ad easdem virtutes excolendas populus accendetur. Quanto amore pastorem suum prosequentur, cum illius amorem humilitatemque habebunt perspectam oves? Ne quaerant igitur Episcopi sibi divitias, sed quos habent redditus effundant in pauperum sinum, putentque tunc bene positas divitias, quas in sinu pauperum recondant. Si enim ipsis divitias quaerent, qui poterunt excitare populum ad terrena haec contemnenda? Hoc demum sibi Pastores persuadeant, veram, solidamque gloriam ex populo bene recto, bene custodito in eos esse redundaturam; ex aliis rebus potius dedecus eos esse relaturos.

Cum ad Episcopatum vocati fuerunt, ad laborem fuerunt vocati, qui quidem labor perpetuus constansque esse debet, nullis terminis locorum,

temporisque circumscribitur. Quam autem laetitiam non percipient, cum populum suum caste, integreque vivere viderint? Quo quidem gaudio nullum maius in terris esse potest. Utinam Deus haec Pontificis vota exandiat, ut omnes Ecclesiae pastores coniuncti simul antiqua Ecclesiae tempora renata videant, consolarique se invicem in Christo possint.

Eos monet, se litteras edidisse, quibus de more Iubilaeum omnibus Christi-fidelibus elargitur. Eos rogat, ut populum moneant, ut preces solitas, operaque quam maxima fide, pietate et humilitate fundant faciantque; ut ipsi illis exemplo sint in his omnibus.

Apostolicamque benedictionem illis impartitur.

D. Romae apud S. M. Mai. die XII dec. P. a. I. a. D. 1769.

CXXIV.

Cathechismi Romani lectura commendatur Ecclesiarum Praelatis.

CLEMENS XIII Patriarchis, Primatibus, etc.

Incipit *In Dominico, etc.* (1).

Tridentinum Concilium postquam proscripsit haereses, firmavitque credenda, voluit librum quemdam efformari, Catechismum Romanum, in quo docerentur credenda et fugienda, eumque Praelatis Ecclesiarum commendavit adhibendum in exponendis mysteriis catholicae religionis.

Cum videret Clemens, plures catechismos prodiisse in lucem cum hoc minime comparandos, ex quibus duo gravissima nascuntur mala, ut novae opiniones disseminentur, quae dispersae sunt in his Catechismis, et dissensiones in Ecclesia oriantur, ob diversarum partium studium, voluit, Catechismum Romanum, qualis editus fuit a S. Pio V et latine, et italice imprimi in alma urbe; sperans et novas opiniones, hoc modo tolli posse, et contentiones.

Eum igitur commendat Ecclesiae praelatis, eo vult illos uti, et pastores animarum in docendo populum illum adhibere, et sequi.

D. in arce Gandulphi die XIV Iunii. P. a. III. a. D. 1761.

(1) *In folio separato.*

CXXV.

Iubentur Ecclesiae Praelati in suis Ecclesiis instituere Archivia.

BENEDICTUS XIII ad p. r. m.

Incipit *Maxima vigilantia*, *etc.* (1).

Ex multis constitutionibus editis a Pontificibus, et a Divo Carolo Borromaeo in suo primo provinciali Concilio ostendit Benedictus necessitatem Archiviorum pro quolibet Episcopatu.

Ex deficientia enim illorum plurima illata sunt damna Ecclesiis, et bona multa illis ablata, cum necessariis chartis et instrumentis Ecclesiae carerent ad lites dirimendas.

Ergo omnibus Ecclesiarum praelatis, et etiam Capitulis mandat, ut intra sex menses haec archivia efforment; chartasque, pergamenas, protocolla, instrumenta colligant, et disponant.

Idem iubet omnibus regularibus, collegiis, locisque piis utriusque sexus;

Horum instrumentorum catalogus fiat.

In monasteria Monialium fiant ab homine deputato ab Episcopo coram confessario et abbatissa.

Duo fiant catalogorum exemplaria, quorum alterum sit penes Episcopum in Archivio Episcopi, alterum penes Canonicum antiquiorem; ita duae sint claves Archivii episcopalis, una penes Episcopum, altera penes cancellarium Episcopi.

Ita Archivii capitularis una clavis sit penes Canonicum antiquiorem; altera penes Archivistam; in monasteriis unam clavem retineat Abbas, vel Abbatissa, alteram Archivista.

Et quolibet anno ponantur in Archivio, et signentur in catalogo chartae illo anno confectae, et rogata instrumenta.

Porro Episcopi in suis visitationibus Archivia visitent, etiam quae iure delegato visitare debent. Ita agant et visitatores ordinum.

(1) B. M. p. 7. vel t. 13. p. 303. - B. R. t. 12. p. 221. C. C.

In capitulis ex Canonicis deligatur Archivista, ita et in monasteriis.

Episcopus discedens a propria dioecesi det inventarium Confessario suo, aut alicui superiori alicuius ordinis servandum usque dum venerit.

Mortuo Episcopo Capitulum inquirat inventarium, et illud det Confessario Vicarii capitularis, vel Superiori alicuius ordinis et claves deponantur apud duos Canonicos.

Etiam processus conserventur in Archiviis;

Episcopi provideant pro scripturis locorum piorum et Ecclesiarum parochialium conservandis.

Poenas inobedientibus denuntiat. N. O.

Nulli ergo, etc.

Dat. Romae apud S. Petrum XVIII kal. iul. P. a. IV. a. D. 1727.

CXXVI.

Regulares assumpti ad Episcopatum ad suos ordines redeuntes nullam dignitatem in iis habere possint.

PAULUS IV ad p. r. m.

Incipit *In sacra*, *etc.* (1).

Quidam Episcopi assumpti ad Episcopatum ex diversis ordinibus, impetrata a s. Sede resignatione suorum beneficiorum, redibant ad suos ordines, in quibus regulares honores ambiebant, cum monasteriorum detrimento.

Paulus volens monasteriis consulere vult, ut etiamsi impetrent hi Episcopi solutionem a suis Ecclesiis, redeuntes ad suos ordines sint incapaces omnino ordinum dignitatum; dispensationesque in contrarium obtentae nullae sint.

Fratres, Monachi, qui scientes eos ad has dignitates elegeriut, priventur voce activa, et passiva. N. O.

Nulli ergo, etc.

D. Romae apud s. Petrum die XIX iul. P. a. V. a. D. 1559.

(1) B. M. t. 1 p. 843 - B. R. t. 4. p. 1. p. 363 C. C.

CXXVII.

Episcopi titulares habere non possunt Pontificalia in alienis dioecesibus sine licentia Ordinariorum.

PIUS IV ad p. r. m.

Incipit *Cum sicut, etc.* (1).

Multi Episcopi Titulares, hoc est Episcopi in partibus infidelium, nullam sedem propriam habentes, nullam iurisdictionem, in alienas dioeceses irrepebant, atque ibi Pontificalia exercebant, promovebant etiam clericos ad ordines, insciis Ordinariis, qui querelas suas ad Pium detulerunt.

Qui statuit, eos id facere non posse, nisi de expressa licentia Ordinariorum.

Aliter facientes privat auctoritate faciendi Pontificalia per annum unum; clericos autem ita ordinatos suspendit ab officio acceptorum ordinum. N. O.

Nulli ergo, etc.

D. Romae apud S. Petrum die XXI mai. P. a. III. a. D. 1562.

CXXVIII.

Uberior explicatio praecedentis constitutionis.

PIUS IV ad p. r. m.

Incipit *Alias emanarunt, etc.* (2).

Ut magis deterreat hos Episcopos Titnlares ab exercendis Pontificalibus in alienis dioecesibus, Pius dat facultatem Ordinariis, eorumque Vicariis procedendi contra eos.

Etiamsi illa exercuerint in Monasteriis, et in locis nullius Dioecesis.

His Episcopis poenas suspensionis a divinis, et excommunicationis minatur, si hanc constitutionem quoquo modo fregerint. N. O.

D. Romae apud S. M. Mai. die XXVIII iunii P. a. IV. a. D. 1563.

(1) B. R. t. 4. p. 2. p. 119. C. C.

(2) Ib. C. C.

CXXIX.

Episcopi Titulares Regulares absentes a sua sede neque de licentia Ordinariorum exercere Pontificalia possunt.

CLEMENS XI – Decretum.

Incipit *Referent, etc.* (1).

Renovat Clemens constitutionem Alexandri VII, quae deest in utroque Bullario, eiusque vim amplificat; eius summa haec est,

Ut Regulares assumpti in Episcopos Ecclesiarnm positarum in partibus haereticorum, vel schismaticorum non possint extra claustra vivere, sed subsint suis superioribus, nisi specialem licentiam a sancta Sede obtineant;

Neque possint exercere pontificalia, *ne permissu* quidem Ordinariorum, sub poena suspensionis ipso facto incurrendae reservatae Romano Pontifici; *ac praeterea reassumpto habitu propriae religionis, non secus ac ceteri religiosi subsint suis superioribus regularibus; cum iurisdictio dictis Episcopis sit restricta, et limitata intra fines dioecesis, et Vicariatus suae Ecclesiae administrandae et ad actum visitandi respective.*

Tum additur formula iuramenti, iuxta quam Episcopi sic promoti iurare debent, se observaturos quae praemissa sunt.

Decretnm Alexandri VII est datum die XXVI Iul. an. 1662.

D. Romae die XVII iunii. a. D. 1716.

CXXX.

Quid requiratur, ut praelatus inferior dicatur territoriorum separatum, etc. habere.

CLEMENS XI – Decretum.

Incipit *In Congregatione, etc.* (2).

Propositum fuit sacrae congregationi Episcoporum dubium, num Praelato inferiori satis esset praescriptio quadraginta annorum una cum

(1) B. M. t. 8. p. 426.

(2) Ib. p. 385.

VI. Anania et Saphira retinentes partem pretii divenditi agri, cum statuissent corde integrum dare Apostolis, repentina sunt morte mulctati;

VII. Iam quid dicendum de iis, qui non res suas, sed Ecclesiae vertunt in usum suum et consanguineorum?

VIII. Ideo autem clerici simoniaci obruti sunt omnibus vitiis, quia cum omnia obtinuerint per pretium, etiam per pretium putant, se evasuros, si accusentur.

IX. His rationibus permotus Alexander inhibet Episcopo, ne beneficia ulla cuiuscumque generis conferat mercede ductus, sed gratis conferat et beneficia et ordines et alia sacramenta;

X. Vult, ut ordinentur *non dites pecunia, sed dites moribus et disciplina et scientia*;

XI. Vetat quicquam accipi ab Episcopo, ab eius ministris, vel per se, vel per interpositas personas;

XII. Nec quicquam ab Episcopo in collatione beneficiorum aut ordinum est postulandum pro fabrica, pro pauperibus, ut in re tanti momenti vitetur etiam suspicio.

XIII. Si Episcopus audeat vendere, et clericus emere beneficium, ordines, executioni mandetur, quod praedictum Chalcedonense concilium iubet, deponatur Episcopus, clericus amittat beneficium, et suspendatur ab ordine.

Pontifex se subscribit decreto.

CXXXII.

Responsa ad quaedam dubia circa Simoniam.

URBANUS II Lucio praeposito Ecclesiae s. Iuventii.

Incipit *Salvator*, *etc.* (1).

Ita respondet Urbanus ad illa dubia, quae Lucius Praepositus Ecclesiae s. Iuventii proposuerat;

(1) Ib. p. 109. C. C.

I. Vendere rem aliquam ecclesiasticam, simoniacum est: ita colligitur ex actibus Apostolorum, *pecunia tua sit tibi in perditione*, ita respondit d. Petrus Simoni, unde nomen contractus rei spiritualis accepit.

II. Tribus porro modis sit simonia, 1. munere linguae, 2. indebito obsequio, 3. pecunia.

III. Synodus Chalcedonensis damnat ordinantem pecunia, ordinatum pecunia et *interventorem* huius negotii, scilicet procuratorem.

IV. Nomine autem interventoris, seu procuratoris, intelligitur et qui missus ab Episcopo ad clericum, pecuniae quantitatem, vel qualitatem muneris proponit; et qui ex parte clerici inducit Episcopum ad faciendum et dandum aliquid spirituale, pecunia; hic dicitur *interventor*, hic sit quicumque et conditionis cuiuscumque;

V. Quapropter non est mirum, si cum simonia peccatum gravissimum sit, adeo Deum ad iram accendat, ut Christus ipse alioquin mitissimus e funiculis facto flagello suismet ipsis manibus vendentes et ementes e templo eiecerit.

VI. Respondet ad alterum quaesitum Praepositi Urbanus, *utrum sit utendum sacramentis a criminosis, adulteris et a sanctimonialium violatoribus, vel huiusmodi, confectis?* Si huiusmodi homines *non separantur ab Ecclesia, schismate, vel haeresi, eorum ordinationes et reliqua sacramenta, sancta et veneranda non negamus.* Ita docet d. Augustinus; ideo autem canones et Pontifices docuerunt non petere sacramenta a criminosis, ne obsint iis, qui illa ministrant, cum *sancta sancte tractanda sint, qua sanctitate illi carent,* non quia data a criminosis nocere possint, aut sint inutilia illa accipientibus.

VII. Sacramenta autem collata a schismaticis, ab haereticis *iuxta ss. Patrum traditiones formam quidem sacramentorum, non autem virtutis effectum habere profitemur.*

VIII. Iam baptisma ab haereticis collatum *insignis martyr Cyprianus, et LXXX Episcopi cum eo lavacrum diaboli appellant, Stephanus vero et Cornelius martyres et Pontifices romani et venerabilis Augustinus Cyprianum et eosdem Episcopos vehementer reprehendunt affirmantes, baptismum sive ab haeretico, sive schismatico, ecclesiastico more celebratum,*

ratum esse, et ratio est, quia cum baptismus sit necessarior, si forte catholicus non invenitur, satius est ab haeretico illum sumere, quam in aeternum perire.

Ann. Dom. 1099.

CXXXIII.

Nova damnatio Simoniae.

HONORIUS II Episcopo et clero Leodiensi.

Incipit *Relatione fratrum, etc.* (1).

Detestabilem simoniacam consuetudinem in Ecclesia Leodiensi vigentem, ut nemo reciperetur ad praebendas eius Ecclesiae, nisi prius persolvisset praeposito et decano statutam pecuniam quamdam, Honorius damnat.

Praecipitque, ut pessimus hic mos tollatur omnino de medio, *siquidem scriptum est in Evangelio, quia Dominus noster vendentes et ementes eiecit de templo.*

Si quis aliquid det, dantem et accipientem *locum in Ecclesia ulterius non habere mandat.*

Datum Laterani VII id. novembris an. 1128.

CXXXIV.

Poenae in ordinantem et ordinatum Simoniace.

BENEDICTUS VII Episcopus servus servorum Dei.

Incipit *Notum est, etc.* (2).

Haec de sacris clericorum ordinationibus statuisse *sanctam synodum aggregatam in Ecclesia b. Petri apostoli una cum Ottone imperatore* significat Benedictus omnibus Ecclesiarum praelatis;

(1) Ib. p. 201. C. C.
(2) B. R. t. 1. p. 281. C. C.

I. Ordinans Episcopum, clericum, presbyterum etc. *pro suo turpissimi lucri commodo proprii gradus periculo subiacebit; ordinatus autem ita nihil ex hac ordinatione, vel promotione proficiat.*

II. Mediator autem tam nefandi contractus, si fuerit clericus deponatur; si laicus aut monachus, anathematizetur;

III. Dans et obtinens per pecuniam dignitatem a dignitate deiiciantur et a communione fidelium abscindantur.

IV. Gravitatem huius sceleris amplificat Pontifex exemplis Solymae eversae, quia sacerdotes legum fuerant transgressores: Christi ejicientis e templo vendentes et ementes;

V. Adhortatur ergo maximopere Episcopos ad fugiendum crimen hoc gravissimum.

VI. Clerici autem qui non possunt ordinationes accipere ab Episcopo, nisi persolvant pecuniam, accedant ad s. Sedem.

VII. Ordinatus autem, vel adeptus pallium, aut dignitatem, *si neque petitus, neque exactus aliquid offerre voluerit cuilibet de clero causa gratiae tantum, hoc accipi* non prohibet Pontifex.

VIII. Mandat demum Episcopis, ut hanc epistolam secum communicent.

CXXXV.

Consona decreta contra obtentas ordinationes simoniace.

NICOLAUS II – Decretum.

Incipit *Dominus Papa, etc.* (1).

Quia vix *quaelibet Ecclesia valebat tunc reperiri, quae simoniaco morbo non esset aliqua ex parte corrupta, ideo Nicolaus sedens in synodo in basilica Constantiniana haec decrevit*;

I. Si aliquis gratis et sine pretio sit ordinatus a simoniaco Episcopo, *non tam censura iustitiae, quam intuitu misericordiae in acceptis ordinibus permanere permittitur;* hoc tamen in exemplum non transeat;

(1) Ib. p. 408. C. C.

II. Clericus sciens, Episcopum esse simoniacum, si ab eo ordinationes exposcat, *et consecrans et consecratus depositus poenitentiam agat, et privatus a propria dignitate persistat;*

III. Si Pontifex *sine canonica et concordi electione, et benedictione Cardinalium* fuerit electus, liceat Cardinalibus Episcopis cum clericis timentibus Deum *vel in urbe, vel extra urbem congregatis* eum excommunicare, ipsique Ecclesiam regant; donec idoneus reperiatur, qui eligatur.

Ann. Dom. 1508.

CXXXVI.

Renovantur poenae in Simoniacos.

MARTINUS V ad p. r. m.

Incipit *Praevalente nequitia, etc.* (1).

In diutino schismate, quod tamdiu Ecclesiam afflixerat plurimum grassata simonia fuerat, nunc pace Ecclesiae reddita hanc constitutionem edit Martinus, in qua

Contra quoscumque cuiuscumque sint dignitatis hac peste infectos renovat poenas denuntiatas a sacris canonibus et a suis praedecessoribus.

Hoc autem de novo addit, ut sint excommunicati quicumque scientes, vel graviter suspicantes aliquem esse simoniacum, vel Pontifici, vel eius camerario, vel eius vicegerenti in praesentia unius, vel duorum testium non detulerit, quam excommunicationem a Pontifice solo solvendam Martinus reservat.

Dat. Mantuae XVIII kalend. dec P. a. II. a. D. 1418.

(1) Ex Rayn. ad ann. 1418. §. 32.

CXXXVII.

Confirmatio poenarum sancitarum in Simoniacos.

EUGENIUS IV ad p. r. m.

Incipit *Cum detestabile, etc.* (1).

Poenas a sacris canonibus sancitas contra simoniaca labe infectos renovat Eugenius;

Neminem excipit, sit cuiuscumque dignitatis et gradus, dantes, accipientes, promittentes, mediatores, scientes nec revelantes.

Dat. Romae apud s. Chrysogonum XV kal. iunii P. a. IV. a. D. 1434.

CXXXVIII.

Promoti Simoniace ad ordines et beneficia non possunt recte percipere eorum fructus.

SIXTUS IV ad p. r. m.

Incipit *Perniciosam, etc.* (2).

Gravissimas poenas sancitas contra simoniacos, qui pretio dant et accipiunt ordines, confirmat Sixtus; declaratque, simoniace ad ordines deinde ad beneficia promotos rite, et recte fructus eorum beneficiorum percipere non posse, ac proinde teneri ad eorum restitutionem.

Nulli ergo, etc.

D. Romae apud s. Petrum XI kal. iunii P. a. I. a. D. 1472.

CXXXIX.

Damnatur mos invadendi et expilandi mortuorum Episcoporum domos.

LEO IX Clero, et populo Auximanis.

Incipit *Quia auctore, etc.* (3).

Detestandum morem mortui Episcopi domum invadendi, et eius bona diripiendi *hostiliter* coarguit Leo, et corrigi vult ut perniciosum.

(1) B. M. t. 1. p. 324. - B. R. t. 3. p. 3. p. 10. C. C.
(2) Ib. p. 133. C. C.
(3) B. M. t. 1. p. 24. - B. R. t. 1. p. 378. C. C.

Si enim honorare parentes debemus, Episcopi, qui parens, pastorque suae plebis fuit, qui animam daro pro ovibus suis paratus erat, nefas certe erit, dumum violare, et eius rem familiarem dissipare.

Saltem in obsequium illius Ecclesiae, cuius fuit sponsus, haec aggredi nemo debet.

Quod si Episcopus aliquem laesit, imitemur Christum, qui suis percussoribus pepercit, ei parcamus, praecipue cum haec sit ultio, cuius nullus sensus mortuum iam Episcopum pertingit.

Excommunicationem ergo incursuros decernit Leo illos, qui haec in posterum patrabunt. – Ann. Dom. 1051.

CXL.

Bona defuncti Episcopi ne invadantur in provincia Narbonensi.

HADRIANUS IV Berengario Archiepiscopo et Archidiaconibus, et universo clero Narbonensi.

Incipit *Quoniam apostolicae, etc.* (1).

Mos hic erat in provincia Narbonensi, ut defuncti Episcopi domos invaderet plebs, et universa, quae in illa repcriebat, auferret et raperet. Ermengardis Narbonae domina *pravam* hanc *consuetudinem, quae contra Deum, et Ecclesiam antiquitus inoleverat, divinae legis amore accensa* illam abrogavit, cavitque, ne quisquam mortui Episcopi domum spoliaret.

Ermengardis decretum per has litteras confirmat Hadrianus, vetans ne *terrae princeps, castellanus aliquis, sive miles, ne saecularis aliqua laicave persona sub obtentu alicuius consuetudinis Narbonensis Ecclesiae bona diripere, vel direpta retinere audeat* sub poenis, etc.

(1) Ex Petro de Marca de concordia sac. et Imperii p. 1185.

CXLI.

Eadem direptio bonorum vetatur.

GREGORIUS IX Archiepiscopo Narbonensi, et Magalonensi, et Elenensi Episcopis.

Incipit *Ad audientiam, etc.* (1).

Quia Seneschalli, et Baillivi regis Franciae in praedicta Narbonensi provincia occupare, et rapere bona mortuorum Episcoporum non desistebant.

Praedictis praesulibus mandat Gregorius, ut nisi ministri regii pareant litteris, quas de hac re ad illos miserat, *monitione praemissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota cogant; proviso, ne in terram dicti regis excommunicationis, vel interdicti sententiam proferant, nisi super hoc a Pontifice mandatum recepisse speciale.*

D. Laterani XVII kal. apr. P. a. XI. a. D. 1238.

CXLII.

Denuo direptio bonorum Ecclesiarum inhibetur.

INNOCENTIUS III Archiepiscopo Narbonensi et Episcopo Elenensi.

Incipit *Ad aures nostras, etc.* (2).

Per litteras Gallicana Ecclesia ad Pontificem questa fuerat, quosdam barones, et baillivos, et praepositos vel per se, vel per alios graviter eamdem Ecclesiam comprimere, res, et bona Ecclesiarum, hominum eorumdem; et ecclesiasticarum personarum capere, et detinere *pro suae voluntatis arbitrio*;

Quosdam id sibi arrogare, quia cum sint advocati Ecclesiarum, putant *se esse in possessione huiusmodi iurisdictionis exercendae ex frequenti exercitio huiusmodi captionis,*

(1) Ib. p. 1187.

(2) Ibid.

Nonnullos, si vacantis alicuius Ecclesiae provisio aliquantisper diuturna sit, *praetextu guardiae seu advocationis* esse eorum bonorum *dissipatores, et consumptores;*

Quosdam demum *multo carius emere sua officia spem ponentes damnabilis lucri in servitiis, seu exactionibus, quae ab Ecclesiis, hominibus earum, et personis ecclesiasticis extorquent ratione guardiae, seu advocationis.*

Quare mandat Innocentius praedictis Episcopis, ut hos omnes moneant, *et si ad monita fuerint pertinaces,* eos excommunicent, et eorum terras interdicant. N. O.

Si uterque vel non potuerit, vel noluerit interesse Episcopus, *alter, non expectato reliquo, ea nihilominus exequatur.*

D. Perusii VIII kal. aug. P. a. X. a. D. 1208.

CXLIII.

Idem vetatur in Ecclesia Tolosana.

CLEMENS IV Episcopo Bitterensi.

Incipit *Significavit nobis, etc.* (1).

Rumor percrebuerat, Episcopum Tolosanum vita fuisse functum: Vicarius comitis Tolosae *praetextu regalium, quae in bonis Episcopatus Tolosensis eidem comiti indebite vendicare contendebat, domos, bona, et cameras episcopales temerario ausu intrare, ac bona ipsius Episcopi ibidem inventa nequiter occupare praesumpserat. Officialis* Tolosensis, cum ausus esset notorius, monitione praemissa, Vicarium, eique auxilium dantes excommunicavit. Tum Episcopus rogavit Pontificem, ut sententiam confirmaret.

Mandat igitur Clemens Bitterensi Episcopo, *quatenus sententiam ipsam, sicut rationabiliter est prolata, faciat auctoritate pontificia usque ad satisfactionem condignam appellatione remota inviolabiliter observari.*

D. Viterbii XIII kal. nov. P. a. III. a. D. 1268.

(1) Ibid.

CXLIV.

Declarantur excommunicati occisores Episc. Castrensis.

INNOCENTIUS X ad p. r. m.

Incipit *Cum sicut, etc.* (1).

In itinere prope terram Montis Rosarum Episcopus Castrensis provinciae Romanae fuit proditorie interfectus, reique ignorabantur.

Hos tamen, quicumque ii sint, et cuiuscumque gradus, et dignitatis, poenam excommunicationis incurrisse declarat Innocentius, a qua absolvi per quaecumque generalia indulta, aut per privilegia Cruciatae, aut per promulgationem Iubilaeorum omnino nequeant.

Hanc sententiam publicari in omnibus Ecclesiis vult, quibuslibet diebus dominicis, ut eius notitia ad occisores perveniat.

Excommunicantur, qui eos absolverint, qui scientes cum illis conversabuntur N. O.

D. Romae apud S. M. Mai. die XXIV mart. P. a. V. a. D. 1649.

CXLV.

Poenae denunciantur in interfectores Ep Nicoteriens.

CLEMENS IX ad p. r. m.

Incipit *Cum sicut, etc.* (2).

Interfectores Ioannis poenis a sacris Canonibus statutis persequitur Clemens, neque ab excommunicatione eos absolvi vult, nisi a Romano Pontifice, nullo tempore, nullo praetextu, in nullo Iubilaeo;

Vultque eorum excommunicationem publicari in Ecclesiis cum formulis statutis, etc.

Quas poenas incurrent scientes, et non manifestantes, eos recipientes, fautores, consiliarii, etc. N. O.

D. Romae apud S. Sabinam Id. febr. P. a. II. a. D. 1669.

(1) B. R. t. 6. p. 3. p. 183. C. C.

(2) B. M. t. 6. p. 277. Ib. p. 326. C. C.

CXLVI.

Episcopus Ferrariensis inquirat de interfectoribus Episcopi Nicoteriensis.

CLEMENS IX Episcopo Ferrariensi.

Incipit *Cum sicut, etc.* (1).

In sui Episcopatus sede interfectus fuerat Ioannes Episcopus Nicoteriensis.

Graviter commotus Clemens mandat praefato Episcopo, ut eo se conferat, et legalibus modis interfectores inquirat, et contra eos vi sacrorum Canonum procedat. N. O.

D. Romae apud S. M. Mai. die XX febr. P. a. II. a. D. 1669.

CXLVII

Eaedem poenae contra occisores Patriarchae Antiocheni denunciantur.

CLEMENS X ad p. r. m.

Incipit *Cum sicut, etc.* (2).

Easdem poenas relatas superius infligit Clemens iis, *qui uno, seu pluribus archibusii iaculatibus nefarie petierunt, et gravissime, lethaliterque vulnerarunt Patriarcham Antiochenum.* N. O.

D. Romae apud S. M. Mai. Non. Dec. P. a. III. a. D. 1672.

(1) B. R. t. 6. p. 6. p. 324. C. C.
(2) B. M. p. 6. vol t. 12. p. 36. - B. R. t. 7. p. 202. C. C.



DE CANONICIS.

I.

Ne permittant Canonici laicos habere domos in claustris Canonicorum.

URBANUS II Episcopo, et Canonicis Carnotensibus.

Incipit *Audivimus, etc.* (1).

Carnotenses Canonici in suis claustris quasi haereditario iure domos habere laicis permittebant; unde Clericorum quies perturbabatur.

Locabantur item intra claustra domus *ioculatoribus, alateoribus, cauponibus, mulieribus turpibus.*

Vetat fieri has locationes laicis Urbanus, eosque inde expelli iubet, vultque eas domos gratis dare Clericis, vel saecularibus vitam regularem agere volentibus.

Adduntur solitae poenae contra inobedientes.

Datum Ven. XII kal. mar. a. 1099.

II.

Eadem iussio.

URBANUS III Episcopo etc.

Incipit *Audivimus, etc.* (2).

Constitutionem eamdem et continuatuor magni Bullarii ex Dacherio t. 3. Spic. p. 550 et Carolus Coquelines tribuunt etiam Urbano III.

Datum Ven. XII kal. mar. a. 1187.

(1) B. R. t. 2. p. 107. C C.

(2) B M. p. 3. vel t 9 p 32. - B. R. t. 3. p. 1. p. 20. C. C.

III.

De Canonicis saecularibus illegitimis,
et de esu carnium die veneris in festo Natalis Domini.

HONORIUS III Episcopo Pragensi.

Incipit *Quaesivisti, etc.* (1).

Quaesivit a Pontifice Pragensis Episcopus,

I. *An Saeculares Canonici minus legitime nati suis sint renuntiare beneficiis compellendi?*

II. *An illis sit licitum, qui nec voto, nec regulari observantia sunt adstricti, carnes comedere quando in sexta feria Dominica Nativitas occurrit?*

Ad quaesitum 1. respondet Pontifex, cum de iure ii non possint promoveri ad ordines, non possunt in beneficiis remanere; nisi dispensetur super hoc illis a Pontifice. Quod si multitudo est in causa, cur sine scandalo removeri non possint, regant beneficia.

Ad qu. 2. edere posse eos carnes die illo *propter festi excellentiam: nec tamen eos reprehendendos esse, qui ob devotionem voluerint abstinere.*

D. Later. IV kal. Nov. P. a. I. a. D. 1216.

IV.

Locationes bonorum Capitulorum ne fiant ultra triennium

SIXTUS V Capitulo, et Canonicis Ecclesiae Coloniensis.

Incipit *Fide dignorum, etc.* (2).

Multa damna mensae Capitularii Coloniensi pervenerant ex longis locationibus suorum bonorum;

Cum igitur locationes bonorum ecclesiasticorum fieri non possint ultra triennium, mandat his Canonicis Sixtus, ut bona mensae Capitularis ad tres annos tantum locent. N. O.

Dat. Romae apud S. Petrum die II dec. P. a. V. a. D. 1589.

(1) Ex Rayn. ad ann. 1216. § 45

(2) B. R. t. 5 p. 1 p. 324. C. C.

V.

Canonici ne eligantur ante vacationes Canonicatuum.

ALEXANDER IV Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, etc.

Incipit *Execrabilis quorumdam, etc.* (1).

Ambitio efficiebat, ut, completo iam in Ecclesiis Cathedralibus Canonicorum numero, alii eligerentur a Legatis Apostolicis, alii a Capitulis, alii ab Ordinariis substituendi in locum eorum, qui morerentur.

Quae res Ecclesias turbabat, electis a Legatis praelationem habere volentibus, volentibus praerogativam electis vel a Capitulo, vel a Canonicis; ulterius hae praeoccupatae electiones efficiebant, ut Clerici iam certi provisionis non vacarent amplius pietati, et studio.

Ergo Alexander, ut his malis remedium afferat, decernit, *ut quatuor tantum in ipsis Ecclesiis admissi remaneant, receptiones factas penitus irritans.*

Hi quatuor remanentes sint primi recepti.

Quod si sint plures, quam quatuor recepti eodem tempore, quo maior pars Capituli eliget, illi subintrent in vacantes praebendas.

Caveant autem de caetero omnes Ordinarii, et Capitula, ne quemquam ad praebendas eligant, nisi cum illae vacaverint.

D. Neap. Non. apr. P. a. I. a. D. 1255.

VI.

Pro admissione praebendatorum in Capitula nihil exigatur.

PIUS V ad p. r. m.

Incipit *Durum nimis, etc.* (2).

Damnaverat iam Tridentina Synodus *sess.* 24. *c.* 14. pravas consuetudines Ordinariorum recipiendi aliquid pro electione, nominatione, provisione beneficiorum.

(1) B. R. t. 3 p. 2. p. 351. C. C.

(2) B. M. t. 2 p. 330. - B. R. t. 4 p. 3. p. 108. C. C.

Nunc Pius eadem decernit hic, inhibens cuicumque exigere aliquid a beneficiatis pro electione, et admissione in capitulum, cum solerent Canonici quaedam dari ob dulciaria.

Interdictum minatur capitulis ea posthac exigentibus, et singulis personis excommunicationem

In quibusdam locis mos erat, ut praebendarum fructus ultra sex menses applicarentur Sacristiae, vel Fabricae;

Vult Pontifex, ut medietas tantummodo applicetur horum fructuum, altera medietas detur praebendato. N. O.

Non idcirco tamen intendit Pius per has litteras derogare consuetudinibus, statutis quorumdam capitulorum, quae fructus tempore vacationis percipiebant, insumebantque in commoda Ecclesiarum.

Nulli ergo, etc.

Datum Romae apud S. Petrum kal. iunii P. a. V. a. D. 1570.

VII.

Declaratio Paragraphi Qui vero, *etc.*

CLEMENS VIII ad p. r. m.

Incipit *Decet Romanum, etc.* (1).

Nata erat contentio inter Canonicos Ecclesiae Cordubensis, num Concilium Tridentinum *(cap. 6. sess. 25. de Reform.* §. Qui vero*)* praeservaret Dignitates solum habentes iurisdictionem?

Episcopus interrogavit Pontificem, qui de consilio sacrae Congregationis Concilii respondit, *a Tridentino Concilio praeservari tam dignitates, quibus annexa est administratio cum iurisdictione, quam illas, quae ex consuetudine Ecclesiae pro dignitatibus habentur.*

Sicque ab omnibus iudicari vult. N. O.

D. Romae apud S. Petrum die XXI apr. P. a. VI. a. D. 1597.

(1) B. R. t. 5. p. 2. p. 152. C. C.

VIII.

In Metropolitanis,
et Cathedralibus Ecclesiis sint Magistri Theologiae.

HONORIUS III Patriarchae Gradensi, et Suffraganeis eius.

Incipit *Super speculam, etc.* (1).

Ut studium verae Theologiae ampliaretur, captarenturque animi eius amore, decreverat Concil. III. a. 1215.

Ut statuerentur per singulas Metropoles, et Cathedrales Magistri Theologi.

Quaedam enim occurrunt ecclesiasticae causae, quae iure Imperiali decidi nequeunt, sed opus est iure canonico, et theologia ad eas dijudicandas.

Ut hoc decretum observet in sua Dioecesi, observarique faciat ab Episcopis suis suffraganeis mandat Honorius Patriarchae Gradensi.

D. Viterbii XII kal. dec. P. a. IV. a. D. 1219.

IX.

Nuncius Apostolicus Venetiis iubetur
primam praebendam vacantem in singulis Cathedralibus assignare
in erectionem Theologalis Canonicatus.

PIUS V Nuncio A. apud Dominium Venetum.

Incipit *Cupientes pro nostri, etc.* (2).

Volens Pius executioni demandari decretum Tridentini Concilii iubentis, in Cathedralibus erigi Canonicatum Theologalem, mandat Nuntio suo apud Venetos,

(1) Ex Flam. Corn. de Eccl. V. D. 4. p. 96

(2) B. R. t. 4. p 3. p. 2'6. C. C.

Ut Ordinarios admoneat, de hac erectione, eosque puniat, si non paruerint, et primam praebendam canonicalem vacantem, modo non sit annexa dignitatibus, in singulis Cathedralibus reservet dandam illi Canonico, qui futurus sit Theologalis;

Quae praebenda semper canonicatus huiusmodi sit propria.

Irritat quidquid contra has litteras factum fuerit. N. O.

D. Romae apud S. Petrum die V mar. P. a. III. a. D. 1569.

X.

Idem iubetur et pro erectione Canonicatus Poenitentialis.

BENEDICTUS XIII ad p. r. m.

Incipit *Pastoralis officii*, *etc.* (1).

Cap. 1. *sess.* 5. Concilium Tridentinum mandavit omnibus Ordinariis, ut ex aliquibus praebendis, si haberent, in suis Cathedralibus erigerent duos Canonicatus, ut unus possideretur ab aliquo Canonico, qui esset Poenitentiarius, alter a Canonico, qui statutis diebus sacram Scripturam explicaret: si has praebendas non haberent, primos vacantes canonicatus distribuerent cum his oneribus.

Cum in aliquibus Cathedralibus vel neuter, vel unus tantum erectus esset canonicatus, omnibus Italiae, Insularumque adiacentium Episcopis Benedictus mandat,

Ut eos, vel eum erigant, et primas praebendas reservent pro his canonicatibus.

Canonicus autem Theologalis debet esse doctor in sacra Theologia, vel si non est, infra annum debet promoveri;

Deturque hic canonicatus per concursum, sicut dantur paroeciae.

Si electio spectet ad Pontificem, concurrentium responsa mittantur Romam.

Praebendae autem fructus dentur Episcopo, qui eos Theologali Canonico det vel integros, vel dimidiatos, si ille in habendis, statutis diebus, lectionibus fuerit vel diligens, vel negligens;

(1) B. M. p. 7. vel. I. 13. p. 167. - B. R. t. 11. p. 2. p. 414. C. C.

Quod si summa praebendae non ascendit ad scuta sexaginta monetae Romanae, tunc Ordinarius illi annectet aliquod beneficium simplex quocumque mense vacaturum.

Idem servetur in erectione Canonicatus Poenitentiarii. N. O. *Nulli ergo, etc.*

Datum Romae apud S. Petrum kal. iunii P. a. I. a. D. 1725.

XI.

Vacationes trium mensium dantur Canonicis.

SIXTUS V Decanis, Archidiaconis, Scholasticis, Canonicis Mexicanis, et aliarum Ecclesiarum novae Hispaniae.

Incipit *Exponi nobis, etc.* (1).

In Synodo provinciali Mexicana fuerat statutum, ut beneficiati quarumcumque Ecclesiarum in Mexicana, et aliis novae Hispaniae Ecclesiis non possent a residentia abesse, quam per duos menses.

Quod cum sit oppositum decreto Tridentini Concilii hanc exemptionem Clero per tres menses concedentis, supplicatum fuit Sixto, ut decretum Mexicanae Synodi aboleret.

Abolet illud Sixtus, permittitque, eos beneficiatos Cathedralium, et Collegiatarum abesse posse a choro per tres menses, modo causae sint iustae, et legitimae. N. O.

D. Romae apud S. Petrum prid. kal. nov. P. a. V. a. D. 1589.

XII.

Sede Episcopali vacante, unus tantum Vicarius capitularis eligi debet.

URBANUS VIII ad p. r. m.

Incipit *Exponi nobis, etc.* (2).

Mortuo Archiepiscopo Limano, capitulum elegit duos vicarios capitulares, unum, qui curaret negotia dioecesis, alterum, qui audiret lites appellationum.

(1) B. R. t. 5. p. 1. p. 79. C. C.
(2) B. R. t. 5. p. 3. p. 353. C. C.

Ad sacram concilii congregationem Episcopus de Areqnippa suffraganeus Ecclesiae Limanae hoc retulit, simulque haec duo proposuit dubia,

I. An capitulum possit eligere duos vicarios capitulares?

II. An cum multi adsint canonici in iure graduati, capitulum possit eligere doctorem in theologia?

Congregatio respondit

Ad 1. Unum tantum debere eligi:

Ad 2. Et quidem doctorem in iure canonico.

Urbanus haec responsa et confirmat, et observari praecipit. N. O.

D. Romae apud S. M. Mai. die VIII aug. P. a. III. a. D. 1625.

XIII.

Nuncius Apost. in regno Neapolis vetet,
Vicarios capitulares dare litteras dimissoriales clericis.

CLEMENS XI Epistola.

Incipit *La Santità, ecc.* (1).

Iubetur nuncius in regno Neapolitano inhibere vicariis capitularibus dare litteras dimissoriales clericis, etiamsi annus unus praeterierit a die vacationis Ecclesiae, sine speciali licentia congregationis super Episcopis et regularibus.

Causa non redditur.

D. Romae die IX sept. a. D. 1701.

XIV.

Eadem iussio.

CLEMENS XI Epistola.

Incipit *Con lettera, ecc.* (2).

Quia a tempore missionis primae epistolae vacaverant aliae Ecclesiae, iubetur Nuncius electis vicariis capitularibus eamdem inhibitionem facere.

Imo neque Vicarii apostolici possint huiusmodi dimissoriales dare.

D. Romae die V maii. a. D. 1702.

(1) B. M. t. 8 p. 108 — (2) Ibid.

XV.

Confirmatio decretorum sacrae Congregationis rituum super associatione Episcopi facienda a canonicis.

CLEMENS VIII ad p. r. m.

Incipit *Pontificis auctoritas, etc.* (1).

Episcopus et canonici Oxomonses *ad tollendas omnes lites* supplicarunt sacrae rituum Congregationi, ut responderet ad quaedam quaesita, quibus Congregatio respondit: versantur ea circa associationem Episcopi faciendam a canonicis in accessu ad Ecclesiam.

Episcopus debet significare capitulo, se accessurum ad Ecclesiam, eo tempore ante, quo possit capitulum se accingi ad eum accipiendum. Episcopus eligat opportunam horam post primam.

Canonici debent ei obviam procedere ad cubiculum, et ad Ecclesiam deducere, quo ubi advonerit Praesul,

Tertia inchoëtur; missa finita deducatur a capitulo, undo discessit Episcopus.

Haec decreta confirmat Urbanus, eorumque praecipit executionem. N. O.

D. Romae apud s. Petrum die XIII febr. P. a. II. a. D. 1593.

XVI.

Solutio quorumdam dubiorum propositorum ab Episcopo Egitaniensi circa iura Ordinariorum et Capitulorum.

CLEMENS VIII ad p. r. m.

Incipit *Decet Romanum, etc.* (1).

Cum per quadraginta et amplius annos Episcopi Egitanienses non resedissent in sua Ecclesia, sed alii vixeriut in aula regis Portugalliae,

(1) B. R. t. 5. p. 1. p. 424. C. C.

(2) B. R. t 5. p. 3. p. 6. C. C.

alii in alma Curia, abusus plurimi in Ecclesiam, et dioecesim irrepserant, quos ut eliminet recens electus Episcopus, quaedam dubia congregationi proposuit, quae et solvit. Ea versantur circa limites iurium Ordinarii, et Capituli.

D. I. An Episcopus absentiam canonicorum a suis Ecclesiis possit reducere ad terminos iussos a concilio Tridentino?

Responsio. Potest, et debet.

D. II. An tempore vacationis possint omnes canonici simul ab Ecclesia abesse, an alii post alios debeant sibi vacationes eligere?

R. Alii post alios, ne Ecclesia fraudetur servitio debito.

D. III. An canonici legitime non impediti debeant per se, non substitutos, oneribus et officiis canonicalibus satisfacere?

R. Per se debent.

D. IV. An canonici debeant alte canere?

R. Episcopus illos ad hoc hortetur.

D. V. An possit canonicus, dum praedicatur, dum canitur missa solemnis, causa celebrandi abesse a choro, et percipere quotidianas distributiones?

R. Potest, nec debet amittere distributiones.

D. VI. An canonicus deputatus fabricae, ideo possit per annum integrum ab Ecclesia abesse?

R. Debet assistere Ecclesiae; si non assistat, amittat distributiones.

D. VII. An pueri intervenientes choro debeant habere primam tonsuram saltem?

R. Decet.

D. VIII. An canonici teneantur associare Episcopum euntem in cathedralem ad facienda divina?

R. Tenentur, *dummodo distantia brevis sit.*

D. IX. An Episcopus celebraturus pontificaliter in aliis Ecclesiis possit cogere canonicos quosdam ad assistentiam?

R. Potest.

D. X. Cum non possit Episcopus ire, et mittat ad capitulum Vicarium suum, quem locum habebit Vicarius?

R. Super omnes capitulares, etiam in processionibus, modo canonici non parati sacris vestibus sint.

D. XI. Episcopus potestne vetare, ne a noviter proviso de canonicatu, beneficio, capellania, canonici quicquam exigant?

R. Si quod exigitur, cadit de more in utilitatem Ecclesiae, vel sacristiae, non potest; si in emolumentum canonicorum, potest;

D. XII. An Episcopus possit cogere vexilla laicorum, et ministros saeculares, confuse in processionibus incedentes, ad eundum ordinate?

R. Non potest cogere, sed hortari.

Alia enim dubia proposuit, scilicet:

D. 1. Num Episcopus possit efformare statuta, quomodo inserviendum sit Ecclesiae, quae pars distributionum sit detrahenda canonicis non intervenientibus choro pro hac, pro illa hora?

R. Satis iam providit Tridentinum Concilium *c.* 15. *sess.* 24. possit tamen Episcopus cum capitulo haec statuta condere.

D. 2. More receptum erat in hac Ecclesia, ut qui per annos quadraginta inservisset Ecclesiae, reliquo tempore vitae suae perciperet fructus, quin inserviret. Si hoc admittatur, futurum erit, ut Ecclesia destituatur servitio, quid agendum?

R. Nihil innovandum; cum casus occurret, consulatur sacra congregatio.

D. 3. Episcopus quidam Egitaniensis capellaniam reliquit, quam administraret capellanus unus, capitulum eam divisit, duo inserviunt, inscio Episcopo, inconsulta s. Sede, quid faciendum?

R. Omnia sunt redigenda in pristinam formam.

D. 4. Num sint prohibendi canonici, ne congregationes capitulares habeant, dum horae cantantur, et missa conventualis celebratur?

R. Prohibendi sunt iuxta declarationem factam a sacra congregatione die 17 nov. a. 1600.

D. 5. An per censuras Episcopus cogere possit, ut damnati ad exilium in loca exilii eant?

R. Non expedit, facere aliud Episcopum, quam quod a Concilio Tridentino statutum est.

Alia etiam quatuor proposuit dubia, nempe

D. A. In hac Ecclesia triginta sunt praebendae, et septem dignitates; harum praebendarum cuiusque valor ascendit ad summam quingentorum ducatorum monetae Portugalliae; fructus maiores consistunt in distributionibus quotidianis. Iam canonici statuerunt detractiones distributionum pro qualibet hora ita exiguas, ut nemo curet earum amissionem, quid agendum?

D. B. Thesaurarius habet ad duo millia ducatorum cum onere tenendi duos, aut tres pueros ad servitium Ecclesiae, et sacristam. Nihil horum facit, quid agendum?

D. C. Pars tertia, quae detrahitur ab his canonicis, qui non interveniunt officiis debetne dari etiam iis, qui per tempus sibi concessum ab Ecclesia abfuerunt?

D. D. Cum invaluerit mos, ut Episcopus in visitatione crimina cognoscens inhiberetur ulterius progredi; denunciatus tamquam suspectus, ac proinde essent impunita crimina, quid faciendum?

Dubia solvit Clemens ita,

A. Debere Episcopum separare, quae pertinent ad praebendas, quaeque ad distributiones. Ita Tridentinum Concilium *c.* 3. *sess.* 21.

B. Thesaurarium cogendum ab Episcopo, ut munera sua adimpleat;

C. Distributiones quotidianas detractas a non servientibus distribuendas esse inter praesentes.

D. Episcopum in visitatione non posse ut suspectum haberi, nec recusari.

Episcopus haec exequi faciat.

Dat. Romae apud s. Petrum die XXI maji. P. a. XII. a. D. 1603.

XVII.

Aliorum dubiorum de praesenti materia solutio.

CLEMENS VIII ad p. r. m.

Incipit *Decet Romanum, etc.* (1).

Proposuit rursus alia dubia idem Antistes.

D. I. In oppido de Abrantes duae sunt parochiales Ecclesiae, utriusque Ecclesiae rectores praetendebant Ecclesiam suam visitari primam; quid iuris ?

R. Episcopus potest, vel hanc, vel illam paroeciam ad libitum visitare primam;

D. II. In quibusdam locis rectores Ecclesiarum solebant dare vinum, hostias, paramenta sacerdotibus ibi celebrantibus, postea recusarunt, quid agendum ?

R. Episcopus hortari potest, non cogere hos rectores, ut ea subministrent;

D. III. In Ecclesiis parochialibus oppidi de Castello Bianco duo tabernacula erant super altaria, et de iis rumores fiebant, potestne Episcopus ea tollere ?

R. Potest in generali visitatione, *vel prout melius sibi videbitur.*

D. IV. An possit vetare Episcopus, ne Commendator eius Castelli, et praefectus oppidi de Abrantes faciant portare sedes ad altare maius, ibique sedeant cum scandalo populi?

R. Potest praecipue, si hae sedes locentur in presbyterio.

D. V. An pro statuendis legibus synodalibus Episcopus ob aëris inclementiam alio migrans possit ad se advocare duos capitulares, procuratores capituli, et duos alios procuratores cleri, et apud se retinere ?

R. Potest ad sex menses tantum retinere.

Demum proposuit haec quoque dubia.

(1) Ib. p. 9. C. C.

D. I. In oppido de Abrantes hic mos erat, ut qui transiret in aliquam domum, et ibi portam, et caminum mutaret, censeretur mutasse parochiam:

Hinc lites inter parochos super decimis. Quid agendum ab Episcopo?

R. Haec mutatio parochiae notificetur Episcopo.

D. II. Dioecesis Egitaniensis cum sit ampla, soleatque visitari quotannis, nec Episcopus totam possit, per presbyteros obligatos residentiae vellet eam visitari, an possit per sex menses eos retinere procul ab eorum Ecclesiis?

R. Retineat per tres menses.

D. III. Magistratus Egitanienses solebant quotannis visitare Ecclesiam S. Mariae de Acores ex testamento cuiusdam mulieris, quae propterea illis reliquit praedia: iam sunt aliquot anni, cum magistratus Ecclesiam non visitabant, Episcopus non potest eos cogere ad visitationem?

R. Debet eos monere.

D. IV. Regulares, non vocatis parochis, nec illis data tertia parte funerum, deferebant ad suas Ecclesias cadavera, parochi autem confugiebant ad Episcopum, qui quid aget?

R. Cogat regulares ad invitandos parochos, dandamque illis tertiam funerum partem. N. O.

D. Romae apud s. Petrum die XXIV maji P. a. XII. a. D. 1603.

XVIII.

Propositio dubiorum circa iurisdictionem Episcopalem et Capitularem, eorumque solutio.

URBANUS VIII ad p. r. m.

Incipit *Cum sicut, etc.* (1).

Sex dubia Episcopus Atrabatensis proposuit congregationi super concilio, quae divisa sunt in totidem constitutiones: nos sub unica

(1) B. R. t. 5 p. 5. p. 188 C. C.

comprehensa illa volumus: respiciunt iurisdictionem Episcopalem laesam a capitulo.

Bulla I. Dubium I. *Ad quem spectet cognitio causarum criminalium civitatis, et dioecesis Atrabatensis? ad Episcopum, an ad capitulum, an ad utrumque simul?*

Respondit congregatio ad solum Episcopum, quibuscumque capituli privilegiis non obstantibus. *Quod si ius ab immemorabili competat capitulo, consuetudinem non esse sublatam a Concilii Tridentini decreto c. 20. sess. 24. sed donec capitulum per tres sententias conformes eam probet, cognitionem spectare ad Episcopum.*

Bulla II. D. 2. Num Episcopo, an capitulo competat approbare confessarios, et regulares ad praedicandum extra Ecclesias suorum ordinum?

R. Soli Episcopo hoc ius competit.

Bulla III. D. 3. An Decanus, et capitulum possint sibi casus reservare, absolvere a casibus reservatis ab Episcopo, inscio Episcopo, dare dimissoriales?

R. Non possunt.

Bulla IV. D. 4. Indulgentiae in cathedrali vel extra num sint publicandae ab Episcopo, an a capitulo?

R. Sunt publicandae ab Episcopo cum duobus de capitulo.

Bulla V. D. 5. Num capitulum possit instituere convocationem synodi Atrabatensis, et concursus beneficiorum, etiam de iurepatronatus?

R. Ad solum Episcopum utrumque spectat.

Bulla VI. D. 6. An capitulum possit exercere nundinas, mercatus, strepitus iudiciorum in Ecclesia, et coemeteriis?

R. Non potest.

Urbanus haec omnia responsa confirmat, iubetque eorum executionem, facultatemque dat Episcopo inobedientes per censuras coërcendi. N. O.

Nulli ergo, etc.

D. Romae apud s. Petrum die XXX ian. P. a. I. a. D. 1624.

XIX.

Confirmatio quorumdam responsorum ad dubia proposita quoad canonicos.

ALEXANDER VII ad p. r. m.

Incipit *Alias emanarunt, etc.* (1).

Confirmat Alexander tria responsa ad tria dubia proposita sacrae rituum congregationi ab Episcopo Seguntino.

D. I. Num feria qoiota maioris hebdomadae possit Episcopus cogere canonicos, et ministrantes in benedictione oleorum ad sumendam ss. Eucharistiam e suis manibus ?

Respondit Congregatio, eos posse ab Episcopo cogi.

D. II. Num infra tempus paschale diebus feriatis possint canonici omittere recitationem officii parvi Beatae Mariae ?

R. Servandam esse Pii V constitutionem.

D. III. Au symbolum in Missarum solemniis *modulari possit sub organo?*

R. Cantandum esse totum.

D. Romae apud S. M. Maj. die VIII dec. P. a. III. a. D. 1657.

XX.

Solutio dubiorum propositorum ab Episcopo Dertusensi.

CLEMENS XIII – Decretum.

Incipit *Postquam Reverendissimus, etc.* (2).

Abusus plures, quos suum Capitulum defendere volebat, Dertusensis Episcopus sacrae congregationi proposuit.

D. I. An dignitates, et canonici omnes, exceptis cauonicis celebrante, diacono, et subdiacono, teneantur associare Episcopum cappa indutum pedibus ad Ecclesiam accedeotem divinis officiis interfuturum, et reducere?

Responsio: affirmative ad partem utramque.

(1) B. R. t 6. p. 4. p 209. C. C.
(2) *In folio separato.*

D. II. An venientem curru vel sella portatili ad Ecclesiam, teneatur Capitulum occurrere extra portam cathedralis, eumque in chorum deducere ad sedem, et reducere ad cathedralis ianuam?

R. Tenetur occurrere usque ad locum, ubi Episcopus induit cappam.

D. III. An et dignitates, et canonici debeant associare Episcopum accedentem ad Ecclesiam, seu ab illa recedentem aliqua hora canonica incepta, sed non completa, et a quo, et ad quem locum?

R. Comitantes sint quatuor, quoad locum provisum in superioribus.

D. IV. An feria V in çoena Domini, aliisque diebus, quibus Episcopus pontificaliter celebrat, omnes et dignitates et canonici debeant se conferre ad eius cubiculum, ut eum adducant ad Ecclesiam, et deducant?

R. Affirmative.

D. V. An Episcopus pontificaliter celebrans debeat habere baldachinum supra sedem episcopalem, et ea sedes an collocari debeat in cornu evangelii, an epistolae?

R. Affirmative quoad primam partem, quoad secundam sedes est collocanda e regione altaris, seu in cornu evangelii.

D. VI. An Episcopo celebranti pontificaliter debeat poni genuflectorium, an solum pulvinar?

R. Faldistorium est ponendum.

D. VII. An Episcopo celebrante pontificaliter debeat in altari septimum candelabrum poni, et cuius sumptibus?

R. Affirmative ad partem primam, et sumptibus eorum, qui ad caeteras missae pontificalis partes tenentur.

D. VIII. An feria V in coena Domini Episcopus duodecim canonicorum pedes lavans iuxta eius Ecclesiae morem debeat habere assistentiam duarum dignitatum, et aliam assistentiam diaconi, et subdiaconi?

R. Affirmative ad formam caeremonialis.

D. IX. An Episcopum in cathedrali confirmationis sacramentum aut ordines collaturum debeant saltem duae dignitates, seu canonici in habitu chorali excipere, aspersorium porrigere, eique haec sacramenta ministranti assistere?

R. Affirmative in omnibus.

D. X. An, et quot dignitates, et caoonici debeant Episcopo adsistere, quaudo missam pontificalem celebrat, vel alia officia pontificalia exercet in aliqua parochiali, vel conventuali civitatis?

D. XI. Au, et quot dignitates, et canonici debeant Episcopo assistere, quaodo hic publice diviois officiis interest in aliqua Ecclesia parochiali, vel conveotuali eiusdem civitatis?

R. Affirmative ad utrumque dubium, ita tamen, ut Ecclesia cathedralis debito non fraudetur officio.

D. XII. Ad utrum privative spectet, Episcopumne de coosilio capituli, ao capitulum iotimare processiooes, designare vias, per quas incedendum sine consensu Episcopi?

R. Dubium non fuit propositum.

D. XIII. An gubernatori, et decurionibus urbis locum habentibus in presbyterio a canonico celebrante, diacono, et subdiacono aote initium, et post finem missae, tam praesente Episcopo quam absente, habenda sit reverentia?

R. Negative in omnibus.

D. XIV. Ao et quibus poenis Episcopus possit compellere dignitates, et canonicos ad praestanda obsequia, quae iuxta s. coogregationis decisiooes sibi debita videbuntur?

R. Affirmative, iuris remediis.

Haec responsa servanda eruot. — Die VI aug. a. 1763.

XXI.

Rata habetur concordia inter Episcopum Celsonensem et capitulum super coniudicibus.

URBANUS VIII ad f. r. m.

Incipit *Exponi nobis, etc.* (1).

Disputationes graves inter Episcopum, et Capitulum huius Ecclesiae super iurisdictione criminali hac concordia (cuius integrum affertur instrumeotum) fuere compositae:

(1) B R t. 6. p. 2. p. 394. C. C.

Ut initio cuiuslibet anni fiat electio a Capitulo duorum adiunctorum, seu coniudicum, qui simul cum Episcopo cognoscant de criminibus clericorum Ecclesiae cathedralis;

Circa capturam canonicorum, et beneficiatorum Ecclesiae, et processus criminales servet Episcopus decreta Tridentini Concilii.

Petita a partibus pontificia confirmatio additur concordiae. N. O.

D. Romae apud S. M. Mai. die VII sept. P. a. XXI. a. D. 1643.

XXII.

Solutio quorumdam dubiorum propositorum a Capitulo Ecclesiae Conchensis.

INNOCENTIUS X ad f. r. m.

Incipit *Exponi nobis, etc.* (1).

Ad dirimendas controversias inter Episcopum Conchensem, et canonicos haec fuere proposita dubia sacrae congregationi concilii.

I. An Episcopus debeat adhibere adiunctos coniudices contra canonicos suae Ecclesiae in revisione computorum, administratione operum piorum, etc.?

II. An Episcopus, vel alius ab eo delegatus in visitatione cathedralis debeat adhibere canonicos adiunctos electos quotannis a capitulo?

III. An dirempto crimine inveteratae continentiae inter capitularem, et mulierem liberam, possit Episcopus in mulierem procedere sine adiunctis?

IV. An dissentientibus inter se Episcopo, et adiunctis electis a Capitulo alius tertius de capitularibus sit assumendus?

Respondit sacra Congregatio.

Ad I. Posse Episcopum ea omnia peragere sine adiunctis;

Ad II. Posse visitare suam Ecclesiam sine adiunctis;

(1) B. R. t. 6. p. 3. p. 165. C. C.

Ad III. In actu visitationis sine adiunctis posse Episcopum in mulierem procedere.

Ad IV. Eligendum esse tertium capitularem.

Pontifex rogatus, quo firmiora sint responsa, ea confirmare, his litteris illa confirmat. N. O.

D. Romae apud S. M. Mai. die V aug. P. a. IV. a. D. 1648.

XXIII.

Confirmantur quaedam decreta de auctoritate Episcopi super coadiutores.

URBANUS VIII ad f. r. m.

Incipit *Cum sicut, etc.* (1).

Ita resolvit congregatio concilii haec dubia proposita solvenda;

I. An Episcopus solus sine adiunctis possit procedere contra coadiutores canonicorum?

II. An si solus procedat, possit a capitularibus adiunctis impediri monitionibus?

III. An Episcopus respuens has admonitiones possit mulctari a Capitulo?

I. Episcopum posse, nisi coadiutori data sint canonicorum privilegia;

II. Eum non posse impediri,

III. Eum non posse mulctari.

Urbanus solutiones confirmat.

D. Romae apud S. M. Mai. die IX iunii P. a. XVII. a. D. 1640.

» Die XXIII sept. an. 1796. in consilio Rogatorum statutum fuit, » ut capitula quae documenta huius consuetudinis exercitae retroactis » temporibus ostendere possent, eligerent ad canonicatus, et ad dignitates etiam iis octo mensibus, quos sibi romana cancellaria reser» varat, salva semper confirmatione Dioecesani, ad quem aliis quatuor » mensibus spectat electio, nisi Episcopus contra capitulum documenta » habeat, capitulum nunquam elegisse.

(1) Ib. p. 238. C. C.

DE PAROCHIS.



I.

Exemptiones Regularium in regno Granatae a solutione decimarum rediguntur ad terminos iuris.

PAULUS V ad p. r. m.

Incipit *Decet Romanum, etc.* (1).

Ferdinando, et Elisabethae Hispaniarum regibus eo quod expulerant e regno Granatensi Mauros ius patronatus praesentandi ad omnes Ecclesias illius regni dederant Pontifices, et Paulus III hoc privilegium confirmavit Carolo V. – Affertur integra constitutio eiusdem Pauli.

Ut autem regulares ibi monasteria exstruerent, et a regibus, et a Pontificibus plurimae datae fuerant exemptiones, inter has exemptio a persolvendis decimis Ecclesiis parochialibus.

Sed cum ditissima monasteria facta fuissent, cumque emissent ea praedia, quae decimam solvebant, neque ab iis possessa iuxta antiqua privilegia solverent eam amplius, dici non potest quantum detrimenti hinc parochiales Ecclesiae patiebantur.

Supplicarunt itaque parochi Pontifici, ut suae indigentiae provideret, qui decernit,

Ut etiam regulares solvant taxas, et decimas Ecclesiis parochialibus. Ita Paulus III.

Cum pedetentim sese subtraherent ab hac solutione regulares, confugerunt parochi ad Paulum V orantes, ut antecessoris Pauli constitutionem confirmaret; aequum enim esse, si colonis bonorum regularium parochi administrant sacramenta, infirmisque assistunt, aliquam ob haec incommoda se mercedem ab iis percipere.

Paulus decretum Pauli confirmat, et observari mandat, omnesque illius regni Ordinarios deputat executores. N. O.

Dat. Romae apud s. Petrum die XV nov. P. a. V. a. D. 1609.

(1) B. R. t. 5. p. 3. p. 381. C. C.

II.

Idem praecipitur Regularibus regni Poloniae.

INNOCENTIUS X ad p. r. m.

Incipit *Nuper pro parte, etc.* (1).

Renuentes regulares, et praecipue societatis Iesu presbyteri solvere decimas rectoribus Ecclesiarum parochialium in regno Poloniae, admoniti ab Episcopis saepe frustra, hos compulerunt, ut causam parochorum deferrent ad congregationem super Episcopis, et regularibus.

Quae regularium privilegiis serio examinatis, discussisque censuit, eos debere decimas solvere.

Haec sententia emanavit an. 1645.

Quam confirmat Innocentius, mandans Nuncio suo ibidem, ut eam observari faciat. N. O.

D. Romae apud s. Petrum die XXI dec. P. a. II. a. D. 1646.

III.

Iubentur Ordinarii in Indiis vetare, ne Parochi plus exigant ad sepelienda cadavera in Ecclesiis Regularium, quam in suis.

CLEMENS VIII ad p. r. m.

Incipit *Perlatum est, etc.* (2).

Audierat Clemens, parochos in Indiis occidentalibus plus exigere ob sepelienda cadavera in Ecclesiis regularibus.

Ex quo fiebat, ut pauci admodum ad evitandas expensas ibi sepelirentur, et Ecclesiae regularium carerent utilitate hac non mediocri.

Mandat itaque Clemens Ordinariis, ut iubeant parochis, ut exigant eamdem eleemosynam pro sepeliendis cadaveribus in Ecclesiis regularium, ac si sepelirentur in parochialibus.

Inobedientes per censuras coërceant. N, O.

D. Romae apud s. Petrum die XXVII nov. P. a. XII. a. D. 1603.

(1) B. M. t. 5. p. 525. - B. R. t. 6. p. 5. p. 79. C. C.

(2) B. R. t. 5. p. 3. p. 57. C. C.

IV.

In idem argumentum pro fratribus MM. de observantia s. Francisci.

CLEMENS VIII ad p. r. m.

Incipit *Expositum nobis, etc.* (1).

Vicecommissarii, et provincialium ord. FF. MM. de observantia s. Francisci in Indiis occidentalibus questus de hac re delati fuerunt ad Pontificem,

Qui praecipit parochis, ut pro cadaveribus sepeliendis in Ecclesiis horum fratrum plus non exigant, quam si defuncti sepelirentur in suis parochialibus.

Censuras minatur secus facientibus. N. O.

D. Romae apud s. Petrum V kal. febr. P. a. XII. a. D. 1604.

V.

Confirmatio.

PAULUS V ad p. r. m.

Incipit *Expositum nobis, etc.* (2).

Clementis bullam pro fratribus MM. s. Francisci Paulus habet ratam. N. O.

D. Romae apud s. Petrum die VI iunii P. a. I. a. D. 1605.

VI.

Idem iubetur pro FF. eremitis s. Augustini.

PAULUS V ad p. r. m.

Incipit *Expositum nobis, etc.* (3).

Etiam fratres eremitani ordinis s. Augustini questi de hac parochorum iniuria sunt apud Paulum,

Qui decernit eadem, quae Clemens pro minoritis statuerat. N. O.

D. Romae apud s. Petrum die VI febr. P. a. II. a. D. 1607.

(1) B. M. t. 3. p. 160. Ib. p. 38. C. C.
(2) Ib. p. 138. C. C.
(3) B. M. t. 3. p. 247. Ib. p. 248. C. C.

VII.

Alii abusus corriguntur in Indiis in hoc genere.

PAULUS V ad p. r. m.

Incipit *Expositum nobis, etc.* (1).

Praeter querelam in proxima praecedenti constitutione allatam iidem in Indiis fratres questi sunt apud Paulum, velle parochos medietatem eleemosynarum missarum celebrandarum pro defunctis in Ecclesiis ordinis sepeliendis;

Ulterius quot fratres comitabantur cadaver ad sepulturam, fratrum tot clericos assumi volebant parochi.

Insuper per fas, per nefas persuadebant morientibus, vellent sepeliri apud fratres.

Haec omnia vult tolli Paulus, et poenam excommunicationis minatur iis, qui in aliquo horum contrafecerint, vultque de eleemosynis servari, quod statuit Tridentinum Concilium *sess.* 25. *c.* 3. de sepulturis. N. O.

Nulli ergo, etc.

D. Romae apud s. Marcum die XXV iunii P. a. IV. a. D. 1608.

VIII.

Confirmatio.

URBANUS VIII ad p. r. m.

Incipit *Alias felicis, etc.* (2).

Inquisitoribus haereticae pravitatis in Indiis orientalibus, et occidentalibus significat Urbanus quid decreverit Paulus V de eleemosynis pro sepeliendis, etc.

Et iis praecipit, ut parochos saeculares, molestantes in hoc regulares, excommunicent, et coërceant etiam per brachium saeculare. N. O.

D. Romae apud S. Petrum XII kal. apr. P. a. II. a. D. 1624.

(1) Ib. p. 268. Ib. p. 322.

(2) B. M. t. 4 p. 57.

IX.

Confirmatio decreti sacrae Congregationis in hac re.

URBANUS VIII ad p. r. m.

Incipit *Nuper pro parte, etc.* (1).

Procuratores ordinum Mendicantium detulerunt ad sacram Rituum Congregationem, impediri fratres a Parochis saecularibus, quin comitentur cadavera defunctorum laicorum ire volentium ad sepulturam Regularium, et impediri haeredes, quin dent Missas relictas a defunctis Ecclesiis Regularium. Quid iuris?

Respondit sacra Congregatio, Curatos haec non posse impedire.

Quod congregationis decretum confirmat Urbanus, excommunicans, interdicens, suspendensque curatos, si id alias attentaverint. N. O.

D. Romae apud S. M. Mai. die XXV Iunii. P. a. X. a. D. 1633.

X.

Provideant Ordinarii,
ne parochi plus exigant pro sepeliendis apud Regulares.

URBANUS VIII ad p. r. m.

Incipit *Cum sicut, etc.* (2).

Ex Indiis malus mos exigendi plus pro sepeliendis in Ecclesiis regularium, quam pro tumulandis in parochialibus migraverat in Europam.

Qua de re graviter procuratores ordinum questi sunt apud Pontificem, qui praecipit Ordinariis,

Ut provideant, ut curati petant idem, sive aliquis sit sepeliendus in Ecclesiis regularium, sive in parochialibus; refraenentque inobedientes. N. O.

D. Romae apud S. Petrum die XI mar. P. a. XV. a. D. 1638.

(1) B. M. t. 5. p. 250.

(2) Ib. p. 303. - B. R. t. 6. p. 2. p. 134. C. C.

XI.

Confirmatio duorum Decretorum.

CLEMENS X ad p. r. m.

Incipit *Alias pro parte, etc.* (1).

Ad instantiam procuratoris Generalis ord. FF. MM. de observantia duo sacrae Congregationis Rituum decreta in favorem horum fratrum confirmat Clemens;

Unum de an. 1640, die 7 dec. quo iniungebat Episcopo Brundusino, ne permitteret, Parochos plus petere ob tumulanda cadavera in Ecclesiis horum fratrum quam in suis, nec possent cogere haeredes ad dandas sibi eleemosynas Missarum, non fratribus;

Alterum emanatum die 31 aug. a. 1657, quo inhibebantur Parochi functiones funebres facere super cadaveribus in Ecclesiis horum fratrum ibidem humandis.

Horum decretorum observantiam quibuscumque Parochis iniungit sub poenis, etc. N. O.

D. Romae apud S. M. Mai. die XVIII ianu. P. a. II. a. D. 1672.

XII.

Vis horum decretorum extenditur ad cadavera sepelienda in Ecclesiis Patrum S. J.

CLEMENS X ad p. r. m.

Incipit *Nuper nobis, etc.* (2).

Procurator presbyterorum S. J. questus fuit apud Pontificem in Indiis et in Hispaniis Parochos non observare ea, quae iam statuta fuerant observanda a sacra Congregatione super cadaveribus sepeliendis in Ecclesiis Regularium.

(1) B. M. t. 6. p. 382. - B. R. t. 7. p. 162. C. C.

(2) B. M. p. 5. vel t. 11. p. 25. Ib. p. 178. C. C.

Pontifex iterum confirmat Congregationis decreta, et mandat, illa observari debere a Parochis etiam cum cadavera sunt tumulanda in Ecclesiis Societatis. N. O.

D. Romae apud S. Mai. die III aug. P. a. III. a. D. 1672.

XIII.

Clerus saecularis Castellae,
et Legionis servet antiquum morem circa cadavera, etc.

CLEMENS X ad p. r. m.

Incipit *Emanavit nuper, etc.* (1).

Contra proxime praecedentem constitutionem reclamavit clerus saecularis regnorum Castellae, et Legionis, asserens eam subreptitie fuisse carptam, eo quod anteriores conventiones erant inter eumdem clerum, et regulares confirmatae a sacra Congregatione, et ab Alexandro VII approbatae, quae silentio a Procuratoribus FF. MM. de observantia, et Patrum Societatis fuerant praetermissae; quas si illi manifestassent, praedictam constitutionem non obtinuissent.

His visis, congregatio eadem censuit, clerum saecularem illorum regnorum illis congregationis decretis supra recensitis non subiacere.

Rogatus Clemens hanc Congregationis sententiam confirmat ad instantiam Cleri saecularis. N. O.

D. Romae apud S. M. Mai. die VI sept. P. a. IV. a. D. 1637.

XIV.

In insula Maioricensi Mendicantes, et non Mendicantes ordines deferant cadavera ad suas Ecclesias cum Cruce elata.

PIUS V ad p. r. m.

Incipit *Ea quae, etc.* (2).

Fratres mendicantes, praecipue Praedicatores exposuerunt Pontifici, se esse in possessione deferendi cadavera sepelienda in suis Ecclesiis processionaliter, Cruce elata, sine interventu parochorum,

(1) Ib. p. 68. Ib. p. 232. C. C.
(2) B. R. t. 4. p. 2. p. 357. C. C.

Idque, quia expulsis inde infidelibus, fratres s. Dominici primi; deinde alii introducti fuerunt in insulam, ante clericos.

Id etiam firmatum fuerat ex concessione Sixti quarti, qui concordiam hanc inivit inter fratres, et clerum, quod apparet ex instrumentis: tamen in hoc iure perturbabantur a clericis.

Quare confugerunt ad Pontificem,

Qui mandat sub poenis etc. ne fratres in hoc molestentur; serveturque consuetudo ex constituto Sixti IV.

Executores deputat. N. O.

D. Romae apud S. Petrum die XXIV febr. P. a. II. a. D. 1567.

XV.

Confirmatio concordiae inter Clerum saecularem, et regularem de deferendis, sepeliendisque in Ecclesiis regularium cadaveribus.

INNOCENTIUS X ad p. r. m.

Incipit *Ex iniuncto, etc.* (1).

Rursus in insula Maioricensi inter Clerum saecularem ex una parte, et fratres mendicantes et non mendicantes ex alia, variae lites exortae fuerant de iure, et de forma sepeliendi, de quarta funeris, eaeque devolutae sunt ad sacram Congregationem;

Interim tamen facta fuit formula concordiae inter clerum, et regulares, quoad formam ferendi cadavera ad Ecclesias regularium, quoad solutionem quartae funeris, quoad sepulturam impuberum.

Regulares possint cruce elata absque interventu Parochi, et Cleri saecularis processionaliter incedere, ingredi per parochias, levare, et efferre cadavera eorum, qui volunt sepeliri apud regulares.

Si consociandi sint saeculares, et regulares, in deferendo cadavere dignior locus detur clero saeculari, tum detur eleemosyna, ut praescribitur §. 8.

(1) B. R. t. 5. p. 414. - B. R. t. 6. p. 3. p. 74. C. C.

Sed inter Cardinales sacri Concilii interpretes agitabatur, quae pars danda esset Clero; plurimae enim Pontificum sanctiones erant variae pro diversitate populorum, plura decreta Congregationis emanata fuerant in re hac.

Sed tandem praevaluit conventio facta iamdiu in hac insula, ut Parochis daretur quarta, servareturque in reliquis quod Concilium Tridentinum proponit.

De consilio autem eorumdem Cardinalium Innocentius parochorum et regularium concordiam firmat. N. O. *Nulli ergo, etc.*

D. Romae apud S. Petrum die XXII febr. P. a. I. a. D. 1645.

XVI.

Parochus comitetur tantum cadavera ad Ecclesias Regularium.

CLEMENS X ad p. r. m.

Incipit *Nuper pro parte, etc.* (1).

Placentiae erat orta controversia inter Monachos Benedictinos ex una parte, et Parochos ex alia, occasione cuiusdam cadaveris.

Rituum Congregatio innovavit, quod iam alias decreverat, ut Parochi comitarentur cadaver, et illud dimitterent ad ianuam Ecclesiarum regularium, et abirent; regulares autem officia celebrarent super cadavere.

Hanc sententiam laudat, et observari mandat Clemens. N. O.

D. Romae apud S. M. Mai. XVIII ian. P. a. II. a. D. 1672.

XVII.

Solutio dubiorum Sacrae Congregationi propositorum.

INNOCENTIUS XI ad p. r. m.

Incipit *Exponi nobis, etc.* (2).

Fratres Ord. MM. S. Francisci de observantia loci de Binasco Papiensis dioecesis duo haec dubia de Curatis proposuerunt sacrae Congregationi,

(1) B. M. t. 6. p. 381. - B. R. t. 7. p. 169. C. C.

(2) B. M. p. 5. vel t. 11. p. 199. - B. R. t. 8. p. 13. C. C.

I Num Curatus unius paroeciae ad transitum cadaveris, quod processionaliter defertur ad Ecclesiam regularium per suam iurisdictionem, seu paroeciam, possit aliquam cerae partem, et pecuniam ab haeredibus exigere?

Congregatio respondit negative.

II. An proprius Parochus mortui defereus cadaver processionaliter per alienam paroeciam possit deferre stolam, et crucem elatam, etiam irrequisito Parocho eius paroeciae?

C. R. affirmative.

Rogatus Innocentius has responsiones confirmat, iubens earum observantiam. N. O.

D. Romae apud S. Petrum die II dec. P. a. I. a. D. 1676.

XVIII.

De cadaveribus deferendis ad Ecclesias FF. Carmelitarum Excalceatorum.

INNOCENTIUS XI ad p. r. m.

Incipit *Emanavit nuper*, *etc.* (1).

Cardinalis protector Ordinis FF. Carmelitarum excalceatorum congregationis Italicae, et Cougregatio Concilii in favorem horum Fratrum decreveruut,

Opus non esse, ut cadavera eorum, qui vellent sepeliri in Ecclesiis huius ordinis deferantur prius ad Ecclesiam parochialem, sed debere parochum a domo defuucti recta ire ad Ecclesias Fratrum, et abire.

Innocentius decretum confirmat. N. O.

D. Romae apud S. Petrum dio XI mar. P. a. IV. a. D. 1680.

(1) Ib. p. 283. Ib. p. 31 C. C.

XIX.

Praedicta decreta confirmantur in favorem FF. Praedicatorum in regno Peruviano.

CLEMENS XI ad p. r. m.

Incipit *Nuper pro parte*, *etc.* (1).

Cum sacra Congregatio Concilii deciderit an. 1641 pro FF. MM. s. Francisci de Observautia, et ann. 1658 pro Fratribus eiusdem Ordinis provinciae Dalmatiae, et an. 1672 pro Presbyteris S. J. in Hispaniis, et Indiis, ne parochi possent maiorem eleemosynam exigere pro cadaveribus deferendis ad Ecclesias Regularium,

Neque Parochos posse exequias facere in eorum Ecclesiis super cadaveribus,

Eadem decreta extendit in favorem Fratrum Ord. Praedicatorum provinciae s. Joannis Baptistae in regno Peruviano, in oppido Potosi, et in Urbe de Coquisacbe observanda.

Procuratore autem generali ordinis optante Pontificiam confirmationem, Clemens decretum confirmat. N. O.

Nulli ergo, etc.

D. Romae apud S. M. Mai. die III iunii P. a. XVI. a. D. 1716.

XX.

De sepultura Missionariorum in Syria.

CLEMENS XII ad p. r. m.

Incipit *Nuper a Congregatione*, *etc.* (2).

Ad tollenda iurgia, et dissensiones, quae non raro oriri solent in partibus Syriae, et Palestinae occasione tumulationis pauperum regularium Missionariorum sacra Congregatio decrevit,

(1) B. M. p. 6. vel. t. 12. p. 366. - B. R. t. 11. p. 2. p. 76. C. C.
(2) B. M. p. 9. vel t. 15. p. 19. - B. R. t. 13. p. 25. C. C.

Ut privatim deferatur cadaver a propriis religiosis; *in coemeterio autem tantum adesse debet Parochus cum stola et Cruce, et dicat orationes iuxta formam a Rituali praescriptam, permittendo, ut reliquae orationes dicantur a religiosis.*

Ad instantiam Procuratoris FF. Capuccinorum, qui in iis regionibus missiones praecipui agunt, Clemens congregationis decretum confirmat.

Nulli ergo, etc.

D. Romae apud S. M. Mai. die XIII apr. P. a. V. a. D. 1735.

XXI.

Parmae Fratres MM. strictioris observantiae servent consuetudinem loci.

INNOCENTIUS XIII ad p. r. m.

Incipit *Emanarunt nuper, etc.* (1).

Parmae mos erat, ut Regulares ingrederentur in Ecclesias parochiales cum stola, et Cruce, *absque ullo exercitio tamen*, et Parochi in Ecclesias Regularium, regularesque quartam funerum darent Parochis; quae conventio pluries repetita fuerat, et confirmata a sacra congregatione, et a Pontificibus Julio II et Clemente VIII rata habita.

Fratres MM. s. Francisci strictioris observantiae recens in urbem recepti, licet iurassent, se servaturos hunc morem, tamen renuebant admittere Parochos in suam Ecclesiam cum Cruce, et stola, et iis quartam dare.

Parochi confugerunt ad sacram Congregationem, quae censuit, servandam esse consuetudinem.

Ne autem praedicti Fratres progressu temporis ab ea discederent, Parochi petierunt, et obtinuerunt huius decreti ab Innocentio confirmationem. N. O.

D. Romae apud S. M. Mai. die XXIV aug. P. a. II. a. D. 1722.

(1) B. M. p. 7 vel t. 13 p. 57. - B. R. t. 11 p. 2 p. 258. C. C.

XXII.

De quarta funeris Parochis solvenda a Regularibus.

BENEDICTUS XII ad p. r. m. M. P.

Incipit *Romanus Pontifex, etc.* (1).

Inter amplissima privilegia concessa Ordinibus Regularibus etiam hoc fuit concessum a Clemente V in Concilio Viennensi, relatum in Clementina *Dudum, de sepulturis*, ut quartam Parocho minime persolverent de funeribus, quod etiam videtur innuere Tridentinum Concilium *c.* 13 *de Ref.*

Ex quo privilegio acerbae lites inter rectores Ecclesiarum, et regulares ortae sunt, et pro varietate circumstantiarum varia congregationis Cardinalium prodierunt decreta. Durum erat parochis, qui administraverant sacramenta, praedicaverant verbum Dei, astiterant morientibus, nihil ex propriis defunctis percipere; quaedam etiam erant paroeciae ita pauperes, ut si spoliarentur his incertis, nescirent earum rectores, unde viverent; quae in causa fuerunt, ut congregatio vario decideret. Fratres autem privilegium iactabant.

Benedictus ut in posterum omnes controversias amputet, neque quotidie deferant ad congregationem lites huiusmodi, decernit ita hac in constitutione.

Abrogat omnia privilegia concessa a Pontificibus regularibus eximentia eos a solutione quartae facienda parochis; primo quia fere omnes sepeliri mandant se in Ecclesiis regularium, tum ut consulat paupertati quarumdam Ecclesiarum, tertio quia convenit proprios pastores a suis ovibus, quas verbo vitae nutrierunt, aliquam mercedem accipere.

Nomine autem quartae intelliguntur intorticia, quibus comitatur ad Ecclesiam cadaver, intorticia apposita pheretro, candelae in die funeris ad altaria, non autem candelae, quae dantur ad manus regularibus cadaver associantibus, dum e domo extollitur; neque eleemosynae manuales, neque eleemosynae missarum.

(1) B. M p 4. vel t. 10 p. 244. - B. R. t. 11. p. 2 p. 394. C. C.

lam, et intorticiorum, et candelarum super altaria danda est a regularibus quarta parochis.

Et ita ab omnibus iudicibus iudicari decernit, et has litteras publicari ad omnium notitiam iubet. N O.

Caeterum haec constitutio est pro Italia tantum, et insulis adiacentibus.

D. Romae apud s. Petrum IV kal. maji. P. a. I. a. D. 1725.

XXIII.

Quomodo deferenda sint ad sepulturam cadavera clericorum saecularium, et aliorum.

CLEMENS XI - Edictum.

Incipit *Avendo la Santità, ecc.* (1).

Praescribit Pontifex per suum Vicarium quomodo cadavera clericorum saecularium debeant deferri ad Ecclesias,

Nempe induta iis sacris vestibus, quae convenientes sunt ordini sacro, quo erant insigniti.

Ita iubet Rituale Romanum.

Aliae personae defunctae processionaliter deferantur, *Parocho cum clero praecedente pheretrum cum luminaribus.*

Idque sub poenam scutorum 500, non in curribus, et in rhedis, ut statuit idem rituale *tit. de exequiis*, §. *constituto tempore.*

D. Romae die IV febr. a. 1705.

XXIV.

Quomodo debeant incedere clerici comitantes cadavera.

CLEMENS XI - Edictum.

Incipit *La Santità, ecc.* (2).

Praescribit Vicarius generalis ex iussu Pontificis, quomodo presbyteri et clerici debeant processionaliter comitari cadavera; utantur bireto

(1) B. M. t. 8. p. 251.
(2) Ib. p. 218.

clericali, ut est Rituali Romano *tit. de processionibus*, neque galerum deferant, nisi cum pluit;

Etiam iubet, ut cadavera exponantur in Ecclesiis *non super nudam terram*, sed in pheretro, ut est in eodem Rituali *tit. de exequiis*, §. *deposito pheretro*.

D. die IX dec. 1704.

XXV.

Quomodo debeant incedere confraternitates laicales in delatione cadaverum.

CLEMENS XI - Edictum.

Incipit *La Santità, ecc.* (1).

Modum observandum a sodalitiis laicalibus in processionibus, quibus deferuntur cadavera ad Ecclesias, Clemens praescribit;

Nempe ut sine cruce cant; sed tantum deferant insigne suae sodalitatis;

Hoc ferre possunt in Ecclesias regularium, et saecularium, et in aliquo earum Ecclesiarum angulo collocare;

Possunt confratres recitare super cadaver psalmum *Miserere*.

Quod si in oratorio sodalitatis sepeliendum est cadaver, Parochus, intra cuius paroeciae confinia est illud, debet exequias peragere.

D. Romae die XXVI ian. a. 1720.

XXVI.

Sodalitates nihil exigant praeter consuetum.

CLEMENS XI - Edictum.

Incipit *Essendo venuto, ecc.* (2).

Factus certior Clemens, quosdam custodes sodalitatum pro funeralibus plura exposcere, quam statuta praescribant, id per Vicarium suum vetat, poenas minitans infligendas iis, qui contra fecerint.

(1) Ib. p. 262.
(2) Ib. p. 254

Ac proinde mandat, ut ministri harum sodalitatum mittant ad secretariam taxas suas.

Sicut autem iis religiosis saecularibus, vel regularibus poena excommunicationis est inflicta, si morientes inducent, ut in hac potius quam in illa Ecclesia iubeant se sepeliri, sic ea denunciatur ministris confraternitatum laicarum, si id egerint.

D. Romae die XXII aug. a. 1708.

XXVII.

Ad Angliae Praelatos, ut permittant fratres ord. Praedicatorum confessiones audire, et praedicare.

GREGORIUS IX Archiepiscopis, Episcopis, etc.

Incipit *Quoniam abundavit, etc.* (1).

Dei providentiam laudat Gregorius, qui cum videret Ecclesiam suam premi undique a malis hominibus, excitavit ordinem FF. Praedicatorum, quorum opera uteretur ad virtutes inserendas, et ad vitia extirpanda.

Quoniam autem illi duo effectus habentur per confessionem, et per praedicationem verbi Dei, exhortatur Angliae Ecclesiarum Praesules, ut velint permittantque, hos fratres praedicare coram populo, et confessiones fidelium excipere.

Caveant tamen, ne omnibus se dicentibus ex ordine Praedicatorum credant: multi enim fingent, se esse tales, ut a fidelibus eleemosynas carpant.

D. Later. XVII kal. apr. P. a. III. a. D. 1230.

Ita Van-Espen ad hanc bullam t. 2. Jur. Eccles. t. VII. §. IV. *Primus qui simile privilegium dedit* fratribus *videtur* fuisse *Gregorius IX. Scribit enim Matthaeus Parisiensis ad annum* 1246 *quod fratres Praedicatores impetraverint a Papa Gregorio IX (qui specialiter eorum fautor erat)* « inauditum privilegium, hoc etiam ipsis temporibus novum. » *Cum ipsis* (inquit Pontifex) *auctoritate nostra liceat confessiones audire, ac poenitentias iniungere.*

(1) B. M. p. 3. vel t. 2. p. 46.

XXVIII.

Idem privilegium confirmatur.

INNOCENTIUS IV Episcopo Vintonensi, Virgoniensi, et Norwicensi.

Incipit *Nota nobis, etc.* (1).

Facti hoc privilegio protervi fratres abstrahebant poenitentes a propriis pastoribus, inducebantque, ut sibi confiterentur, parochialesque Ecclesiae nullis amplius donabantur eleemosynis, cum omnes divites ad fratres confugerent.

Questi sunt de hac re ad suos Ordinarios parochi; Ordinarii, cum ipsi quoque viderentur contempti, iusque quod habent Episcopi dandi facultatem confitendi, putarent recte posse videri amissum, has parochorum, suasque detulerunt ad Innocentium querelas, cui tamen fratres omnia modo suo significarant.

Innocentius ergo mandat praedictis Praelatis, ut omnibus Episcopis Angliae iubeant, nomine Pontificis, ut *iuxta apostolica scripta* (Gregorii IX) Fratribus praedicatorum ordinis permittant *libere* confessiones fidelium excipere.

D. Viterbii XIII kal. P. a. I. a. D. 1243.

XXIX.

Confirmatio privilegii, sed cum clausulis.

INNOCENTIUS IV ad p. r. m.

Incipit *Etsi animarum, etc.* (2).

Cum indixisset Innocentius generale Concilium, quod habitum fuit Lugduni, estque Lugdunense I, et in prima actione actum esset de praelatorum moribus corrigendis, tollendisque ex Ecclesia abusibus, dici non potest, quanto animi aestu contra nova fratrum privilegia declamarint Episcopi.

(1) Ex Math. Paris. ad an. 1243.

(2) E Concil. Lugd. 1

Innocentius tamen dimoveri non potuit a revocando quod de fratribus statuerat. Sed post absolutum Concilium bullam edidit, in qua, quin privilegium adimat fratribus datum, quanto satius sit confiteri parochianos pastoribus suis exponit.

Sicque eorum praedicti sacerdotes, qui curam suscipiendo ipsorum, suam pro eis animam obligant, dum sibi taliter subtrahuntur, statum eorum ignorantes, non possunt, quod in eis est aegrotum sanare, nec consolidare infirmum, nec alligare confractum; et sic dum cura commissa non adhibentur remedia invalescentibus morbis, usque ad interemptionem laesio debacchatur, et iidem sacerdotes nullam possunt de sic pereuntibus animabus supremo iudici rationem reddere.

Monet praeterea: *quod ex recursu ad fratres confessionis causa, relicto proprio parocho, non tantum indevotio, et contemptus in populo prodeunt contra proprios sacerdotes, verum etiam erubescentia, quae est magna pars poenitentiae, tollitur; dum quis non proprio sacerdoti, quem habet continuum, et praesentem, sed alieno, et aliquando transeunti, ad quem difficilis, et quandoque impossibilis est recursus, sua crimina confitetur.*

Quare renovat praeceptum illud concilii Lugdunensis: ***Omnis utriusque** sexus,* ut saltem semel in anno unusquisque proprio confiteatur pastori.

Tum alia statuit observanda a fratribus, ne iura parochialia laedantur. Nempe:

I. Ne praedicti fratres diebus dominicis, festisque in suas Ecclesias admittant parochianos ad divina officia:

II. *Ne illos ad poenitentiae sacramentum admittant sine suorum licentia sacerdotum;*

III. Ne praedicent in suis Ecclesiis ante missarum solemnia in parochialibus Ecclesiis peracta;

IV. Ne in Ecclesiis parochialibus praedicent, nisi invitentur a parochis;

V. Qua die in cathedrali praedicat Ordinarius, nullus frater praedicet;

VI. Ut requisiti tantummodo possint sepelire parochianos, *obtenta portione canonica.*

VII. Contra agentes excommunicatos declarat.

VIII. Iubet Ordinarios sedulo curare, ut haec observentur.

IX. Derogatque omnibus privilegiis huic constitutioni contrariis a fratribus obtentis.

Nulli ergo, etc. Si quis, etc.

D. P. a. V. a. D. 1247.

XXX.

Revocatur Innocentii constitutio.

ALEXANDER IV Archiepiscopis, Episcopis, etc.

Incipit *Non insolitum, etc.* (1).

Non insolitum est, ac novum, ut ea quae per occupationem, vel in festinantia fiunt, pro eo quod congrue lineam deliberationis praetereunt in propensioris considerationis reducantur examen, ut rectiora, et elimatiora per attentionem plenioris discussionis emanent. Hoc iudicium fert Alexander de Innocentiana constitutione;

Tum refert tenorem eiusdem constitutionis Innocentii;

Concluditque Ecclesiae praelatos alloquens:

Verum quia super praemissis litteris cogitare attentius, et studiosius deliberare proponimus, pacis commodum, et quietis solatium Ecclesiis, et personis ecclesiasticis potissime cupientes, praefatas litteras, et si quae aliae super praedictis, vel eorum aliquos contra praefatos religiosos, et aliquos ex ipsis generaliter, et specialiter, praeter formam communem, et solitam processere, ac mandata, seu praecepta facta in eis, vel earum auctoritate, duximus penitus revocanda.

Ideoque universitati vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus per huiusmodi litteras, vel occasione mandatorum, seu praeceptorum, aut sententiae quam continent, nihil prorsus agatis, cum nullam deinceps efficaciam habeant, vel vigorem.

D. Neapoli XI kal. ian. P. a. I. a. D. 1254.

(1) B. M p. 3. vel t. 9. p. 51. - B. R. t. 3. p. 1. p. 349. C. C.

XXXI.

Confirmatur Alexandri bulla.

URBANUS IV ad p. r. m.

Incipit *Non novum, etc.* (1).

Damnatus fuerat liber Guillelmi a sancto Amore contra Mendicantes pro parochiali confessione ab Alexandro IV (v. t. inter libros prohibitos).

Cum contra illum scriberent scholastici, novaeque orirentur opiniones de pontificia auctoritate, ut doctissimus Fleury animadvertit lib. 84. histor. Eccles. §. XLIII. seseque opponerent Episcopi multi, rectoresque animarum, schisma veluti quoddam videbatur esse in Ecclesia.

Ut hanc iurgiorum segetem amputet Urbanus, revocat, quod fecerat Alexander, Innocentii constitutionem, confirmatque Alexandri bullam.

Poenasque minitatur Ecclesiasticis inobedientibus etc.

D. P. a. II. a. D. 1262.

XXXII.

Nullus Praelatus interpretari audeant libertates fratrum.

CLEMENS IV Magistro et Fratribus ordinis Praedic. Generali Ministro, et Fratribus ord. Minorum.

Incipit *Ordinis vestri, etc.* (2).

Licet praedecessores Pontifices Alexander IV et Urbanus IV privilegia fratribus confirmassent, damnavissentque opus Guillelmi a sancto Amore contra dominicanos, et minoritas, quidam tamen Episcopi eorum Pontificum constitutiones ad examen revocabant; praecipue cum, ut ex historiis eorum temporum patet, animos ex iis bullis sumpsissent il Ordines, et plures licentias sibi arrogassent earum bullarum praetextu.

(1) In Bulla Vad. t. 1. p. 113.

(2) B. M. t. 1. p. 147. - B. R. t. 3. p. 1. p. 470. C. C.

Confugerunt superiores eorum ordinum ad Pontificem orantes, ne super privilegiis molestarentur, neque traherentur illa in alium sensum ab eo, quem habent.

Clemens eorum supplicationibus annuens, *ne Archiepiscopi, Episcopi, et Praelati alii praedicta privilegia, et indulgentias, sive clara, quae interpretatione non indigent, sive dubia contineant, de caetero interpretari praesumant, auctoritate praesentium districtius inhibet, volens, ut cum eius sit interpretari, cuius est condere, interpretatio super huiusmodi dubiis, et obscuris sanctae Sedis iudicio requiratur.*

Nulli ergo, etc. Si quis autem, etc.

D. Viterbii non. iulii P. a. IV. a D. 1268.

XXXIII.

Tollere dissidia inter Parochos, et Fratres studet Pontifex.

BONIFACIUS VIII ad p. r. m.

Incipit *Super Cathedram, etc.* (1).

Non acquievere superiorum Pontificum litteris Episcopi, rectoresque. At fratres a subsequutis Pontificibus privilegia extorserunt, quae tamquam praemia amplificatae Pontificiae potestatis Papae iis dabant. Per illa enim tempora eruperunt opiniones, Pontificem *de plenitudine potestatis* posse omnia, iurisdictionemque Episcoporum esse immediate a Pontifice; idque dicebant falsis decretalibus Isidori nixi, quod negabant Praelati ac Parochi. Et haec quidem dissidia totam fere Europam pertinebant, ut colligitur ex hac Bonifacii constitutione, quam exscribimus e doctissimo Van-Espenio t. VII. §. VII.

Quod ab olim (inquit Bonifacius) *inter Praelatos, et Rectores, seu sacerdotes, ac clericos parochialium Ecclesiarum per diversas mundi provincias constitutos ex una parte, et Praedicatorum, et Minorum Ordinum Fratres ex altera, gravis, et periculosa discordia extitit suscitata super*

(1) Extrav. Commu. t. de sepulturis.

praedicationibus fidelium populis faciendis, eorum confessionibus audiendis, poenitentiis iniungendis, et tumulandis defunctorum corporibus, qui apud Fratrum Ecclesias, sive loca noscantur eligere sepulturam;

Hanc gravem, et periculosam discordiam hac sua Constitutione *intendens* Bonifacius *paternae sollicitudinis studio prorsus evellere, ac omnimode summovere nullis unquam temporibus futuris, favente Domino suscitandam.*

Super confessionibus, et poenitentiis iniungendis statuit, *ut Superiores ordinum illorum se conferant per se, vel pel Fratres, quos ad hoc idoneos fore putaverint, humiliter petituri a Praelatis, ut fratres, qui ad hoc electi fuerint, in eorum civitatibus, et dioecesibus confessiones subditorum suorum confiteri sibi volentium audire libere valeant, et huiusmodi confitentibus (prout secundum Deum expedire cognoverint) poenitentias imponant salutares, atque eisdem absolutionis beneficium impendere de licentia, gratia, et beneplacito eorumdem.*

Et si iidem Praelati petitam licentiam confessionum huiusmodi audiendarum concesserint, illam praefati Magistri, Ministri et alii cum gratiarum recipiant actione: dictaeque personae sic electae commissum sibi officium exequantur.

Quod si forte iam dicti Praelati quemquam ex dictis Fratribus praesentatis eisdem ad huiusmodi officium nollent habere, vel non ducerent admittendum, et amoto, vel subtracto, loco ipsius, similiter eisdem praesentandus Praelatis, possit, et debeant alius subrogari.

Si vero iidem Praelati praefatis Fratribus ad confessionem, ut praemittitur, audiendas electi huiusmodi exhibere licentiam recusarint, nos ex tunc ipsis, ut confessiones sibi confiteri volentium libere liciteque audire valeant, et eisdem poenitentias imponere salutares, atque eisdem absolutionis beneficium impertiri gratiose concedimus de plenitudine Apostolicae potestatis.

Nulli ergo, etc. Si quis autem, etc.

D. circa annos 1294, et 1300.

XXXIV.

Novae provisiones de his Fratrum privilegiis.

BENEDICTUS XI ad p. r. m.

Incipit *Inter cunctas, etc.* (1).

Hanc quoque Bullam exscribimus ex eodem clarissimo Van-Espenio, cuius etiam ad eam animadversiones afferimus.

« Bonifacius sua Constitutione sperabat, hanc gravem, et periculosam » discordiam omnino evellendam; sed spes sua ipsum fefellit, si Be- » nedicto XI eius in Pontificatum successori credimus.

» Hic enim Benedictus XI ex ordine Fratrum Praedicatorum as- » sumptus, ut haec dissidia extingueret, novam edidit Constitutionem: »

In hac praefatus, *quod debeat, quantum ex alto permittitur, pacem inserere, scandala removere, iurgiorum removere materiam, et intelligere super egenum, et pauperem, quia non in finem oblivio erit pauperum, et patientia pauperum non peribit in finem.*

« Quae finalia verba evidenter Fratres Mendicantes, e quorum or- » dine erat assumptus, respiciunt. »

Post haec subiungit: *Sane dudum bonae memoriae Bonifacius VIII Praedecessor noster quamdam specialem inter Praelatos, Rectores, seu Sacerdotes, et Clericos parochialium Ecclesiarum ex parte una, et Praedicatorum, ac Minorum Ordinum Fratres ex altera, super faciendarum praedicationum, audiendarum confessionum per eosdem Fratres, ac de eis relictis, et de funeralibus canonicae portionis articulis constitutionem edidit certum his modum imponens, prout in eadem Constitutione plenius continetur.*

Sed pro ea, quam intendebat, quiete, turbatio mota est, pro concordia sunt suborta dissidia, et pullulatae inquietudines pro tranquillitate nascuntur. Sicque dum ansam solvisse se credidit; nodum ligasse videtur, et septem uno hydrae amputato capite suscitasse.

(1) Extrav. Commun. l. de privilegiis.

Nec mirum, quia plerumque pariunt novitates discordiam, praesertim dum ab eo, quod diu aequum visum est, per novam Constitutionem receditur; nec quare recedatur utilitas evidens, nec alia causa subest.

Benedictus autem *cupiens, ut gregi cura eo plenior impendatur, quo amplior in agro Domini operariorum numerus operatur super egenum intendens ac pauperem, ac novitatem removens per eamdem Constitutionem inductam, hanc novam Constitutionem,* sive Extravagantem Bonifacii VIII Extravagantis derogatoriam evulgat.

« Evidens est, Benedictum credidisse, et publice per suam Extra» vagantem declarasse, ex Constitutione Bonifacii VIII, qua ipse Boni» facius credebat gravi, et periculosae discordiae finem imponendum, » *pro concordia fuisse suborta scandala, et pullulasse inquietitudines pro* » *tranquillitate.*

» Insuper ex relatis verbis huius Extravagantis Benedicti XI intel» ligitur, hunc Pontificem existimasse, Bonifacium per suam Consti» tutionem modificando, et intra suos limites ordinum Praedicatorum, » et Minorum privilegia reducendo, non satis intellexisse super egenum » et pauperem: ipse autem per Constitutionem suam ampliando haec » privilegia intendat intelligere super egenum, et pauperem, scilicet » Fratrum inopiae, et paupertati ope horum privilegiorum succurrendo.

» Ut igitur Fratribus ampliorem favorem impendat, atque hac ra» tione intelligat super egenum, et pauperem, hac sua Constitutione » declarat, *quod libere auctoritate Apostolica absque licentia Dioecesanorum et aliorum praelatorum inferiorum exemptorum, et non exemptorum, quibus subsunt, qui ad confitendum accedunt, audiant, eis peccata sua confiteri volentes.*

Ut autem Dioecesanis honor debitus reservetur, praecipit, ut Provinciales, Priores Praedicatorum, et Ministri Minorum ordinum praefatorum per se, vel alios, verbo, vel scripto eis significent, se Fratres ad huiusmodi confessionum audiendarum, et poenitentiarum iniungendarum officium elegisse, et non nominando, aut coram ipsis sistendo eos, nec illorum numerum exprimendo, petant humiliter a Dioecesanis iisdem, quod iidem electi Fratres, de ipsorum beneplacito et licentia, dictum possint in eorum civitatibus, et

dioecesibus intra eis determinatos fines officium exercere. Quod si denegent, vel intra triduum non concedant, ex tunc iidem Fratres nihilominus auctoritate eadem huiusmodi officium exequantur.

Datam vero licentiam per Dioecesanorum mortem non vult terminari. D. P. a. I. a. D. 1303.

» In primis probat haec Constitutio, quod et a pluribus annotatum » est, similia privilegia a Fratribus sollicitata, et per Pontifices indulta » fuisse, ut per ea Fratrum necessitatibus in temporalibus succurreretur; » quod et fidelibus perniciosum, et Fratribus admodum periculosum » esse non ambigitur, et a multis deploratum fuit.

» Atque inter alios iam pridem per Richardum Archiepiscopum » Armachanum in *Defensorio Curatorum* coram Innocentio VI notatum » est, quod et eo titulo salubrius, et tutius sit parochianis confiteri » proprio Sacerdoti, sive Curato, quam Fratribus Mendicantibus, quod » hi a suis poenitentibus temporale subsidium expectantes congruas » poenitentias iniungere non audeant, ne poenitentium in se affectum » amittant.

» Praeterea quis non videt per hanc Constitutionem dictos Fratres, » qui dumtaxat in subsidium Praelatorum, et Parochorum ordinariorum » sunt instituti, et ut tales ab Ecclesia admissi ad praecipuas hyerar- » chicas, et pastorales functiones, et a quibus rite administratis recta » animarum directio praecipue dependet, independenter a licentia prae- » latorum, et pastorum ordinariorum admitti? »

Hactenus Van-Espenius de hac Benedicti Bulla.

XXXV.

Revocatio Benedictinae Constitutionis.

CLEMENS V ad p. r. m.

Incipit *Dudum, etc.* (1).

Habitum fuit sub hoc Pontifice Clemente Viennae Oecumenicum Concilium.

(1) In Clem. de sepulturis.

Omnes Episcopi Benedicti in Bullam insurrexerunt quippe qua omnis episcopalis iurisdictio circa administrationem Sacramenti Poenitentiae, praedicationemque verbi Dei sublata esse videbatur, insurrexerunt declamaruntque summa animi contentione.

Quare videns Clemens Bullam Benedicti, *ut probavit effectus nedum pacis ab auctore speratae fructum non attulisse, quin imo discordiae, pro qua sedanda processerat, fermentum non modicum ministravisse*, de Concilii sententia eamdem Benedicti constitutionem abrogavit, renovavitque Bonifacianam.

Vetat proinde Mendicantibus praetextu Benedictinae Constitutionis in his parochialibus muneribus semet immiscere, nisi licentiam ab Ordinariis fuerint consequnti;

Idque vetat sub ecclesiasticarum poenarum interminatione etc.

D. P. a. IV. a. D. 1309.

XXXVI.

De confessione proprio Parocho facienda.

IOANNES XXII Patriarchis, Archiepiscopis etc.

Incipit *Vas electionis, etc.* (1).

Sicut Benedicti Bulla non sedavarat contentiones exortas, sicut neque antea Bonifaciana eas composuerat, ita Clementina illas non sustulit, sed novi propugnatores pro parochis insurrexerunt.

Inter hos fuit Joaunes de Polliaco, qui aiebat confessos Fratribus saltem semel in anno confiteri debere proprio parocho, et repetere omnia peccata, quae iam confessi fuerant Fratribus, Parocho; et de potestate Pontificis detrahebat (v. t. *de Sacramento Poenitentiae* Bul. I quam hic repetimus, ut huius celeberrimae quaestionis totus habeatur ordo).

Joannes opiniones Joannis de Poll. ut erroneas damnavit.

(1) B. M. p. 3. vel t. 9. p. 163.

Tamen (teste Van-Espenio p. 2. t. VII. §. XXV) idem Pontifex Joannes in sua hac Bulla, haec addit; *Caeterum licet* (sicut praedicitur) *de necessitate non sit iterum eadem confiteri peccata, tamen propter erubescentiam, quae magna est poenitentiae pars, ut eorumdem peccatorum iteretur confessio reputamus salubre: districte iniungimus, ut Fratres ipsi confitentes attente moneant, et in suis praedicationibus exhortentur, quod suis Sacerdotibus saltem semel confiteantur in anno, asserendo id ad animarum profectum procul dubio pertinere.*

» Haec verba *Caeterum licet, etc.* desunt in Constitutione, quae » habetur in Bullario M. p. 3. vel t. 9. p. 163. Unde ea desum- » pserit Van-Espenius non docet.

D. Aven. kal. aug. P. a. V. a. D. 1321.

XXXVII.

Innocentii IV Constitutio confirmatur.

URBANUS VI Universis Religiosis cuiuscumque professionis, vel ordinis.

Incipit *Etsi animarum, etc.* (1).

Ne unquam alias illae exorirentur contentiones Mendicantes inter, et Rectores Ecclesiarum, quae ita fidelium conscientias perturbarant, renovat Urbanus Innocentii constitutionem (v. supra *Etsi animarum, etc.*)

Praecipit ergo *in virtute s. Obedientiae*

I. Ne diebus festis de praecepto Regulares parochianos in sua oratoria Ecclesiasve admittant;

II. *Nec ipsos sine licentia Sacerdotis ad poenitentiam aliqualiter admittant, cum si quis alieno Sacerdoti iusta de causa sua volet confiteri peccata, secundum statuta Concilii Generalis* (Lateranensis) *licentiam prius postulare, ac etiam obtinere debet a proprio Sacerdote, vel alias sibi primo confiteri, et recipere absolutionis beneficium ab eodem. Aliter namque ipse absolvi non poterit, cum duplex in iudicando funiculus pietatis, et scientiae requiratur, quorum alterum in alieno constat deficere Sacerdote.*

(1) B. M. p. 3. vel t. 9 p. 217.

III. Ne praedicent ante, vel dum Missarum solemnia in Ecclesia parochiali fiunt, ne parochiani suas parochiales Ecclesias deserant;

IV. Nec in Ecclesiis parochialibus praedicent, nisi invitati a Parochis,

V. Nec eo die, quo Episcopus in Ecclesia Cathedrali praedicat, *nullus frater in ea civitate, vel loco praedicare praesumat, ne salubris praedicationis doctrinae ex frequenti inculcatione quasi taedium generet, et contemnatur.*

VI. Si vero in casu licito parochianos alterius ad sepulturam, quam nemo sine iusta, et rationabili causa temere debet eligere, antiquis suorum parentum dimissis sepulchris, Fratres contingat sepelire, vel medietatem, vel tertiam, vel quartam partem funeris intra octo dies, iuxta constitutionem, dent Parocho.

VII. Praeter reatum inobedientiae transgressores incurrant excommunicationem.

VIII. Ordinarii iubentur efficere, ne haec violentur, violatoresque puniant.

D. Neapoli XI kal. dec. P. a. VII. a. D. 1384.

XXXVIII.

Joannis Constitutio confirmatur; novique articuli contra Mendicantes praescribuntur.

ALEXANDER V Patriarchis, Archiepiscopis, etc.

Incipit *Regnans in excelsis, etc.* (1).

Adhuc digladiabantur et Rectores, et Fratres Mendicantes; cum omnia privilegia concessa Ordinibus Praedicatorum, et Minorum communicata fuissent etiam cum Ordinibus FF. Eremitarum S. Augustini, et Carmelitarum; neque fratres volebant acquiescere Urbani nuperis decretis.

Alexander, qui ex Ordine Minorum assumptus fuerat ad Pontificatum cassat omnia decreta contra Fratres edita, et vult stari Constitutioni Bonifacii VIII et Clementis.

(1) Ib. p. 221.

Confirmat damnationem errorum Joannis de Polliniaco factam ab Joanne XXII aliosque errores damnat.

Vide damnationem t. 1. cap. *de Poenitentia* Bull. II.

D. Pisis IV id. oct. P. a. I. a. D. 1409.

« De Bulla Alexandri V loquens Natalis Alexander Hist. Eccles. » saec. XV in vita huius Pontificis asserit, quod Fratres Praedicatores, » et Carmelitae palam professi sunt, hanc se insciis impetratam fuisse, » nec se eam approbare: *Fratres vero Minores de Alexandri V exalta-* » *tione, intemperantius exultantes, eiusque in ordinem suum amore, et* » *benignitate abusi pertinaciores fuerunt: quibus iuncti Augustiniani cum* » *privilegiis nova illa constitutione collatis cedere nollent, edicto regio,* » *publica praeconum voce Parochis prohibitum est gravi mulcta, ne ipsos* » *in Ecclesiis confessiones audire, aut conciones habere sinerent.*

» Bulla haec utpote statum hyerarchicum perturbans, non parum » offendit Episcopum, et Academiam Parisiensem; quorum causam » suscepit celeberrimus eius aetatis doctor Ioannes Gersonius in sermone, » quem coram populo habuit, extatque inter eius opera sub hoc titulo:

» In hoc sermone asserit in Ecclesia a Deo institutum Ordinem » hyerarchicum ex praelatis maioribus, ut sunt Papa et Episcopi, et Mi- » noribus, qui sunt Curati, nec posse hunc a Deo institutum ordinem » inverti, quemadmodum ibidem exponit; atque una quae sint iura praela- » torum, signanter minorum Praelatorum, sive Curatorum describit, osten- » ditque, haec per FF. Mendicantes, sive privilegiatos infringi non posse.

Has animadversiones ad Bullam Alexandri V exscripsimus ex toties laudato Van-Espenio t. 2. p. 2. §§. XI et XII.

XXXIX.

Bulla Alexandri V revocatur.

IOANNES XXIII ad p. r. m.

Incipit *In Apostolicae, etc.* (1).

Et querimonias suas detulisse ad Pontificatum omnes Fratrum Mendicantium Ordines, narrat Ioannes, quia Praelati minores nolebant re-

(1) Ib. p. 223.

cipere Alexandri constitutionem, et gravia dissidia, quae erant in Ecclesiis exorta ex ea constitutione se audivisse, quia volebant Mendicantes privilegiis in ea sibi concessis, quoad confessiones, et praedicationem, uti.

Sed quia Ecclesiarum potissimum a se habendam esse rationem videt aequius Joannes Alexandrinam Bullam revocat, praecipue cum videantur esse amplificanda mala, nisi ita fiat.

Ergo auctoritate A. de Fratrum suorum consilio tenore praesentium decernit, pro partibus ipsis, nec non rebus, iuribus, et causis, de quibus in eisdem litteris fit mentio, in eodem statu per omnia remanentibus, prout erant ante confectionem dictarum litterarum, praedictae litterae, ac processus habiti per easdem, et quaecumque inde secuta ex nunc in antea, perinde habeantur ac si litterae, et processus huiusmodi nullatenus emanassent;

Districtiusque inhibet, ne quis in posterum dictis praedecessoris nostri litteris uti, aut earum auctoritati, vel vigori inniti praesumat.

Nulli ergo, etc. Si quis autem, etc.

D. Bononiae V kal. iulii P. a. 1. a. D. 1410.

XL.

Confessi Fratribus, semel in anno, suo parocho confiteantur.

MARTINUS V ad p. r. m.

Incipit *In sede, etc.* (1).

Cum per Joannis constitutionem parum provisum esse videretur Iuribus parochialibus.

Cumque Fratres Mendicantes dicerent constitutionem Joannis nihili esse ducendam, quia verus Pontifex non fuit a Constantiensi Concilio habitus, rursusque suorum privilegiorum contra Rectores renovarent discordias,

(1) Ex hist. uni. Par. Bulaei t. 5 p. 252.

Martinus, quem non esse verum Pontificem, dicere Mendicantes non poterant, idem statuit, quod decreverat Joannes, et confirmat abrogationem Alexandrinae Bullae;

Tum haec addit: *volumus ut hi, qui Fratribus confitebuntur, iidem suis parochialibus Sacerdotibus semel saltem in anno confiteri teneantur, prout statuit generale Concilium (Lateranense).*

Nulli ergo, etc. Si quis autem, etc.

D. a. 1420.

XLI.

Idem decernit Sixtus Pontifex.

SIXTUS IV ad p. r. m.

Incipit *Vices illius, etc.* (1).

Nondum volebant manus dare Mendicantes, sed sua privilegia tutari volebant mordicus contra Rectores Ecclesiarum, quoad confessionis Sacramenti administrationem; tantoque acrius ea propugnabant, quod Sixtus erat ex Ordine Minorum.

Pontifex cum videret, has contentiones esse fidelibus scandalo, controversiam hanc examinandam demandavit duobus Cardinalibus, duobusque Episcopis viris doctissimis.

Hi, utraque parte audita, rationibus pensitatis, censuerunt Fratribus esse imponendum silentium, et saltem semel in anno parochianos confiteri debere proprio Sacerdoti.

Ita ergo decernit Sixtus: *Mendicantes desistant praedicare, quod parochiani non sunt obligati, saltem in Paschate, proprio Sacerdoti confiteri; per hoc tamen ipsi Fratres Mendicantes non censeantur exclusi, quominus secundum iuris communis, et privilegiorum eisdem concessorum dispositionem confessiones audire, et poenitentias iniungere valeant.*

Poenas minatur hoc decretum non servantibus, etc.

Nulli ergo, etc. Si quis autem, etc. — D. etc.

(1) Extrav. *Vices illius.*

Judicium Sixti, qui certe maxime Regularibus favebat, ut patet ex eius Bullis, silentium Mendicantibus imposuit.

Leo X cum decidisset satisfacere praecepto audiendi Missam diebus festis, qui eam audit in Ecclesiis Mendicantium, ansam dedit hoc privilegium audiendi Confessiones laicorum toto anno, quin laici vel semel confiterentur rectori suo, rursus usurpandi.

» Quod decrevit Sixtus, decreverunt plura statuta synodalia: quae
» vide apud Merbesium p. 2. dissert. 4 de Poenitentia qu. XXIX.

» Ut haberetur tota insignis haec controversia de gravissimo disci-
» plinae capite, tribus bullis, quas doctissimus Van-Espenius attulit,
» alias omnes, quas reperire potui, addere volui.

XLII.

Solutio dubiorum propositorum a Praeposito loci Incisae contra FF. Carmelitas.

CLEMENS XI – Decretum.

Incipit *Ægre ferens, etc.* (1).

De quibusdam abusibus introductis in suam paroeciam a Fratribus Carmelitis, Praepositus, et Parochus loci Incisae questus fuit apud sacram Congregationem. Interrogatus Vicarius episcopalis loci *relationem favorabilem* parocho dedit eidem sacrae Congregationi.

Hac occasione Congregationi proposita fuerunt haec dubia, quibus illa respondit:

D. I. Fratres Carmelitae possuntne accedere ad processiones Rogationum sine cappis albis?

Congregatio respondit: non possunt.

D. II. Possuntne venire duo tantum Fratres, *Cruce praecedente?*

C. R. Negative.

D. III. Num praepositus, qui est Parochus, debeat admonere Fratres, ut ad processiones iam fieri solitas accedant? et quomodo?

(1) B. M. t. 8 p. 418.

C. R. Debet vel per nuncium, vel per schedulam.

D. IV. An iidem Fratres possunt quaestuare infra hebdomadam quibus diebus volunt?

C. R. Possunt.

D. V. An possunt quaestuare pro Confraternitatibus in sui Ecclesiis erecti?

C. R. Non possunt.

D. VI. Possuntne in dicta Ecclesia pro iisdem Confratribus exponere SS. Sacramentum occasione novennae Natalis, quadraginta horarum, sine licentia Ordinarii?

C. R. Minime.

D. VII. Num pro devotione propria?

C. R. Neque.

D. VIII. *Possuntne benedicere sponsos sine licentia, vel cum licentia Parochi?*

C. R. Cum licentia possunt: *vetatur hoc dubium amplius proponi; fuit enim saepissime decisum.*

D. IX. Fratres audientes confessiones infirmorum debentne id significare parocho?

C. R. Debent, ita statuit Clemens X.

D. X. Fratres in suam Ecclesiam possuntne admittere ad purificationem mulieres post partum?

C. R. Possunt.

D. XI. Possuntne vocati benedicere laborantes febri cum reliquia s. Alberti?

C. R. Possunt.

D. XII. Vocati *ad associandum defunctorum cadavera* debentne prius ad Ecclesiam parochialem accedere cum Cruce, et deinde deferre se simul cum Clero saeculari ad domos defunctorum?

C. R. Possunt *convenire etiam ad domum viciniorem domui defuncti*, et sub unica cruce comitari cadaver ad Ecclesiam, ubi est humandum.

D. XIII. Sub qua Cruce, quove in loco debent expectare Parochum?

C. R. Responsum est in antecedenti dubio XII.

D. XIV. An possunt dare signum Missae diebus festivis eodem tempore, vel ante Missam parochialem?

C. R. Possunt.

D. XV. Praepositus habetne ius interveniendi *in redditionibus rationum faciendis* per Confraternitates laicorum erectas in Ecclesia Fratrum?

C. R. Negative.

D. XVI. Fratres possuntne processionem facere extra sua claustra intra limites parochiae, parocho invito?

C. R. Non possunt.

D. XVII. Petita licentia a Parocho, sed non obtenta, possuntne processionem facere, occasione solemnitatis B. Mariae de Monte Carmelo, per districtum Paroeciae?

C. R. Possunt.

Cum Fartres hi noluissent parere Episcopo demandanti, ut accederent ad parochialem Ecclesiam, ad levandam Crucem, et tres eorum fuissent suspensi ab audiendis confessionibus, et ii tamen *cum spretu semel tantum* eas audierint, quaeritur,

D. XVIII. *An patres suspensi sint reintegrandi ad audiendas confessiones in casu etc.*

C. R. Affirmative.

D. Romae die IX iunii a. 1708.

XLIII.

Solutio dubiorum circa iura competentia Parochis, vel non, in Confraternitates Laicorum.

CLEMENS XI - Decretum.

Incipit *Ad debitum*, *etc.* (1).

Ad imponendum finem litibus, quae vel ortae sunt, vel oriri possunt inter rectores Ecclesiarum parochialium, et confraternitates sae-

(1) B M t. 8. p 432.

culares, earumque capellanos, et officiales, sacra Concilii congregatio ita infrascriptis propositis dubiis respondit:

D. I. An confraternitates laicorum in parochialibus Ecclesiis erectae debeant a Parocho in functionibus ecclesiasticis non parochalibus dependere?

C. R. Dependere debent.

D. II. An Confraternitates erectae in Capellis, et Oratoriis dependentibus a Parochis, et ipsae dependeant a Parocho quoad functiones?

C. R. Dependent.

D. III. An illae Confraternitates, quae sunt erectae in Ecclesiis publicis, dependeant quoad functiones a Parocho, intra cuius Parochiam Ecclesiae sunt?

C. R. Nequaquam.

D. IV. An confraternitates erectae in oratoriis non dependentibus a Parocho, quoad eas functiones dependeant a Parocho?

C. R. Nequaquam.

D. V. An benedictiones cinerum, candelarum, olivarum sint de iure mere parochiali?

C. R. Non.

D. VI. Num benedictiones mulierum, fontis baptismalis, ignis, seminum, ovorum sint de iure mere parochiali?

C. R. Benedictiones mulierum, et fontis baptismalis debent fieri a Parocho.

D. VII. An functiones maioris Hebdomadae sint de iure parochiali?

C. R. Negative.

D. VIII. An celebratio Missae in feria V maioris Hebdomadae sit de iure parochiali?

C. R. Spectat ad Parochum?

D. IX. An pulsatio prima campanae Sabbato sancto sit de iuribus parochialibus?

C. R. Spectat ad Ecclesiam digniorem.

D. X. Celebratio Missarum solemnium per annum pro vivis, vel pro defunctis estne de iure parochiali?

C. R. Licet, tantummodo diebus festis solemnioribus, Ecclesiae, vel oratorii Confratribus canere eas Missas.

D. XI. Expositio SS. Sacramenti quadraginta horarum estne solum de iure parochialis?

C. R. Nequaquam.

D. XII. Exspositio Reliquiarum estne de solo iure parochi?

C. R. Minime.

D. XIII. Functiones a dubio quinto ad decimum tertium exclusive possuntne fieri invito parocho?

C. R. Satis est provisum in superioribus. Parochus enim eas functiones impedire non potest.

D. XIV. An confratres in suis oratoriis possint dicere horas canonicas cum cantu sine licentia Parochi?

C. R. Affirmative, modo Ordinarius iusta de causa contrarium non insserit.

D. XV. In his Oratoriis confraternitatum, assentiente Ordinario, et contradicente rectore, possuntne dici Missae privatae?

C. R. Possunt.

D. XVI. Capellani Sodalitatum possuntne Confratribus denunciare vigilias, et festos dies recurrentes infra hebdomadam sine licentia Parochi?

C. R. Possunt.

D. XVII. Parochus in his oratoriis, invitis Confratribus, potestne docere doctrinam christianam?

C. R. Minime.

D. XVIII. In his oratoriis fieri ne possunt conciones in Adventu, Quadragesima cum licentia Ordinarii sine licentia Parochi?

C. R. Possunt.

D. XIX. In his Oratoriis potestne dici Missa privata, vel cantata ante parochialem diebus festis?

C. R. Nequaquam, nisi aliter visum sit Ordinario.

D. XX. Spectatne ad Parochum in his Oratoriis facere funera super cadaveribus?

C. R. Ita, quando sepeliendus est subditus Parochi.

D. XXI. Intra ambitum oratorii per Confratres possuntne fieri processiones sine licentia Parochi?

C. R. Ita.

D. XXII. At extra ambitum possunt?

C. R. Requiritur licentia Parochi.

D. XXIII. In his processionibus Capellani sodalitatum poteruntne deferre stolam?

C. R. Minime extra ambitum sine licentia Ordinarii.

D. XXIV. Episcopo accedenti ad oratoria, quae cum sint in Ecclesiis Regularium, non habent rectorem, qui porrigat aspersorium, cuius erit illud dare; Parochi, intra cuius paroeciam sunt Ecclesiae, an Confratris?

C. R. Confratris.

D. XXV. Cessante quolibet alio titulo, Parochus potestne iure parochianatus cogere Confratres ad assistendum in sua Ecclesia divinis officiis?

C. R. Non potest.

D. XXVI. An possit in his oratoriis neque regularibus, neque parochialibus asservari sine speciali licentia Pontificis Ss. Sacramentum?

C. R. Nequaquam.

D. XXVII. Praesupposita facultate illud retinendi, potestne exponi sine licentia Parochi?

C. R. Non potest.

D. XXVIII. Parochus potestne se ingerere in administrationem oblationum in his oratoriis factarum, et unam clavem capsae expositae ad eas accipiendas exposcere?

C. R. Non potest.

D. XXIX. Confratres in Ecclesia parochiali possuntne se immiscere in functionibus parochialibus, et non parochialibus?

C. R. Non possunt.

D. XXX. Confratres ad libitum sine interventu Parochi possuntne congregationes suas facere iuxta statuta?

C. R. Possunt, modo non impediant divina officia.

D. XXXI Possuntne disponere de bonis sodalitatis sine licentia, et dependentia Parochi?

C. R. Possunt.

D. XXXII. Parochus interveniens congregationibus Confratrum gerens vices Ordinarii potestne ferre suffragium?

C. R. Non potest.

D. XXXIII. An etiam suffragium duplex?

C. R. Non potest.

D. Romae die X dec. a. 1703.

XLIV.

Explicatio Decreti Bullae Clementinae - Dudum, de Sepulturis, *quoad Parochorum praedicationem in Missarum solemniis.*

URBANUS VIII ad p. r. m.

Incipit *Nuper pro parte, etc.* (1).

Episcopus Terulensis in regno Aragoniae cum esset in die s. Blasii praedicaturus vetuit Guardiano conventus Ord. S. Francisci in eadem urbe praedicare in Ecclesia parochiali s. Petri eiusdem urbis, quo maximus eo die sit populi concursus.

Parochus ad sacram Congregationem confugit, ut decerneret, quid sibi esset agendum posthac?

Ea respondit, *dispositionem Clementinae non esse observandam* (Dudum de sepulturis) *nisi a regularibus, tunc cum ipse Episcopus praedicat; parochos autem inter Missarum solemnia, etiam eadem hora, qua praedicat Episcopus, sermonem ad plebem suam habere posse.*

Urbanus approbat, confirmatque decretum. N. O.

D. Romae apud S. M. Maj. die XVIII iul. P. a. VIII. a. D. 1631.

(1) B. R. t. 6. p. 7. p. 283. C. C.

XLV.

Parochi docere debent christianam Doctrinam.

CLEMENS XI – Edictum.

Incipit *Essendo la dottrina, ecc.* (1).

Quia plurimum interest, doctrinam Christianam pueros doceri, ideo hic praecipit Pontifex, ut quod statuit Tridentinum Concilium, observetur, scilicet *ut saltem diebus dominicis, et aliis festivis diebus doceatur.*

Modus autem eam docendi teneatur is, qui a Cardinali Bellarmino, iussu Urbani VIII praescriptus fuit, et traditus.

Ut autem sciant Rectores ecclesiarum; qui pueri, quae puellae intersint, qui, quaeve desint, catalogum eorum et earum nominum habeant, et patres absentium admoueant.

Nemo autem clericorum ad ordines admoveatur, qui a proprio Parocho litteras non habeat testantes, eum assidue intervenisse doctrinae christianae; quod onus assistendi doctrinae iniungatur etiam Magistris, Presbyteris, ita ut inhibeatur iis scholas habere, si doctrinae non intersint.

Commonentur etiam Magistri, et Magistrae, ut saltem semel in hebdomada discipulos suos doctrinam doceant.

Ad movendum autem pueros, et puellas ad interveniendum doctrinae, iubet, ut nemo, qui non sit munitus fide parochiali, eum, et eam intervenisse doctrinae, admoveatur ad Sacramentum Confirmationis, nemo ad primam tonsuram.

Puellae porro nubiles ad matrimonium transire non possint, si doctrinam non audierint, neque possint ad subsidia dotalitia admitti, si careant Parochi fide de hac assistentia.

Hortatur etiam sacros Oratores, ut hoc opus adeo necessarium ad salutem sedulo inculcent auditoribus suis.

Parochos demum hortatur, ut hoc opus attente, naviter, patienter exerceant, et urgeant.

D. Romae die XIV sept. an. 1713.

(1) B. M. t. 8. p. 256.

XLVI.

Catalogus puellorum,
et puellarum intervenientium doctrinae ostendatur Ordinariis:
Hortatio ad genitores, ut mittant filios suos ad doctrinam.

CLEMENS XI – Edictum.

Incipit *Essendo pervenuto, ecc.* (1).

Per hoc edictum mandat Clemens, ut illorum puellorum, et puellarum, qui debent christianae doctrinae interesse, habeatur catalogus, signans qui defuerint, qui fuerit assidui, ostendaturque Ordinariis, cum tempus visitationis advenerit.

Paterne commonet genitores, et tutores, et dominos, qui sua in custodia habent pueros, et puellas, ne permittant, eos, et has ab hac tam salubri instructione, quae a parochis fiet in explicatione christianae doctrinae abesse; imo si sciunt, eos, et has non intervenire, severe in illos animadvertant; reputantes qua poena afficientur a Deo, si sua negligentia illi rerum ad salutem attinentium erunt ignari.

D. Romae die V oct. a. 1719.

XLVII.

Confirmatio decreti sacrae Congregationis
de confessione quoad Parochos.

CLEMENS VIII ad p. r. m.

Incipit *Ad Romanum, etc.* (2).

Sacra Concilii Congregatio propositum dubium, an Parochus approbatus ad confessiones pro sua Ecclesia, possit ubique in eadem dioecesi confessiones audire, solvit respondens, *non censeri.*

Hoc responsum Clemens confirmat. N. O.

D. Romae apud S. Marcum die XXVI oct. P. a. V. a D. 1596.

(1) Ib. p. 251.
(2) B. F. t. 5 p 2 p 136. C. C.

XLVIII.

Assignatio portionum Vicariis parochialibus perpetuis.

PIUS V ad p. r. m.

Incipit *Ad exequendum etc.* (1).

Ecclesiae Praelati in Vicariis perpetuis ecclesiarum parochialium, monasteriis, beneficiis, locis piis unitarum ita tenues proventus dabant Vicariis, ut vix possent vitam ducere.

Hinc male agebant munera parochialia, et potius negotiis incumbebant, ex quibus ad vitam necessaria substentandam traherent.

Pius ergo hos miseros Vicarios respiciens iubet, ut pro animarum quantitate, pro laboribus insumendis detur iis summa intra quinquaginta, et centum scuterum vel maior, vel minor habita ratione reddituum Ecclesiae, quos Prelati percipiunt.

Ad Vicarios autem pertinebit solvere quindennia camerae Apostolicae pro rata portione.

Nominentur Vicarii ab iis, ad quos Ecclesia spectat, et examinentur ab Ordinariis;

Vicarii autem regulares nominentur a Superioribus, et approbentur ab Ordinariis. N. O.

Datum Romae apud S. Petrum kal. nov. P. a. II. a. D. 1567.

(1) B. M. t. 2. p. 259. - B. R. t. 4. p. 2. p. 401. C. C.



DE CLERICIS.

I.

Quis ordo sit tenendus a Clericis inter se.

GREGORIUS IX Universo Clero.

Incipit *In universalis etc.* (1).

Decet, ut ecclesiastica Hyerarchia conformis sit coelesti; in ea est distinctio munerum, chororum divisio iuxta spirituum ministeria.

Ergo in Ecclesiis primum locum obtineant Presbyteri, secundum Diaconi, tertium Subdiaconi, tum Acolythi etc. iuxta ordines suos omnes.

Nulli ergo, etc.

D. Later. IV Id. Maii P. a. V. a. D. 1231.

« Gregorius Magnus ita lib. I. epistol. 44. alias 42. ad Petrum » Siciliae subdiaconum; *ante triennium subdiaconi omnium ecclesiarum* » *Siciliae prohibiti fuerant, ut more Romanae ecclesiae, nullatenus suis* » *uxoribus miscerentur*, et lib. 4. ep. 36. alias 34. ad Leonem Episco- » pum Catanensem, *ex auctoritate nostri decessoris* (Pelagii II) *est isto* » *modo prohibitum, ut eodem tempore hi* (subdiaconi) *qui iam uxoribus* » *fuerant copulati, unum ex duobus eligerent, idest aut a suis uxoribus* » *abstinerent, aut certe nulla ratione ministrare praesumerent.* A Romana » ad alias occidentis Ecclesias ea consuetudo permanavit, atque inde » Subdiaconatus ordo e minoribus eximi coepit, et maioribus, ac sacris » annumerari. *Multum nihilominus*, ut ait Bona lib. I. Rer. Liturgic. » cap. 25. §. 16. *tempus intercessit antequam certa, et inviolabili lege* » *inter sacros recensitus sit. Etenim Petrus Cantor, qui vivebat anno* 1200, » *relatus a Menardo* in lib. Sacram. pag. 494 *ait*: De novo institutum

(1) B. R. t. 3. p. 1. p. 268. C. C.

» est, Subdiaconatum esse sacrum ordinem. *Diffuse agit de Subdiaconorum continentia* Lupus part. 4. Synodorum Dissert. I. Proemiali c. 3. et Ludovicus Thomassinus de vet. et nova Ecclesiae disciplina P. I. Lib. 2. cap. 3. 61. 62. 63. » Sandinus in vita Pelagii II. n. 5.

II.

Clerici induti cotta praecedant Clericos cotta non indutos.

ALEXANDER VII ad f. r. m.

Incipit *Alias emanavit, etc.* (1).

Respondet sacra Congregatio Rituum dubio proposito a Clericis Saguntinae Ecclesiae, *num Clericis indutis cottis preferendi videantur Acersecomites Episcopi interessentes sine cotta?*

Clericos indutos cotta, seu alio ecclesiastico indumento praeferendos esse privatis personis, seu aliter clericis nullo chorali, seu ecclesiastico indumento suffultis.

Quod responsum Alexander confirmat. N. O.

D. Romae apud S. M. Maj. die XXVII. Nov. P. a. IX. a D. 1663.

III.

Clerus saecularis praecedat regulares etiam in Ecclesiis Monasteriorum.

CLEMENS VIII ad p. r. m.

Incipit *Alias a nobis, etc.* (2).

Mandaverat alias Clemens, ut clerus saecularis in Hispaniis praecedentiam haberet super regularibus cuiuscumque ordinis.

Regulares tamen dicebant, hanc praecedentiam negandam clero in Ecclesiis sui ordinis.

Declarat Clemens, etiam in Ecclesiis monasteriorum dandam esse praecedentiam clero saeculari. N. O.

D. Romae apud S. Petrum die XVI nov. P. a. XI. a. D. 1602.

(1) B. R. t. 6. p. 5, p. 339. C. C.

(2) B. R. t 5 p 2. p. 479. C. C.

IV.

Praecedentia assignatur Clero saeculari in Regno Mexicano.

PAULUS V Archiepiscopo Mexicano.

Incipit *Exponi nobis, etc.* (1).

In Mexicano regno Regulares eo, quod primi in illud erant ingressi praeccedentiam super clero saeculari sibi arrogabant.

Paulus, hoc non obstante, illam assignat clero saeculari in processionibus, in actibus publicis, et super Monachis, et super Mendicantibus, aliisque cuiuscumque instituti.

Idem Mexicanus Archiepiscopus deputatur Bullae huius executor, ita ut etiam censuras expediat in non parentes. N. O.

D. Romae apus S. M. Maj. kal. dec. P. a. X. a. D. 1614.

V.

Significat Pontifex Patriarchae Aquileiensi quid in Clericos concubinarios, et simoniacos statuerit Romana Synodus.

GREGORIUS VII Sichardo Coëpiscopo Aquileiensi.

Incipit *Fraternitatis tuae, etc.* (2).

Aquileiensem Patriarcham certiorem facit Gregorius, quae fuerint in Romana Synodo novissime habita contra Clericos concubinarios, et simoniacos decreta.

I. Clericus Presbyter, vel Diaconus, vel Subdiaconus concubinam habens, nisi illam dimiserit, et poenitentiam dignam egerit, removeatur ab altari, nec ulterius beneficio Ecclesiae fruatur.

II. Simoniaci *absque ulla spe recuperationis deponantur.*

Dat. Romae decimotertio kal. Aprilis Indict. XIII. ann. 1075.

(1) B. R. t. 5. p. 4. p. 169. C. C.
(2) B. R. t. 2. p. 32. C. C.

VI.

Eadem significantur Archiepiscopo Coloniensi, probaturque Ecclesiam haec statuere potuisse.

GREGORIUS VII Annoni Archiepiscopo Coloniensi.

Incipit *Constat Ecclesiam, etc.* (1).

Coloniensi Archiepiscopo quoque exponit Gregorius, quae decreverit Romana Synodus in Clericos concubinarios, et simoniacos.

Eique probat, Ecclesiam Romanam habere hoc ius statuendi, quae ad sanctitatem ministrorum altaris pertinent; namque Petrus hoc ius a Christo Domino accepit; cum etenim illi dixit *pasce agnos meos*, dedit etiam illi facultatem statuendi, quae ad hoc pabulum possent conducere et illa removendi, quae illud possent impedire; praeterea si quaelibet potestas hoc ius habet, multo magis Ecclesia, quae est suprema omnium.

Probatque obedientiam esse illi in his decretis ab omnibus praestandam; namque Christus est qui statuit, quem spernit, quicumque Romanam Ecclesiam spernit; Christus est qui loquitur in suo Vicario.

Acerbius ad Archiepiscopum Gregorius scribit, quia Henrico IV Imperatori favebat.

D. Romae tertio kal. apr. Indict.

VII.

Eadem exponuntur Archiepiscopo Magdeburgensi.

GREGORIUS VII Wezelino Archiep. Magdeb.

Incipit *Legimus Josue, etc.* (2).

De coërcenda clericorum libidine, et simonia quid decreverit Romana Synodus, scribit Gregorius etiam ad Episcopnm Magdeburgensem.

Eumque hortatur ad obedientiam praestandam his decretis, et ad vigilantiam super Clerum suum.

D. Romae III. kal. apr. Indict. XIII. a. 1075.

(1) Ib. C. C.
(2) Ib. p. 33. C. C.

VIII.

Clericorum libidinosorum appellationes ne attendant Episcopi.

GREGORIUS IX. Archiepiscopis, Episcopis, etc.

Incipit *Desiderantes plurimum, etc.* (1).

Quia nonnulli Clerici, *ut jumenta in fornicatione iacentes*, *Episcoporum mandatis* parere nolebant, neque Episcopi poterant ad ulteriora progredi, quia hi clerici appellationem interponebant.

Pontifex vult, ut Episcopi porro pergant, nulla habita ratione appellationis ab concubinariis ad s. Sedem factae, et eos corrigant, et puniant, nec cessent, *nisi litterae Pontificiae contineant seriem facti*, *et plenam de ipso mentionem fecerit.*

Nulli ergo etc. Si quis, etc.

D. Anagniae V kal. sept. P. a. I. a. D. 1227.

IX.

In Clericos peccantes contra naturam.

PIUS V ad p. r. m.

Incipit *Horrendum illud, etc.* (2).

Clericos contra naturam peccantes praeceperat Concilium Lateranense segregari a Clero, et in aliquod monasterium conjici.

Pius vult eos puniri gravius; nempe vult, omni privilegio, beneficio, dignitate, et officio clericali spoliari, et degradatos dare iudici saeculari qui de illis supplicium illud sumat, quod sumendum de laicis huius infandi criminis reis leges iubent.

Nulli ergo, etc.

D. Romae apud S. Petrum III kal. sept. P. a. III. a. D. 1568.

(1) B. R. t. 3. p. 1. p. 250. C. C.

(2) B. M. t. 3. p. 287. B. R. t. 4. p. 3. p. 33. C. C.

X.

Poena in Clericos insectantes suos Episcopos.

GREGORIUS VII. Lucensi Clero, et populo.

Incipit *Clerum vestrae, etc.* (1).

In Clericos suis Episcopis infestos, eos accusantes, eos insectantes, praedecessorum suorum Pontificum Fabiani, et Stephani decreta renovat Gregorius.

Hi iubent, ut Clerici eiusmodi summoti a Clero tradantur alicui monasterio, *cui diebus vitae suae inserviant, et infames sine spe restitutionis permaneant.*

Iam Clerici simul cum populo Ecclesiae Lucensis erant Episcopo suo adversi, in eum ficta crimina ingerebant, illum insectabantur.

Eos ergo monet Gregorius, si non desistant ab hac iniusta insectatione, se eos puniturum, ut supralaudati Pontifices decernunt.

D. Romae kal. oct. Indict. III. a. 1079.

XI.

Poenae in Clericos mentientes aetatem, vel litteras, ut ordinentur.

PIUS II ad p. r. m.

Incipit *Cum ex sacrorum, etc.* (2).

Quidam Clerici *se faciebant ad sacros ordines promoveri extra tempora*, vel mentientes aetatem legitimam a canonibus statutam, vel litteras dimissorias fingentes, aut nullas habentes omnino.

Ut puniat, et alios deterreat ab ordinibus ita accipiendis, statuit Pius, ut taliter ordinati sint ab exercitio ordinum in perpetuum suspensi,

(1) B. R. t. 2. p. 53. C. C.

(2) B. M. t. 7. p. 372. - B. R. t. 3. p. 3. p. 1'9. C. C.

et ipso facto irregularitatem incurrisse censeantur, et praeter alias poenas Pontifici reservatas, priventur etiam beneficiis ecclesiasticis.

Haec constitutio liget Romanos post quindecim dies a publicatione, Italos post duos menses, Ultramontanos post sex.

Nulli ergo, etc.

D. Romae apud S. Petrum XV kal. dec. P. a. IV. a. D. 1461.

XII.

Confirmatio quorumdam decretorum observandorum a Clericis Urbis, et Orbis.

EUGENIUS IV ad p. r. m.

Incipit *In Apostolicae, etc.* (1).

Vicarius Pontificis quaedam edidit decreta pro Clericis Urbis, quae cum multa generalia ad Clericos omnes spectantia contineant, hic apponimus; quae oblata Pontifici confirmantur. Eorum hic est tenor;

Daniel Episcopus Ferentinus, etc.

I. Portantes Canonici pluvialia in processionibus sint viciniores Vicario, vel eius locumtenenti; immediate eant Archipresbyteri Ecclesiarum Cardinalium bini et bini; antiqui Canonici praecedant, tum Presbyteri, diaconi, subdiaconi, aliique clerici.

II. Dum processionaliter incedunt, orent, nec inter se colloquantur.

III. Clerici et beneficiati ne retineant domi concubinas, et mulieres, de quibus sit suspicio.

IV. Filii presbyterorum etiam legitimi ne inserviant genitoribus suis in sacris ministeriis.

V. Nullus Clericus, nisi senex, accedat sine licentia Vicarii ad monasteria Monialium;

(1) B. R. t. 3 p. 3. p. 4. C. C.

VI. Nec quisquam Clericus ludat *ad arandum, ad taxillos, ad aleas, nec sorte;* non migret in tabernas, nec in loca publica, *ubi luditur pecunia, aut vinum:*

VII. Ne ferat Clericus *manicas ad saccam, aut largas ad morem hominum saecularium sub poena de auferenda veste:*

VIII. Nec ferat *caligas divisatas, seu solutas, aut caputium, quad ultra unam cannam panni contineat; nec deferat arma offensiva;*

IX. *Portet camam patentibus auribus; coronam rotunditatis unius magnae hostiae ferat, contrarium faciens nullo gaudeat clericali privilegio.*

X. Nullus beneficiatus, qui non inservit Ecclesiae, percipere possit quotidianas distributiones;

XI. Hi beneficiati non possint exercere officia saecularia.

XII. Nec Clericus exerceat artem interdictam;

XIII. In officio Vicariatus audientiae causarum duo Clerici sint Notarii;

XIV. Simplex denunciatio sufficiat ad procedendum contra Clericos, et Beneficiatos agentes contra haec;

XV. Quicumque ab intestato moritur, nec relinquit ubi velit sepeliri, sepeliatur in illa Ecclesia, intra cuius confinia est mortuus, et funus totum sit eius Ecclesiae.

Si sepeliatur aliquis in alia Ecclesia, non in sua parochiali, parochialis nihilominus habeat suam canonicam portionem.

Nulli ergo, etc. Si quis, etc.

D. Romae apud S. Petrum VIII kal. Mar. P. a. I. a. D. 1432.

XIII.

Poenae in Clericos non deferentes clericalem habitum.

SIXTUS V ad p. r. m.

Incipit *Cum sacrosanctum, etc.* (1).

Sancitur constutio haec contra Clericos non incedentes habitu clericali,

Contra quos antiqua poena renovatur a Sixto, ut careant privilegiis, et immunitatibus clericali characteri annexis.

(1) B. M. t. 2. p. 712. - B. R. t. 5. p. 1. p. 62. C. C.

Ergo posthac tam Clerici, quam milites habentes beneficia induant habitum statui suo convenientem; alioquin nisi, qui in curia sunt infra quindecim dies, qui ultra montes infra octo menses, qui citra montes infra quatuor a publicatione huius, clericalem habitum induerint, priventur omni beneficio, immo omni iure ad beneficium, deturque aliis.

Militibus autem omnes pensiones adimantur, et tam Clerici, quam hi reddantur inhabiles ad officia percipienda.

Mandatur Ordinariis, ut hanc Constitutionem publicari faciant, et observari.

Nulli ergo, etc.

Dat. Romae apud S. Petrum V Id. ian. P. a. IV. a. D. 1588.

XIV.

Decreta de habitu, celebratione Missae etc.

INNOCENTIUS XII – Edictum

Incipit *Volendo la Santità, ecc.* (1).

Cum vellet Innocentius observari ad amussim canonicas sanctiones circa habitum Clericorum, haec publicari mandat;

I. Ut omnes Clerici incedant ab ortu solis ad mediam noctem cum habitu talari, et tonsura clericali.

II. Ut nemo nutriat comam, sed aures pateant, multo minus gestetur fictum capillitium,

III. Inobedientes poena carceris, et solutione decem scutorum puniantur,

IV. Et poena inhabilitatis ad munera ecclesiastica;

V. Occasione autem itinerandi permittitur usus breviorum vestium;

VI. Clebrantes sine veste talari propria, cum qua quisque debeat in Ecclesias ingredi, iisdem poenis mulctabuntur;

VII. Sermones inanes in sacristiis prohibentur, et etiam usus fumi tabacci, et nisi sacristae hos abusus tollant, puniantur,

(1) B. M. t. 7. p. 252.

VIII. Nullos Sacerdos admittatur ad celebrandum in aliquam Ecclesiam, nisi litteras dimissoriales sui Ordinarii ostendat,

IX. Nec celebret quisquam cum ficto capillitio,

X. Missa non sit brevior viginti minutis, dicentes eam intra brevius tempus suspendantur,

XI. Ut quis celebret in Ecclesiis Monialium, requiritur specialis licentia;

XII. Tempus celebrandi est ab hora una ante auroram, usque ad horam unam post meridiem;

XIII. In domibus Canonicorum communibus mulieres non habitent;

XIV. Domus Parochorum prope Ecclesias, quae habent portam in Ecclesia, non locentur laicis;

XV. Sacerdotes, et Clerici causas pure civiles ante iudices laicos nisi permissas a canonibus, non agant;

XVI. Nullus Clericus gestet arma, neque praetextu venationis,

XVII. Hoc Edictum habeatur expositum in sacristiis.

D. Romae die XX nov. a. 1691.

XV.

Confirmatio veterum, et additio novorum decretorum de honestate habitus clericalis.

CLEMENS XI – Edictum.

Incipit *La Santità*, ecc. (1).

Cum deceat, *Clerum illum esse ordinatissimum, ex quo praecipue in omnem Ecclesiam Cleri forma procedit*, ut ait D. Bernardus, hinc Clemens quaedam nova hic edit decreta, quaedam vetera a superioribus Pontificibus sancita confirmat, circa honestatem, et habitum clericalem;

I. Ut quisque veste talari incedat,

II. Ut nemo comam colat, et quisque gestet tonsuram,

(1) B. M. t. 8 p. 452.

III. Nemini permittatur sine veste talari accedere ad altare,

IV. In sacristiis Clerici vanos sermones non habeant;

V. Regulares deputent aliqoem, qui recens promotos ad sacerdotium caeremonias doceat.

VI. Ante auroram ne dicatur Missa, neque post horam unam post meridiem.

VII. In Canonicis domibus mulieres ne habitent,

VIII. Clerici advocatiam in civilibus, et criminalibus ante iudices laicos ne agant;

IX. Ne ferant arma cuiuscumque generis; si occasio feret ea gestandi, gratis dabitur licentia ea deferendi;

X. Superiores admonentor, ut haec observari faciant;

XI. Et sacristae iubentur haec publice in sacristiis habere exposita.

D. Romae die VII dec. a. 1706.

XVI.

Iubentur Ordinarii punire Clericos non incedentes habitu clericali.

BENEDICTUS XIII ad p. r. m. M. P.

Incipit *Apostolicae Sedis, etc.* (1).

Mandat hac Constitutione Benedictus omnibus Ecclesiae Praelatis, ut poenis a canonibus sancitis eos Clericos coërceant, qui ordinibus initiati incedunt in habitu non clericali.

Si sint beneficiati, ejiciantur a suis beneficiis, quae aliis dentur, et eos esse reos letalis culpae, ait, si non restituant fructus beneficiorum usque adhuc perceptos, qui fructus fabricae Ecclesiarum applicentur, et a nemine ab hac perceptione absolvi possint nisi, a Romano Pontifice;

Non beneficiati, inhabile sint ad beneficia consequenda; non Sacerdotes, ne ad sacerdotium promoveantur, etc. N. O.

Nulli ergo, etc.

D. Romae apud S. Petrum VI non. maj. P. a. I. a. D. 1725.

(1) B. M. p. 7. vel t. 13. p. 157. - B. R. t. 11. p. 2. p. 400. C. C.

XVII.

Qui sint excepti a deferendo habitu talari.

SIXTUS V ad p. r. m.

Incipit *Pastoralis est, etc.* (1).

Nonnulli Clerici pensiones admodum tenues habentes, et quidam familiares Pontificis variis obsequiis, et ministeriis addicti non sine gravi dispendio, et impedimento habitum clericalem, eo quod huc illuc ire debent, gestare possunt, nempe vestes talares.

Illis qui non habent, nisi sexaginta scutorum pensionem, et actu familiares sunt, non gerant vestem talarem; milites tamen gestent Crucem, seu numisma propriae militiae.

Auctis autem pensionibus, mutatisque officiis, talarem vestem induant.

D. Romae apud S. Petrum prid. kal. febr. P. a. IV. a. D. 1588.

XVIII.

Clerici comoedias ne repraesentent.

CLEMENS XI – Epistola.

Incipit *È pervenuto, ecc.* (2).

Audierat Clemens, quosdam Clericos acturos esse comoediam in urbe Aquilae.

Scribit itaque Vicario Capitulari eius urbis, ut id iis vetet sub poenis a sacris canonibus denunciatis, cum hoc sit indignum habitu clericali, etiamsi illae repraesentationem futurae essent de historiis sacris.

D. Romae die XXXI oct. a. D. 1706.

(1) B. M. t. 2. p. 714. - B. R. t. 5. p. 1. p. 45. C.C.
(2) B. M. t. 8. p. 409.

XIX.

Ne advocatiam suscipiant Clerici.

CLEMENS VI – Decretum.

Incipit *Primo fuit*, *etc.* (1).

Advocatia civilis ante iudices saeculares vetita semper fuit Clericis a sacris canonibus.

Ergo statuit Clemens, ne Clerici possint suscipere patrocinium causarum in curia Capitolina, neque in aliis curiis, nisi de licentia Sanctissimi;

Item, ne circa solutionem dilationum quinquennalium admittatur ab iis cautio iuratoria.

D. Romae die IX febr. a. D. 1708.

XX.

In Clericos mercaturam exercentes.

BENEDICTUS XIV ad p. r. m.

Incipit *Apostolicae servitutis*, *etc.* (2).

Contra Clericos eo avaritia ductos, ut mercaturam si non per se, at per alios exercere audeant, est haec edita a Benedicto constitutio, qua renovat in eos praedecessorum Pontificum decreta, et poenas, spoliisque subjicit eorum bona.

Interim monentur laici, ut negotia suscepta vel cum Clericis, vel pro Clericis intermittant.

Monentur etiam Clerici, ut, si hereditario iure quaedam negotia ad eos devenerint, quam citissime illa absolvant; et si negotia sint eiusmodi, ut statim dimitti non possint, si Clerici sint intra Italiam, a Congre–

(1) Ib. p. 464.
(2) B. M. t. 16 p. 19.

gatione super Concilio licentiam negotiandi exposcant; si extra, a suis Ordinariis; et Congregatio et Ordinarii perpensis circumstantiis, gratis iis dent licentiam, tempusque praescribant, quo elapso, si negotiari perseverent, eorum bona spoliis subiaceant.

Caeterum etiam exempti a spoliis, non intelligantur exempti a spoliis, quoad bona per negotiationem acquisita. N. O.

Nulli ergo, etc.

D. Romae apud S. M. Maj. V kal. mart. P. a. I. a. D. 1740.

XXI.

Eadem inhibitio mercanturae exercendae sit Clericis.

CLEMENS XIII Patriarchis, Primatibus, etc.

Incipit *Cum primum, etc.* (2).

Non obstante praedicta Benedicti constitutione, factus certior Clemens a praedicatoribus verbi Dei praecipue, qui provincias peragrant, plurimos Clericos negotiationi esse addictos, ut vitium hoc ab Ecclesiae ministris saecularibus, et regularibus omnino eliminet, hanc edidit constitutionem:

Hortatur ergo primum Ecclesiae praelatos, ut omnes industriae nervos intendant, ut hoc malum, quod aliorum malorum est radix, penitus a Clericis suarum Dioecesum avellant;

Omnes constitutiones superiorum Pontificum (quae desunt in U. B. praeter praecedentem Benedicti) innovat, vultque, eas observari a Clericis saecularibus, et regularibus, cuiuscumque sint ordinis, instituti, societatis; dans facultatem Ordinariis contra hos etiam exemptos procedendi iuxta methodum a Concilio Tridentino praescriptam, et traditam;

Eosque monet, ne fallantur artibus horum Clericorum, qui mentito nomine negotiantur, mentitosque rationum libros habent.

Cavere etiam debent Ordinarii, ne hi per subtiles interpretationes velint ecclesiasticas sanctiones haec negotia vetantes intelligere; si

(1) *In folio separato.*

aliqua oriatur super his difficultas, distractaeque siut opiniones, ad S. Sedem confugiant, quae verum illarum sensum exponet.

Cum autem hac occasione expostulatnm fuisset, num *Cambium acticum Clericis esset permissum,* declarat Clemens, et definit, *Cambium acticum natura sua esse actum verae negotiationis, et propriae;* ac proinde debere esse vetitum Ecclesiasticis, et qui illud exercent suo, vel alieno nomine, subiici poenis iam statutis contra Clericos negotiatores.

Quod si quis velit se excusare ob summam indigentiam (ad quam certe redigi non potest, cum habeat suum patrimonium, *et quam repellere potest artibus suae professioni conformibus*), eo quod debet *ex naturalis officii debito consulere sororibus, parentibus, etc.* non excusatur: debet enim has circumstantias, ut iussit Benedictus, exponere vel Congregationi, vel Ordinariis, et ab ea, vel ab his impetrare veniam negotiandi.

Curia autem in dandis his licentiis sit cauta, neque permittat nisi negotiationem eam, quae non valde dedeceat clericalem statum.

Qua indigentia cessante, cessare intelligatur et impetrata negotiandi facultas.

Damnat etiam morem quorumdam Clericorum, qui cum bona Ecclesiae alicuius administrare debeant, modis omnibus indirectis administrant; *omnibus nundinis, omnibus mercatoribus laicali propemodum apratu, et specie se sistunt pro distractione fructuum, animalium, etc.*

Multo magis autem eos damnandos decernit, qui potentiorum vilibus obsequiis se addicunt, eorumque redditus administrant.

Monet Ordinarios, ut propterea neminem ad ordines admittant, nisi liquido constet, eos revera habere aut beneficium, aut domesticum patrimonium, quo honeste vivere possint, quin indigeant, negotiatione sibi victum comparare.

Ut autem liberum sit Episcopis in hoc genere agere, quae expedire crediderint, quasdam facultates reservatas Romanae Curiae iis permittit.

D. Romae apud S. M. Maj. die XVII sept. P. a. II. a. D. 1759.

XXII.

Ecclesiastici sine licentia Ordinarii ne accedant, ad monasteria Monialium.

BENEDICTUS XIV Archiepiscopis, Episcopis, etc.

Incipit *Gravissimo animo, ecc.* (1).

Non sine gravi animi moerore, ait Benedictus, se accepisse, quosdam Ecclesiasticos audere accedere ad monasteria Monialium, et cum illis serere sermones sine licentia Ordinariorum.

Quod malum ut avertat, renovat predecessorum Pontificum decreta hoc inhibentium, et decernit,

Nullum Ecclesiasticum regularem, vel saecularem, cuiuscumque sit dignitatis, etiam Episcopos, in aliena dioecesi accedere posse ad Moniales, non obtenta prius ab Ordinario permissione; Ordinarius enim a sacris canonibus datus est custos clausurae Monialium.

Quia tamen Episcopi in Clericos non suos non habent vim coactivam, ac proinde eos punire non possunt, monet eos, ut, si aliquis Clericus saecularis, regularisve sine licentia ad monasterium accesserit certiorem faciant vel Pontificem, vel congregationem Cardinalium super regularibus, et Pontifex, vel congregatio aget, quod putabit expedire.

D. Romae apud S. M. Mai. die XXXI oct. P. a. X. a. D. 1749.

XXIII.

Num deceat vetare, ne Clerici saeculares in aliquo gradu constituti possint migrare ad ordines Regulares.

BENEDICTUS XIV Angelo Mariae Cardinali Quirino Episcopo Brixiensi.

Incipit *Ex quo, etc.* (2).

Leander Chizzola Archidiaconus Ecclesiae Brixiensis ex improviso disgressus Brixia, Cardinali Angelo Maria Quirino editis in lucem ope–

(1) B. M. t. 18. p. 54.
(2) B. M. t. 17. p. 101.

ribus clarissimo eiusdem Ecclesiae Episcopo inconsulto, Bononiam se contulit, et societati Iesu nomen dedit.

Displicuit hoc consilium Cardinali, quia Brixiensis Ecclesia spoliabatur magno ornamento, pauperes adiumento summo; et coram, et per epistolas non destitit excitare Pontificem, ut pontificia auctoritate apponeret aliquod remedium, ne Clerici libere, inconsultis Ordinariis possent ad ordines regulares transire.

Respondet Benedictus, duo esse hic distinguenda, peculiare negotium Archidiaconi, et generale constitutum, quod a Pontifice exposcitur.

Ad primum respondet, quod responderat s. Pontifex Gregorius magnus Desiderio Episcopo Viennensi in Gallia in simili prorsus casu cum Pancratius Diaconus amplexatus esset monasticum ordinem, et Episcopus eum vellet inde abducere, *pastorali admonitione succendite, ut fervor huius desiderii in eo non torpescat.* Et tamen Pancratius erat mancipatus in clericatus officio Ecclesiae Viennensi, hoc est, ut ait Thomassinus *de Beneficiis p.* 11. *l. I. c.* 3. *ut Clericos Episcopo ordinanti per omnia subesset, et eius Ecclesiae ministerio perpetuo inserviret.*

Quod vero Cardinalis querebatur, Archidiaconum, Episcopo suo inscio, discessisse, hoc tribuendum esse, ait Benedictus metui reverentiali, non negligentiae, non contemptui. Metuebat enim, ne, si cum illo hoc consilium communicasset, ab illo exequendo dimoveretur.

Ad partem secundam respondet Pontifex, iam fuisse provisum huic rei a Concilio Toletano, in quo canone L. legimus, *Clericis, qui Monachatum appetunt, quia meliorem vitam sequi cupiunt, liberos ab Episcopo in monasteriis largiri oportet ingressus, non interdici propositum eorum.*

Concordat Divus Thomas cum hoc canone 2. 2. *q.* 189. *a.* 7. ubi quaestionem proponit, utrum *Presbyteri Curati possint licite ingredi religionem*, et affirmative eam resolvit.

At interdum casus incidunt, in quibus superior ordinis, antequam in ordinem accipiat confugientem Clericum, debet cum Episcopo consultationem habere. Certe D. Augustinus testatur, se cum Alipio egisse, ne Comes Bonifacius monasticam vitam capesseret, ob egregiam operam, quam navabat Ecclesiae, et Reipublicae.

Certe videtur Clericus dioecesanus abiturus in aliquem ordinem, ob reverentiam, et obedientiam, quam pollicitus est Ordinario suo in promotione ad presbyteratum, debere suum superiorem certiorem de hoc consilio facere.

Sed magis ad vivum rem Pontifex secat, et ait, tria hic esse consideranda.

I. An Presbyter transiturus ad claustra discedens ab Ecclesiae servitio permissionem ab Episcopo petere debeat?

Nemo dubitat, hanc facultatem debere Clericum ab Episcopo petere, sicut enim ab Episcopo desponsatus fuit illi Ecclesiae, ita videtur ab ea dissolvi non posse, quin ab Episcopo licentiam petat.

II. Quid ipsi faciendum sit, si Episcopus dissentiat? Sed Episcopus dissentire non potest, cum Clericus transeat ad statum meliorem, ad vota solemniora.

III. Quid statuendum sit de beneficio, quod Clericus obtinebat? Per ingressum in religionem Clericus non tenetur illud renunciare; siquidem non est certus, num ibidem morari possit; ad professionis tempus renunciare debet, et simul ac est professus, beneficium censetur vacare. Ita docent omnes auctores.

Sed tamen urgebat Card. Quirinus, statuatur, ut superiores ordinum consilium capiant ab Episcopo, cum illo consulant, num sit Clericus recipiendus.

Respondit Benedictus; ita fieri deberet; sed tamen non supponitur in Clerico transeunte ad ordinem strictiorem neque inconsideratio, neque inconstantia; ac proinde omnis consultatio videtur supervacanea.

Caeterum sicut licet in quibusdam casibus, ut docet Innocentius IV, superiori regulari revocare subditum suum, qui a suo ad alium strictiorem ordinem migravit, ita potest Episcopus certis in casibus, et certis de causis Clericum revocare; ita idem Innocentius; *sed si Ecclesia graviter laederetur, esset revocandus.*

Iam parva, immo nulla laesio affertur Ecclesiae ex amissione Archidiaconi, cuius munus ut antiquitus erat magni momenti, ita nunc reducitur ad assistentiam Episcopo ordinanti faciendam.

Potest objici, multum eum opitulatum fuisse pauperibus, potest et opitulari in claustris; esse senem; at quot religiosi in claustris senes non sunt?

Concludit Benedictus, *ex centum Archidiaconis vix unum invenies*, qui velit illud deponere officium, ut ingrediatur in religionem; in pari numero Fratrum invenies pene omnes, qui vellent relinquere religionem et fieri Archidiaconi.

Pontificia ergo constitutio esset inutilis.

D. R. apud S. M. Maj. die XIV ian. P. a. VII. a. D. 1747.



INDEX

EPITOMES PONTIFICIARUM CONSTITUTIONUM SELECTARUM

PRAEFATIO EDITORIS . . . . pag. III

De Theologicis Constitutionibus.

I. De Incarnationis Mysterio . . . 1
II. De Divinitatis et Incarnationis Mysterio 2
III. Contra Theodorum Mopsuestiae Episcopum 4
IV. De eodem argumento 7
V. Joannes XXII exponit suam opinionem de visione Dei, retractatque si quid aliter dixit . . . . . ibi
VI. Deciditur quaestio de visione Dei . 8
VII. Imponitur silentium quaestioni de sanguine Christi 9

De Baptismo.

I. Tempora dandi baptisma . . . 10
II. De tempore conferendi baptisma, et de modo confitendi 11
III. Servi redeuntes ex captivitate, ignorantes, num sint baptizati, sunt baptizandi; haeretici revertentes ad fidem nequaquam baptizandi sunt . 12
IV. Abusus introductos in administrationem baptismatis tollit Felix III . . . . ibi
V. De baptismate infantium, et adultorum Iudaeorum 13
VI. Avia iudaea potest offerre nepotem ad baptisma, filio praemortuo 17
VII. De cognatione in hoc sacramento contracta 20

De Sacramento Confirmationis.

I. Permittitur Indiarum Episcopis succus quidam pro balsamo adhibendus in sacro chrismate 21
II. Episcopi Portugalliae, et Algarbiorum possint conficere chrisma cum balsamo orientali . . . . . . ibi

De Sacramento Poenitentiae

I. Damnatio errorum Ioannis de Polliaco de hoc sacramento . pag. 22
II. Proscriptio propositionum allatarum in defensionem praedictorum errorum 23
III. Alii errores (qui non apponuntur) damnantur 24
IV. Propositiones Petri de Osma sub censuris ecclesiasticis interdicuntur . 25
V. Fieri confessio non potest inter absentes poenitentem, et confessarium . 26
VI. In sollicitantes ad turpia in confessione . . . . ibi
VII. Explicatio praedictae constitutionis de sollicitatione 27
VIII. Confirmatio praedictarum constitutionum: poenitentibus falso accusantibus confessores absolutio negetur: complices scelerum ne admittantur ad confessionem . . ibi
IX. Dubitationes exortae ad partem ultimam praecedentis constitutionis, de socio scelerum, solvuntur . . 28
X. Ne exquirantur a confessariu socii criminis a poenitente 29
XI. Poena excommunicationis non absolvendae, nisi a R. Pontifice, infligitur sacerdotibus detorquentibus in alium sensum praedictam constitutionem 30
XII. Confirmatio praedictarum constitutionum de socio 31
XIII. Poenitentes requisiti a confessariis de sociis, confessariorum denuntient Inquisitoribus, et Inquisitores in eos procedant . . . . ibi
XIV. Opinionem quorumdam sacerdotum non probatorum ab Ordinariis, se posse audire confessiones vigore Bullae Cruciatae damnat Innocentius XII. 32
XV. Neque ex vi Bullae Cruciatae, neque cuiuslibet indulti, sacerdos

non approbatus potest eligi in confessarium . . . . pag. 33

De Matrimonio.

I. Graduum propinquitatis distinctio civilis non est sequenda in matrimonio, sed distinctio canonica . . 35
II. De mulieribus nuptis alteris in captivitate suorum virorum: de edentibus cibos idolis immolatos: de iterantibus baptisma Aquileiensi Episcopo consulenti resp. Leo I . . 36
III. Iudicium purgationis permittendum uxori criminatae 37
IV. De tollendis libidinum generibus, et abortibus; de non tenendis infantibus in lecto a genitoribus; de celebratione missae cum vino . . ibi
V. Responsio ad duo quaesita Episcopi Cenomanensis 38
VI. De non danda cautione a iudicibus mulieri de viro 39
VII. In exprimendis gradibus satis est si remotior exprimatur 40
VIII. Coniunctis cum aliqua cognatione spirituali ante Concilium Tridentinum non est opus apostolica dispensatione . . . . ibi
IX. Post Tridentinum Concilium matrimonia possunt iniri in gradibus affinitatis ex fornicatione (Excipe gradus primum, et secundum) . 41
X. Impedimentum publicae honestatis quando valeat ex decreto Tridentini Concilii 42
XI. Ministri Poenitentiariae pro obtinendis dispensationibus veritatem exprimant . . . . ibi
XII. Idem decernit Benedictus XIV . 43
XIII. Dispensationes matrimoniales post factum, ut facilius impetrentur, matrimonium, non debent concedi . ibi
XIV. Viri separati viventes impudice: parentes exponentes filias: deflorator patrem vel tutorem defloratae in carcerem detrudens, morte afficiantur . 44
XV. Poena mortis infligenda incestuosis 45
XVI. Matrimonia cum eunuchis, et spadonibus non permittantur . . 45
XVII. Poena homicidii imponenda abortum procurantibus, et excommunicatio maior 46
XVIII. Mitigatio Sixtinae bullae quoad excommunicationem . . . . . . ibi
XIX. Poenae in nubentes mentito nomine, uxore vivente 47
XX. De modo examinandi testes de libertate alicuius volentis nubere . ibi
XXI. De poena lenonum, et lenarum . 48
XXII. Catholici Capitanei non possunt cogi ab Episcopo s. Salvatoris ad praestandum in eius manibus iuramentum pro dispensationibus matrimonialibus . . . . . . pag. ibi
XXIII. Nuncius Poloniae derogare possit circa formam contrahendi matrimonia dispensata 49
XXIV. Episcopi Poloniae suorum curialium nimiam facilitatem in dirimendis matrimoniis coerceant . . ibi
XXV. Observantia sacrorum canonum in matrimoniis praescribitur Episcopis 50
XXVI. De concessione, et executione dispensationum apostolicarum super impedimentis matrimonii . . . 52
XXVII. Altera epistola de concessione, et executione litterarum apostolicarum 53
XXVIII. Provisiones, ne facile matrimonia dissolvantur 54
XXIX. Provisiones pro matrimoniis conscientiae 56
XXX. De matrimoniis in Belgio, utroque contrahente haeretico, vel alterutro 58
XXXI. In matrimoniis initis in Belgio inter catholicos coram magistratu civili, vel ministro haeretico, forma Concilii Tridentini non servata, interdicitur coniugalis copula, donec ea celebrentur iuxta formam praedicti concilii 60
XXXII. Confirmatio decreti congregationis Concilii super matrimoniis contractis ab iis, qui domicilium transferunt 61
XXXIII. Responsio epistolae Archiepiscopi Goani interrogantis, quid agendum de matrimoniis initis a mutantibus domicilium 62
XXXIV. Confirmatio Urbani decreti praecedentis 64
XXXV. Super abusu libelli repudii conversorum a iudaismo ad fidem catholicam 65
XXXVI. De matrimonii validitate inter virum iudaeum et mulierem haereticam 66
XXXVII. Cum neophytis in loco pio catechumenorum Venetus ad fidem conversis dispensatur super interpellatione prioris coniugis in infidelitate relicti, ut possint nubere fideli 67
XXXVIII. Super nullitate matrimonii Violantis Josephae Henriquez de Almada, et Francisci de Assis Sanchez de Baena 68

De Legitimationibus

XXXIX. Legitimatio filii, et filiae Philippi Galliae regis 70
XL. Bastardi possunt legitimari absque praeiudicio venientium ab intestato . 71

XLI. Et absque praeiudicio vocatorum ad fideicommissa . . . . pag. ibi
XLII. De bonis adquisitis ex beneficiis ecclesiasticis disponi non potest in favorem illegitimorum . . . 72
XLIII. Neque de bonis patrimonialibus pro filiis suis 73
XLIV. Rescriptio quaestioni, an filii procreati ex adulterio legitimentur per subsequens matrimonium . . ibi
XLV. Excommunicatur Fulco Andegavensis, quod non servarit divortium illegitimi matrimonii filiae suae aliaque patrarit 75
XLVI. Comes Gaufredus excommunicatur, quod pellicem habeat, vivente uxore; natique hinc filii excluduntur ab haereditate 76

APPENDIX

XLVII. De matrimoniis mixtis non permittendis 77
XLVIII. De matrimoniis mixtis . . ibi
XLIX. Declaratio Pii PP. VII circa quaestionem 78
L. De matrimoniis mixtis in Belgio, etc. . 79
LI. De potestate Ecclesiae statuendi impedimenta matrimonium dirimentia, in iisque dispensandi . . 80
LII. De potestate Ecclesiae iudicium ferendi in causis matrimonialibus . 81
LIII. De solutione matrimonii per malitiosam coniugis desertionem . . 82
LIV. De quaestione an matrimonium ob adulterium per civilem potestatem dissolvi possit . . . . . ibi
LV. De matrimonio coram parocho intruso, et magistratu civili . . . 84
LVI. De matrimonio celebrando coram officiali civili 85
LVII. De irritis et clandestinis matrimoniis in Gallia initis, nec non de sacramentis, et ecclesiastica sepultura horum reis concedendis vel denegandis 87
LVIII. De benedictione nuptiali, nec non de matrimoniis coram parocho intruso 88
LIX. Instructio Cardinalis Caprara Legati a latere in Galliis circa revalidationem matrimoniorum nulliter initorum 89
1.a Instructionis pars . . . . . ibi
2.a Instructionis pars 90
3.a Instructionis pars 91
Decretum quo apostolicae facultates demandantur . . . . ibi
LX. Rescriptum circa dispensationes matrimoniales in Galliis 92

De SS. Eucharistiae Sacramento.

I. Ab ieiuniis debet Sacramentum Eucharistiae accipi, et sub una tantum specie . . . . . . pag 93
II. Communicantes intra hebdomadam sanctam et Paschatis satisfaciunt praecepto communionis paschalis . 94
III. Non satisfaciunt praecepto communicantes a Dominica Palmarum usque ad octavam Paschatis extra parochiam sine parochi licentia . ibi
IV. Confessarii approbati ab Ordinario possunt examinari et a successore: et ad implendum praeceptum de comm. paschali debet ea fieri in propria parochia 95
V. Tempus pro communione paschali prorogatur in Polonia . . . . ibi
VI. Incolae in regno Peruano, et Paraguai satisfaciunt praecepto paschali si communicent ab dominica septuagesimae usque ab octavam Corporis Christi 96
VII. Donatio Hostiae perforatae, et Sanguine respersae Philippo Burgundiae Duci . . . . ibi
VIII. Poena in raptorem Hostiae consecratae 97
IX. Confirmatio praecedentis proxime bullae . . . . ibi
X. Nullae exceptiones admittantur pro surripientibus et retinentibus Hostias consecratas 98
XI. Solemnitatis Ss. Corporis Christi institutio: cum indulgentiarum largitione 99
XII. Auget Martinus V indulgentias . ibi
XIII. Aliud indulgentiarum augmentum . 100
XIV. Datur cuique Ordini facultas processionem faciendi infra octavam huius Festi . . . . ibi
XV. Indulgentia plen. intervenientibus processioni Ss Corporis Christi . 101
XVI. Modus interveniendi processionibus huiusmodi, etc. . . . . ibi
XVII. Sede vacante processio fiat non secus ac si Pontifex viveret . . 102
XVIII. Qui interesse processioni debeant 103
XIX. Institutio confraternitatis Ss. Corporis Christi in Ecclesia super Minervam de urbe . . . . . . ibi
XX. Indulgentiae confratribus Ss. Corporis Christi in Ecclesia B. Mariae super Minervam sodalitii . . . 104
XXI. Indulgentiae confraternitati super Minervam extenduntur ad confraternitates huiusmodi ubique. Indulgentia Sacramentum comitantibus ad infirmos 105
XXII. Indulgentia mittentibus luminaria ad delationem Ss. Sacramenti ad infirmos . . . . ibi
XXIII. Augentur indulgentiae pro comitantibus Ss. Sacramentum ad infirmos 106

XXIV. Indulgentia dierum centum confratribus comitantibus mortuos ad sepulcrum . . . . . pag. ibi
XXV. Confraternitati Ss. Corporis Christi erectae in Ecclesia s. Augustini datur facultas liberandi quotannis reum a supplicio . . . . . » 107
XXVI. Archiconfraternitas Ss. Sacramenti in Ecclesia s. Petri habet facultatem commutandi diem processionis cuilibet confraternitati aggregatae . . . . » ibi
XXVII. Facultas datur instituendi confraternitates Ss. Corporis Christi in Gallia . . . . » 108
XXVIII. Approbatio institutionis monialium Adorationis Corporis Christi in Gallia . . : . . . . . » ibi
XXIX. Approbatio congregationis Adorationis Corporis Christi in Ecclesia ad Martyres de urbe . . . . . » 110
XXX. Eadem congregatio erigitur in archiconfraternitatem . . . . . » 111
XXXI. Suppressio quarumdam confraternitatum, et libellorum . . . » ibi
XXXII. Indulgentia plenaria semel in mense pro Anglis sese communicantibus in Ecclesiis soc. Jesu . . » 112
XXXIII. Prorogatio praedictae indulgentiae ad annos quindecim . » ibi
XXXIV. Institutio orationis quadraginta horarum . . . . » 113
XXXV. Observanda in expositione Ss. Sacramenti in oratione 40 horarum » ibi
XXXVI. Indulgentiae conceduntur intervenientibus orationi quadraginta horarum in Ecclesiis FF. MM. Capuccinorum in partibus ultramontanis . . . . » 115
XXXVII. Acquiritur indulgentia ab adorantibus Ss. Sacramentum in oratione 40 hor. etiamsi eo tempore adorationis non sit expositum. Quando facienda sit expositio; et de licentia Ordinarii est facienda . » 116
XXXVIII. Sacerdotes missam celebrantes non tenentur cuique petenti Eucharistiam ministrare . . . . . » 117
XXXIX. Jacobo III magnae Britanniae regi non ieiuno permittitur communio . . . . » 118
XL. Minus rite data fuit benedictio super populum, et flammas in incendio, cum Corpore Christi in sacra pyxide . . . . » 120
XLI. Si Corporis Christi festa dies incidat in vigiliam s. Joannis Baptistae, non est ieiunandum . . . . » 123
XLII. Et nihil de vigilia est faciendum in missa, et in officio . . . » ibi
XLIII. Contra subripientes, asportantes, vel apud se retinentes sacras Hostias» 124
XLIV. De Eucharistia denegenda refractariis contra bullam *Unigenitus* » 125

De Sacrificio Missae.

I. Audientes missam diebus festis in Ecclesiis Regularium satisfaciunt praecepto . . . . . . pag. 125
II. Revocatio licentiarum dicendi missam vespertino tempore . . . » 126
III. Nihil a sacristis detrahatur ab eleemosyna consueta missae sub quovis praetextu . . . . . » ibi
IV. Benedictio crucum altarium non est necessaria, lierique potest a quovis sacerdote . . . . . » 127
V. Crux cum imagine crucifixi est ponenda in altaribus, in quibus celebrandae sunt missae . . . » ibi
VI. Cuidam nobili viro permittitur usus altaris portatilis . . . . . . » 128
VII. Habentes privilegium altaris portatilis illo utantur in loco approbando ab Ordinario, vel eius Vicario» 129
VIII. Ordinationes pro missis celebrandis in Ecclesia s. Gregorii de urbe . . . . » ibi
IX. De missis privilegiatis ad altare s. Catharinae Senensis de urbe » 130
X. Missae pro defunctis licet dicantur de duplici, ad altaria privilegiata valent pro defunctis . . . . » ibi
XI. Solvuntur dubia orta super praecedenti Alexandri XII constitutione » 131
XII. Altaria privilegiata pro defunctis sunt talia etiam cum missae de requiem dici non possunt . . . » 132
XIII. Dubia enodata super numerum missarum ad altaria privilegiata dicendarum . . . . » ibi
XIV. In omnibus Ecclesiis metropolitanis, cathedralibus, etc. conceditur altare unum privilegiatum . . » 133
XV. Consecratio altaris monasterii Fossae Novae facta ab Innocentio III» 134
XVI. Consecratio altaris mittendi ad regem Portugalliae facta a Pontifice Benedicto XIV . . . . » ibi
XVII. Datur privilegium Card. Gentili celebrandi super altari pontificio in basilica Liberiana . . . . . » 135
XVIII. Permissio cuidam nobili viro aedificandi in suo palatio capellam » 136
XIX. Presbyteri Veneti missas in domibus privatorum facultatem habentium libere, et licite celebrare valent . . . . » 137
XX. Episcopi ne construant oratoria extra suam dioecesim, et extra locum suae habitationis in privatis domibus; regularibus privilegium altaris portatilis abrogatur . . » 138
XXI. De privilegio Episcoporum circa sacella privata . . . . . . » ibi
XXII. Militibus Hierosolymitanis datur facultas habendi in navibus altare portatile, super quo dicatur missa » 141

XXIII. Confirmatio eiusdem privilegii *p.* 142
XXIV. Eadem facultas datur pro navibus pontificiis . . . . » ibi
XXV. Jussio, ut quilibet testamentum faciens in Hispaniis, et Indiis, aliquid leget pro monte pietatis, hoc est, animabus purgatorii . . . . . » ibi
XXVI. Contra eos, qui missas legatas in testamento celebrare faciunt, ubi minima datur eleemosyna . . » 143
XXVII. Ad Archiepiscopum Taurinensem, ut praedictam avaritiam in sua dioecesi tollat . . . . » 144
XXVIII. Modus tenendi libros pro adimplemento missarum . . . . . » ibi
XXIX. Notarii nota faciant onerum missarum testamento relicta . . . . » 145
XXX. Alia observanda circa adimplementum missarum . . . . . . » ibi
XXXI. Alia decernit circa adimplementum missarum Pontifex . . » 146
XXXII. De iis tantum sanctis celebrari potest missa, quorum nomina sunt in martyrologio . . . . » 147
XXXIII. Rubricae generales observandae a celebrantibus . . . . » ibi
XXXIV. De reductione missarum, et de earum perpetuis oneribus . » 148
XXXV. Solutio dubiorum ex praecedenti decreto enatorum . . . » 150
XXXVI. Alia dubia super praemissis enata solvuntur . . . . . . » 152
XXXVII. Missae de anniversariis cantur . . . . » 154
XXXVIII. Parochi tenentur diebus festis applicare missam pro populo » ibi
XXXIX. Confirmatio uberior praecedentis constitutionis; et de missis conventualibus . . . . » 155
XL. Super celebratione duarum missarum eodem die per unum sacerdotem . . . . » 157
XLI. Tres missae in nocte Natalitia celebrari non possunt, nec communio dari laicis potest . . . . . » 159
XLII. Armeni in die Natali Domini tres missas celebrare non possunt » 160
XLIII. In die commemorationis defunctorum tres missae celebrari possint in Hispaniis a quovis sacerdote » 161
XLIV. Altaria omnia in regnis Hispaniarum sint privilegiata in die commemorationis defunctorum . . » 163
XLV. Disquisitio, an sit satius, Pontificem sedentem sacram communionem recipere, an missam celebrare sedendo . . . . » ibi
XLVI. Non ordinati celebrantes et confessiones audientes subjiciuntur Inquisitioni . . . . » 167
XLVII. Non ordinati sacerdotes, si aliquos ordines habeant, degradentur, et tradantur curiae saeculari, a qua puniantur . . . . » 168
XLVIII. Qui compleverint annum vigesimum aetatis, his poenis subjiciuntur . . . . *pag.* 168
XLIX. De modo procedendi contra non promotos etc. . . . . » 169
L. Quomodo sit procedendum in eos, qui statim crimen hoc, se celebrasse etc. confitentur . . . . » 170
LI. Confessio facta in primo interrogatorio a reo, se celebrasse, etc. non suffragetur illi ad evadendam sententiam traditionis brachio saeculari . . . . » 172
LII. In diebus dominicis, in quibus non est praefatio propria dicatur praefatio de Ss. Trinitate . . » 173

De Re Disciplinari.

I. Responsio ad quaedam quaesita Episcopi Narbonensis . . . . . » 174
II. De bonis Ecclesiae; de raptoribus virginum; de electione Episcoporum . . . . » 175
III. Solutio quorumdam dubiorum propositorum ab Archiepiscopo Laureacensi . . . . » 176
IV. Multa ad disciplinam spectantia » 178
V. Approbatio praedictorum decretorum a Concilio facta . . . . . » 179
VI. De electione presbyterorum, de filiis presbyterorum, de monachis, qui cum monialibus in iisdem sunt monasteriis, separandis . . . » ibi
VII. Quaedam caussae cognoscendae mandantur Episcopo Parisiensi; de clericis concubinariis, de Episcopis eos non punientibus . . . . » 180
VIII. Solutio quarumdam quaestionum » 181
IX. Malarum consuetudinum correctio » 182
X. Iubetur executio decretorum Lateranensis synodi . . . . . . » 183
XI. Hortatio ad Anglos Episcopos, ut aboleant torneamenta . . . . » 184
XII. Absolventes excommunicatos ab aliis sint excommunicati . . . » 185
XIII. Vetat morem vendendi christianos Martinus V . . . . . . » ibi
XIV. In vendentes christianos Turcis » 186
XV. Reformatio Praelatorum, clericorum abusuum etc. . . . . . » ibi
XVI. Nemo ad praedicandum admittatur, quin fuerit examinatus; et quae, et quomodo praedicanda » 189
XVII. Vetantur excommunicationes s. Eleutherii . . . . » 190
XVIII. In scribentes libellos *d'Avvisi* » ibi
XIX. Contra famigeratores dictos *Menantes* . . . . » 191
XX. Damnatio duellorum . . . . » ibi
XXI. Confirmatio damnationis praedictae . . . . » 192
XXII. Nova confirmatio . . . . . » ibi
XXIII. Decretum Concilii Tridentini de

duellis extenditur etiam ad duellantes privatim . . . . . pag. 193
XXIV. Constitutiones de duellis extenduntur et ad privata duella . . . » 194
XXV. Damnatio duellorum in regnis Aragoniae, Valentiae, Cathalauniae » ibi
XXVI. Vim Bullarum praedictarum extendit Clemens VIII ad milites, qui in castris existentes inter se privatim pugnant . . . . » 195
XXVII. Damnantur quaedam propositiones circa duellum . . . » ibi
XXVIII. Vetatur taurorum agitatio » 197
XXIX. Abolitio censurarum in agitantes tauros in Hispaniis inflictarum a Pio V. . . . . . . » 198
XXX. Idem statuitur de agitantibus taurum in Portugallia . . . . » ibi
XXXI. Tollitur usus ostendi taurum in Ecclesiam s. Marci Pacensis » 199
XXXII. De Theatris . . . . . . » ibi
XXXIII. Astrologia iudiciaria damnatur . . . . » 200
XXXIV. Poenae in volentes horoscopos facere de Pontificibus, ariolari de regimine reipublicae . . . . » ibi
XXXV. Permittenda est spicarum post messem factam collectio . . . » 201
XXXVI. Innovatio praecedentis Bullae de spicis . . . . » 202
XXXVII. Bona naufragantium delata ad portum non sunt diripienda » ibi
XXXVIII. Idem praecipit Iulius II sub poenis etc. . . . . » 203
XXXIX. Confirmatio . . . . . . » 204
XL. Nautae ex bonis expiscatis quartam partem sibi retineant . . . . » 204
XLI. In non subvenientes nautis . » 205
XLII. Confirmatio decreti Gebennensis civitatis de bonis mortuorum . » 206
XLIII. Hortatio ad Regem Galliae, ut patiatur reduci usuras ad commu nem modum . . . . » ibi
XLIV. De censibus annuis . . . . » 207
XLV. Explicatio quorumdam dubiorum ad praecedentem constitutionem » 208
XLVI. Declaratio Pii V constitutionis de censibus pro regno Navarrae » 209
XLVII. Explicatio constitutionis Gregorii XIII de censibus Ianuae . » 210
XLVIII. Adhortatio ad Monachi dominum, ut Episcopum Ventimiliensem adiuvet in tollendis usuris in suo statu . . . . » ibi
XLIX. Eadem adhortatio ad remp. Ianuensem . . . . » 211
L. Eadem adhortatio ad Sabaudiae Ducem . . . . » ibi
LI. Ad idem opus excitatur dominus Dulcis Aquae . . . . » ibi
LII. Renovatio denunciatarum poenarum in usurarios . . . . . » 212
LIII. Explicatio de usuris circa mutuum . . . . » ibi
LIV. Contra cambia et recambia pag. 214
LV. Cambiorum illicitorum explicatio et damnatio . . . . » ibi
LVI. Mercatores Caesaraugustae inhibentur in rebus ad victum necessariis facere monopolia . . . » 215
LVII. Extensio constitutionis ad mercatores Comitatus Rossilionis . » 216
LVIII. Revocatio poenarum spiritualium a Gregorio XIII latarum in mercatores . . . . » ibi
LIX. Reductio fructuum ad quatuor pro quovis centenario . . . » 217
LX. Damnatio quorumdam contractuum societatis . . . . » ibi
LXI. Irritatio iuramentorum factorum, si sint contraria libertati ecclesiasticae, etc. . . . . » 218
LXII. Sanciuntur poenae in blasphemos . . . . » 219
LXIII. Negantes Ss. Trinitatem, Filii incarnationem blasphemi habeantur et puniantur ut haeretici . . » 220
LXIV. Confirmatio praecedentis bullae . . . . » ibi
LXV. Praecedentium duarum bullarum innovatio . . . . » 221
LXVI. In facientes pacta tacita cum daemonibus . . . . » ibi
LXVII. Poena in abutentes Spiritibus succubis, et incubis . . . . » 222
LXVIII. Contra nonnullos renunciantes baptismati, et maleficiis operam dantes . . . . » ibi
LXIX. Contra maleficos in territoriis Cremonensi et Comensi . . . » 223
LXX. In apostatantes a fide, etc. . » 224
LXXI. Publicatio literae processus, idest censurae et peccata reservata summo Pontifici in Bulla dicta » Coenae Domini » . . . . . » ibi
LXXII. Contra clericos negotiatores » 226
LXXIII. De uniformi fidelium instructione in catholica fide . . . » 228
LXXIV. De auctoritate, quae soli Papae competit commutandi ieiunia in Ecclesia Catholica . . . . . . » 229
LXXV. De immunitate ecclesiastica seu de clericis non traducendis ad forum laicale in negotiis mixtis » ibi
LXXVI. De iure, quod competit Ecclesiae, bona temporalia acquirendi » 230
LXXVII. De illicita et iniusta laicae potestatis immixtione in Ordinum regularium reformatione . . . » 231
LXXVIII. Damnatio constitutionis editae pro clero Gallicano . . . » ibi
LXXIX. Damnatio iuramenti civilis praestiti ab ecclesiasticis regni Galliarum, et reprobatio nonnullarum electionum, et consecrationum Pseudo-episcoporum. . . . . » 232
LXXX. Reprobatio constitutionis civilis pro clero Gallicano editae . . » 234

LXXXI. Monita ad Episcopos Corsicae super reiectionem constitutionis civilis editae pro clero . . . pag. 233
LXXXII. Novae literae comminatoriae ad clerum et populum Avenionis, et comitatus Venusini ne pravas recipiant leges a Conventu Nationali Gallico latas . . . . » 236
LXXXIII. Conventio inter S. Sedem et Gubernium Gallorum pro componendis negotiis ecclesiasticis . » 237
LXXXIV. De nova circumscriptione dioecesum in republica Gallica » 238
LXXXV. De eodem argumento monita ad Archiepiscopos, Episcopos, aliosque rectores Ecclesiarum in Gallia super nova distributione dioecesum . . . . » 239
LXXXVI. Confirmatio tractatus initi a plenipotentiariis electis super negotiis ecclesiasticis Galliae . . » ibi
LXXXVII. Suppressio omnium Ecclesiarum tam archiepiscopalium, quam Episcopalium in Gallia existentium, et erectio 10 metropol. Ecclesiarum, et 50 episcopalium . » 240
LXXXVIII. Conventio inter S. Sedem, et Rempublicam Italicam super negotiis ecclesiasticis . . . » 241
LXXXIX. Responsa data de consilio selectae congregationis Cardinalium diversis quaestionibus propositis a clero Gallicano . . . . . . » 243
XC. Damnatio conventiculi nuncupati *Dei liberi muratori* et cuiusvis aliae secretae societatis . . . » 245

De Haeresibus, Libris, Propositionibus damnatis.

I. Episcopi Italiae arceant Manichaeos a suis dioecesibus . . . . . » 248
II. Confutatio errorum Priscillanistarum . . . . » ibi
III. Confutatio errorum Nestorii, et Eutychetis . . . . » 251
IV. Depositio, et anathematizatio Petri Fulloois Autiochise Episcopi . » 252
V. Excommunicatio et depositio a Patriarchatu Constantinopolitano Acacii . . . . » ibi
VI. Ostendit Acacium iure damnatum a S. Sede Gelasius . . . . » 253
VII. In idem argumentum de Acacio iure damnato; de praestantia S. Sedis super conciliis . . . . » 254
VII. Hortatio ad Imperatorem Anastasium, ne memoriam mortui Acacii defendat . . . . . . » 256
IX. Hortatio ad clerum Syriae, ut fugiant Acacii assectarum consortium; de qua differentia potestatis saecularii, et ecclesiasticae . . . . » 257
X. De assectis Acacii resipiscentibus absolvendis, de Hierosolymitanis, qui debent Romam mittere professionem fidei . . . . pag. 258
XI. Refellitur haeresis Pelagiana . » ibi
XII. Ad imperatorem ut pacem Ecclesiae servet: de professione fidei Episcopi Mennae . . . . . » 261
XIII. Duas esse in Christo voluntates contra quosdam haereticos probat Martinus . . . . » ibi
XIV. Deputat Pontifex vicarium Sedis Ap. et quid ille de Monothelitis agere debeat, praescribit . . . . » 263
XV. Depositio, et anathematizatio Pauli Episcopi Thessalonicensis, quod faverit Monothelitis . . . . . . » ibi
XVI. Clerum et populum Thessalonicensem, depositum esse Paulum Episcopum, monet Martinus . . . » 265
XVII. Gregorius probat Leoni Isauro imperatori non esse idololatriam venerari sacras Imagines . . . » ibi
XVIII. In idem argumentum . . » 268
XIX. Laudat Galliae Episcopos, quod detexerint Petri Abaelardi errores, eosque damnat Pontifex . . . » 269
XX. Mandat ut includantur carcere separatim Petrus Abaelardus et Arnaldus de Brixia Pontifex . . » 270
XXI. Mandat omnibus, ut fugiant consortium Arnaldi de Brixia, Pontifex» ibi
XXII. Errores quidam quarumdam feminarum damnantur . . . » 271
XXIII. Confutantur ii, qui spiritum libertatis defendebant . . . . » ibi
XXIV. Errores Bizochorum et Beguinorum refellit Pontifex . . . » 272
XXV. Iubet Pontifex, ut capiuntur omnes Fraticelli, fautores, etc. . » 275
XXVI. Praelati Siciliae iubentur punire colentes cineres Fraticellorum . » ibi
XXVII. Damnatur opinio Marsilii de Padua et Ioannis de Iandunn, suprematum esse in imperatore, non in Papa . . . . » 276
XXVIII. Iubet Gregorius Ioannem Vicleff capi . . . . » 278
XXIX. Damnatio operum Ioannis Wicleff . . . . » ibi
XXX. Errores Ioannis Wicleff, Ioannis Husz, Hieronymi de Praga . . » 279
Tenor articulorum Joannis Wicleff » 280
Tenor articulorum Joannis Huaz . » 283
XXXI. Damnatio errorum Nicolai Serurarii . . . . » 286
XXXII. Anima est immortalis . . » 289
XXXIII. De libris Lutheri prohibitis et crematis . . . . » 290
XXXIV. Errores Martini Lutheri . » ibi
Errores Lutheri ex Bulla verbo ad verbum transcripti . . . . . » 291
XXXV. Martinus Lutherus, eiusque asseclae, quod non resipuerunt, declarantur excommunicati . . . » 295

XXXVI. Ad Fridericum Saxoniae Ducem, ut Lutherum deserat, et redeat ad fidem . . . . . . pag. 295
XXXVII. Laudat Brixienses, quod haereticos expulerint, iubetque perquiri quemdam Joannem Baptistam Carmelitam haereticum Pontifex . . » 296
XXXVIII. Damnatio errorum Michaëlis Molinus . . . . » 297
Hae autem sunt propositiones . . » 298
XXXIX. Proscriptio propositionum de mystica excerptarum a libro *Explication des maximes des Saints* » 305
XL. Decretum, qui libri sint legendi, qui non . . . . » 309
XLI. Vetat inductis interpretari S. Scripturam et super illa disputare Innocentius . . . . » 310
XLII. Proscriptio libri Guillelmi a Sancto Amore . . . . » 312
XLIII. Damnat Pontifex scripta, leges, seu speculum Saxoniae vulgariter appellata . . . . » 313
XLIV. Mittit Eugenius ad universitatem Parisiensem rationes, quibus confutentur libri *contra auctoritatem et superioritatem Romani Pontificis et S. Sedis* . . . . . » 315
XLV. Quaedam conclusiones Joannis Pici damnantur . . . . . . » ibi
XLVI. Damnatio errorum Michaëlis Baii . . . . » 316
XLVII. Iterata damnatio errorum Michaëlis Baii et quorumdam librorum ad doctrinam Cornelii Iansenii et ad disputationes de auxiliis attinentium . . . . » ibi
Propositiones Michaëlis Baii . . . » ibi
XLVIII. Damnatio quinque propositionum excerptarum ex libro (Augustinus) Cornelii Iansenii . . . . » 326
Hae sunt propositiones . . . . . » ibi
XLIX. Commissio aliquot Franciae Episcopis, ut inquirant de quadam pastorali epistola Archiepiscopi Senonensis . . . . » 327
L. Idem mandatur aliis Episcopis » 328
LI. Alia perquisitio de aliis epistolis iubetur . . . . » ibi
LII. Decanus et capitulum Bellovacense comprehenduntur appellatione Ordinariorum in suo territorio . . » ibi
LIII. Confirmatio commissionis . » 329
LIV. Internuncius Belgii deputatur executor litterarum Ap. de damnatione quinque propositionum Iansenii . . . . » ibi
LV. Confirmatio proscriptionis quinque propositionum . . . . » 330
LVI. Nova deputatio internuncii Belgii in executorem . . . . . . » ibi
LVII. Lovaniensem academiam hortatur, ut detestetur Iansenii propositiones, Alexander . . . . . » 331
LVIII. Laudat Alexander Lovanienses, quod noluit neminem ad gradum admittere, nisi iuret se damnare dictas propositiones . . . pag. 331
LIX. Vicarios Ecclesiae Parisiensis declarat Alexander incurrisse in censuras, quod interpretati sunt Innocentii Bullam, etc. . . . . » 332
LX. Formula iuramenti praestandi a Praelatis, regularibus, doctoribus, etc. de non defendendis Iansenii propositionibus in regno Galliae » ibi
LXI. Duobus Archiepiscopis et aliquot Episcopis Galliae, ut mandamento quatuor eiusdem regni Episcoporum super iusso formulario edita supprimi faciant, commissio . . . » 333
LXII. Mandatur praefatis Praesulibus, ut subscribant et subscribi faciant praedicto formulario . . . . . . » 334
LXIII. Interdicit omnibus, ne verba iuramenti iussi ab Alexandro, aliter ac sonant, interpretentur, Pontifex . . . . » ibi
LXIV. Reiicitur eorum opinio, qui aiebant, corde posse defendi Iansenii propositiones, satis esse ad observantiam Pontificiarum constitutionum obsequiosum silentium . » 335
LXV. Damnatio versionis Gallicae Novi Testamenti . . . . » 336
LXVI. Damnatio libri *Le nouveau Testament*, etc. . . . . » ibi
LXVII. Damnatio epistolae super casu conscientiae, etc. . . . . . . » 337
LXVIII. Proscriptio librorum Episcopi s. Pontii . . . . » 338
LXIX. Proscriptio libri *Entretiens sur le décret de Rome* . . . . . » 339
LXX. Propositiones erutae e libro *Le nouveau Testament*, damnantur » ibi
Propositiones ex eo libro excerptae » 340
LXXI. Damnantur quaedam opuscula contra constitutionem *Unigenitus* edita . . . . » 348
LXXII. Suspenduntur privilegia universitatis Sorbonae ad beneplacitum S. Sedis quod contra constitutionem *Unigenitus* reclamavit . . . . » ibi
LXXIII. Hortatio ad Episcopos Galliae, qui acceptarunt constitutionem, ut inducant et alios ad eam acceptandam; refractariis excommunicationis comminatio . . . . » 350
LXXIV. Decernitur, debere ab omnibus denunciari inobedientes constitutionibus *Unigenitus* et *Pastoralis* » 351
LXXV. Proscriptio libri *Première instruction pastorale de son Éminence Monseigneur le Cardinal de Noailles Archevêque de Paris* » 352
LXXVI. Commendatur, laudatur et inculcatur doctrina Ss. Augustini et Thomae Aquinatis . . . . . . » 355

LXXVII. Declaratio, refractarios non esse capaces indulgentiae iubilaei *p.* 358
LXXVIII. Edictum Episcopi Montis Pessulani damnat Clemens . . . . ibi
LXXIX. Damnatio epistolae pastoralis eiusdem Episcopi 359
LXXX. Vetat dici doctrinam d. Thomae proscriptam constitutione *Unigenitus*, et sententiam contrariam doctrinae d. Thomae dici erroneam Clemens 360
LXXXI. Proscriptio operis *Histoire du livre de réflexions morales sur le Nouveau Testament* 361
LXXXII. Proscriptio libri *Arrêt de la Cour du Parlement, etc.* . . ibi
LXXXIII. Proscribitur liber *Apologie de tous les jugements, etc.* . . 362
LXXXIV. Quandonam dandum sit Viaticum, quando negandum refractariis constitutioni *Unigenitus* . . . . ibi
LXXXV. Proscriptio epistolae contra methodum tenendam erga refractarios praescriptam a Pontifice . . 364
LXXXVI. Damnatur propositio de occidendis licite *tyrannis* 365
LXXXVII. Propositiones viginti octo desumptae ab auctoribus Theologiae Moralis proscribuntur 366
LXXXVIII. Alias decem et septem propositiones ex iisdem auctoribus laxistas damnat Alexander 368
LXXXIX. Proscriptio aliarum propositionum moralium 370
XC. Duas propositiones damnat Pontifex 376
XCI. Alias propositiones censuris configit idem Alexander . . . . . Ibi
XCII. Concionis cuiusdam de probabilismo damnatio 379
XCIII. Propositiones quaedam de probabilismo proscribuntur . . . . ibi
XCIV. Damnatio duorum librorum . 381
XCV. Damnatio libri sub titulo: Ritualis pro dioecesi Aletensi . . . 382
XCVI. Confirmatio damnationis et publicatio 383
XCVII. Quatuor propositiones cleri Gallicani de auctoritate Pontificia damnantur . . . . ibi
XCVIII. Significat Pontifex Galliarum regi, se damnasse quatuor illas propositiones quia ita debebat ex officio 384
XCIX. Damnatio libri *Traité de la régalie, etc.* 385
C. Proscribit Clemens librum *Acte d'Appel, etc.* 386
CI. Proscriptio libri *Ragioni a prò della Città di Napoli* . . . . ibi
CII. Damnatio trium librorum ad beneficia regni Neapolitani 387
CIII. Damnatio libri de eadem materia . ibi
CIV. Damnatur liber *Traité de la puissance ecclesiastique et temporelle* . . . . *pag.* 388
CV. Damnat Benedictus in Polonam linguam versionem libri: *Princi-pes*, etc. . . . . ibi
CVI. Damnantur institutiones theologicae Gasparis Iuvenin 389
CVII. Liber Launoii *De praedestinatione et gratia* damnatur . . . ibi
CVIII. Damnatio thesium Martini de Prades 390
CIX. Librum *Storia del popolo di Dio*, etc. proscribit Pontifex . . ibi
CX. Historia Concilii Tridentini cum notis Curayerii damnatur 391
CXI. *Mandement de Monseigneur l'Évêque d'Auxerres* contra officium s. Gregorii Papae VII damnat Pontifex 392
CXII. Alia similis ordinatio Episcopi Metensis proscribitur . . . . ibi
CXIII. Alia Episcopi Montis-Pessulani . 393
CXIV. Ordinationes eiusmodi magistratuum laicalium damnantur . . ibi
CXV. Damnatio undecim librorum . 394
CXVI. Damnatio libri *Consultation de messieurs*, etc. 395
CXVII. Proscriptio historiae Francisci Mariae Ottieri . . . . ibi
CXVIII. Damnantur plures libri . 396
CXIX. Duos libros damnat Pontifex . 397
CXX. *L'Esposizione del Simbolo della Fede cattolica* proscribitur . . 398
CXXI. Octodecim epistolae: *Le provinciali con delle nuove annotazioni*, damnantur 399
CXXII. Damnatio duorum librorum . ibi
CXXIII. Aliquot librorum prohibitio . 400
CXXIV. Damnantur quidam libri . . 402
CXXV. Prohibitio libri 403
CXXVI. Multi libri damnantur . . . 404
CXXVII. Quorumdam librorum proscriptio 406
CXXVIII. Quorumdam librorum prohibitio 407
CXXIX. Aliorum librorum lectionis, retentionis impressionisque inhibitio 408
CXXX. Proscriptio cuiusdam libri . 410
CXXXI. Episcopi gregem suum a noxiorum librorum lectione avertant . 411
CXXXII. Nullus liber edatur in Urbe, quin examinetur a Vicario Papae et a magistro sacri palatii 412
CXXXIII. Confirmatio . . . . . . ibi
CXXXIV. Revocatio licentiarum tenendi libros prohibitos 413
CXXXV. Idem iubet Gregorius . . . ibi
CXXXVI. Idem praecipitur ab Urbano . 414
CXXXVII. Clerici et laici in Hispaniis ne legant haereticorum libros . . ibi
CXXXVIII. Neque Cardinales supremi inquisitores possint dare licentiam legendi opera Caroli Molinaei . . 415

CXXXIX. Approbatio indicis librorum prohibitorum . . . . *pag.* 415
CLX. Nova additio librorum indicis » 416
CLXI. Alia additio . . . . . » 417
CLXII. Libri linguarum Arabicae, Turcicae, Chaldaicae, et etiam sacrae theologiae a Cardinalibus indici deputatis examinentur ante impressionem . . . . » 417
CXLIII. Sacra Biblia imprimatur iuxta exemplar Vaticanae impressionis » 418
CXLIV. Modus examinandi libros » ibi
CXLV. De censura librorum . . » 422
CXLVI. De noxiorum librorum lectione cavenda . . . . » 423
CXLVII. De eodem argumento . » ibi
CXLVIII. Proscriptio libri, cui titulus: *Universalis professio fidei* . . » 424
CXLIX. Proscriptio libri, cui titulus: *Quid continent, etc.* . . . . . » ibi
CL. Proscriptio libri, cui titulus: *Quid est Papa?* . . . . . . » 425
CLI. Propositiones damnatae a Ss. Pio VI exceptae ex libro: *Atti e decreti del Concilio diocesano di Pistoia nell'anno* 1786 . . . . » ibi
De obscuratione veritatum in Ecclesia » ibi
De potestate communitati Ecclesiae attributa, ut per hanc pastoribus communicetur . . . . . . » 436
De capitis ministerialis denominatione Romani Pontifici attributa . . » ibi
De potestate Ecclesiae quoad constituendam et sanciendam exteriorem disciplinam . . . . . . » ibi
Iura Episcopis praeter fas attributa » 427
Ius perperam tributum inferioris ordinis sacerdotibus in decretis fidei et disciplinae . . . . . . » ibi
Calumniae adversus aliquas decisiones in materia fidei ab aliquot saeculis emanatas . . . . » 428
De pace dicta Clementis IX . . » ibi
De consegmentatione corporis Ecclesiae » 429
De statu innocentiae . . . . . » ibi
De immortalitate spectata ut naturali conditione hominis . . . » ibi
De conditione hominis in statu naturae » 430
De conditione hominis sub lege . » ibi
De gratia illuminante et excitante » ibi
De fide velut prima gratia . . . » 431
De duplici amore . . . . . . » ibi
De timore servili . . . . . . » 432
De poena decedentium cum solo originali . . . . » ibi
De sacramentis, ac primum de forma sacramentalis cum adiuncta conditione . . . . » 433
De participatione victimae in sacrificio Missae . . . . » ibi
De ritus consecrationis efficacia . » ibi
De applicatione fructus sacrificii . » 434
De convenienti ordine in cultu servando . . . . » ibi
De ordine poenitentiae . . . *pag.* 433
De praevia necessaria dispositione pro admittendis poenitentibus ad reconciliationem . . . . » 436
De auctoritate absolvendi . . . » 437
De peccatorum venialium confessione » ibi
De indulgentiis . . . . » 438
De reservatione casuum . . . . » ibi
De censuris . . . . » 439
De ordine . . . . » ibi
De sponsalibus et matrimonio . » ibi
De officiis, explicationibus, institutionibus, ad religiosum cultum pertinentibus, ac primum de adoranda humanitate Christi . . . . . » 443
De ordine praescripto in piis exercitationibus obeundis . . . . » 444
De modo iungendae vocis populi cum voce Ecclesiae in precibus publicis » ibi
De lectione Sacrae Scripturae . » ibi
De proscriptis libris in Ecclesia publice legendis . . . . . . » 445
De sacris imaginibus . . . . . » ibi
De festis . . . . » 446
De collationibus ecclesiasticis . . » 447
Convicia adversus aliquas sententias in scholis catholicis usque adhoc agitatas . . . . » 448
De tribus regulis fundamenti loco a Synodo positis pro reformatione regularium . . . . » ibi
De systemate, seu ordinationum complexione ducta ex allatis regulis et octo sequentibus articulis comprehensa pro reformatione regularium » 449
Item pro reformatione monialium » 450
De nationali concilio convocando » 451
CLII. De malis, quae Ecclesiae Gallicanae obvenerunt ob haeresim Iansenistarum . . . . . . » 452
CLIII. De eodem argumento . . » ibi
CLIV. De eodem argumento . . » 453
CLV. De eodem argumento . . » 454
CLVI. De eodem argumento . . » 455
CLVII. De malis, quae Ecclesiae Gallicanae obvenerunt ob novam philosophiam . . . . » ibi
CLVIII. De pseudophilosophorum erroribus . . . . » 456
CLIX. De pseudophilosophia, librorum pervulgatoribus et societatibus occultis . . . . » 457

De Conciliis Oecumenicis.

I. Patres Ephesinae Synodi monet Leo, Petrum confessum fuisse Christum Filium Dei vivi . . . » 459
II. Cassat gesta in Synodo Ephesina Leo . . . . » ibi
III. Approbatio Synodi Chalcedonensis » 460
IV. Conciliabulum Constantinopolitanum coactum sine licentia S. Sedis damnat Pelagius . . . . . » ibi

VI. Pro admissione praehendatorum in Capitula nihil exigatur . *pag.* ibi
VII. Declaratio Paragraphi *Qui vero*, etc. . . . . » 621
VIII. In Metropolitanis, et cathedralibus Ecclesiis sint Magistri Theologiae . . . . » 622
IX. Nuncius Apostolicus Venetiis iubetur primam praebendam vacantem in singulis Cathedralibus assignare in erectionem Theologalis Canonicatus . . . . » ibi
X. Idem iubetur et pro erectione Canonicatus Poenitentialis . . . » 623
XI. Vacationes trium mensium dantur Canonicis . . . . » 624
XII. Sede Episcopali vacante, unus tantum Vicarius capitularis eligi debet » ibi
XIII. Nuncius Apost. in regno Neapolis vetet, Vicarius capitulares dare litteras dimissoriales clericis . . » 625
XIV. Eadem iussio . . . . . » ibi
XV. Confirmatio decretorum sacrae Congregationis rituum super associatione Episcopi incedendo a canonicis . . . . » 626
XVI. Solutio quorumdam dubiorum propositorum ab Episcopo Egitaniensi circa iura Ordinariorum et Capitulorum . . . . . . » ibi
XVII. Aliarum dubiorum de praesenti materia solutio . . . . . . » 630
XVIII. Propositio dubiorum circa iurisdictionem Episcopalem et Capitularem, eorumque solutio . . . » 631
XIX. Confirmatio quorumdam responsorum ad dubia proposita quod canonicos . . . . » 633
XX. Solutio dubiorum propositorum ab Episcopo Dertusensi . . » ibi
XXI. Rata habetur concordia inter Episcopum Celsonensem et capitulum super coniudicibus . . . . . » 635
XXII. Solutio quorumdam dubiorum propositorum a Capitulo Ecclesiae Conchensis . . . . » 636
Respondit sacra Congregatio . . » ibi
XXIII. Confirmantur quaedam decreta de auctoritate Episcopi super coadiutores . . . . » 637

De Parochis.

I. Exemptiones Regularium in regno Granatae a solutione decimarum rediguntur ad terminos iuris . » 638
II. Idem praecipitur Regularibus regni Poloniae . . . . » 639
III. Iubentur ordinarii in Indiis vetare, ne Parochi plus exigant ad sepeliendа cadavera in Ecclesiis Regularium, quam in suis . . . . » ibi
IV. In idem argumentum pro fratribus MM. de observantia s. Francisci . » 640
V. Confirmatio . . . . . . *pag.* ibi
VI. Idem iubetur pro FF. eremitis s. Augustini . . . . » ibi
VII. Alii abusus corriguntur in Indiis in hoc genere . . . . . . » 641
VIII. Confirmatio . . . . . . » ibi
IX. Confirmatio decreti sacrae Congregationis in hac re . . . . » 642
X. Provideant Ordinarii, ne parochi plus exigant pro sepeliendis apud Regulares . . . . » ibi
XI. Confirmatio duorum Decretorum » 643
XII. Vis horum decretorum extenditur ad cadavera sepelienda in Ecclesiis Patrum S. J. . . . . » ibi
XIII. Clerus saecularis Castellae, et Legionis servet antiquum morem circa cadavera, etc. . . . . » 644
XIV. In insula Maioricensi Mendicantes, et non Mendicantes ordines deferant cadavera ad suas Ecclesias cum Cruce elata . . . . . » ibi
XV. Confirmatio concordiae inter Clerum saecularem, et regularem de deferendis, sepeliendisque in Ecclesiis regularium cadaveribus . » 645
XVI. Parochus comitetur tantum cadavera ad Ecclesias Regularium » 646
XVII. Solutio dubiorum Sacrae Congregationi propositorum . . . » ibi
XVIII. De cadaveribus deferendis ad Ecclesias FF. Carmelitarum Excalceatorum . . . . » 647
XIX. Praedicta decreta confirmando in favorem FF. Praedicatorum in regno Peruviano . . . . » 648
XX. De sepultura Missionariorum in Syria . . . . » ibi
XXI. Parmae Fratres MM. strictioris observantiae servent consuetudinem loci . . . . » 649
XXII. De quarta funeris Parochis solvenda a Regularibus . . . . » 650
XXIII. Quomodo deferenda sint ad sepulturam cadavera clericorum saecularium, et aliorum . . . » 651
XXIV. Quomodo debeant incedere clerici comitantes cadavera . . » ibi
XXV. Quomodo debeant incedere confraternitates laicales in delatione cadaverum . . . . » 652
XXVI. Sodalitates nihil exigant praeter consuetum . . . . . . » ibi
XXVII. An Anglise Praelatos, ut permittant fratres ord. Praedicatorum confessiones audire et praedicare » 653
XXVIII. Idem privilegium confirmatur» 654
XXIX. Confirmatio privilegii, sed cum clausulis . . . . » ibi
XXX. Revocatur Innocentii constitutio . . . . » 656
XXXI. Confirmatur Alexandri bulla » 657
XXXII. Nullus Praelatus interpretari audeant libertates fratrum . . . » ibi

XXXIII. Tollere dissidia inter Parochos, et Fratres studet Pontifex . *pag.* 658
XXXIV. Novae provisiones de his Fratrum privilegiis . . . . . . » 660
XXXV. Revocatio Benedictinae Constitutionis . . . . » 662
XXXVI. De confessione proprio parocho facienda . . . . » 663
XXXVII. Innocentii IV Constitutio confirmatur . . . . » 664
XXXVIII. Joannis constitutio confirmatur; novique articuli contra Mendicantes praescribuntur . . » 665
XXXIX. Bulla Alexandri V revocatur » 666
XL. Confessi Fratribus, semel in anno, suo parocho confiteantur . . » 667
XLI. Idem decernit Sixtus Pontifex » 668
XLII. Solutio dubiorum propositorum a Praeposito loci Incisae contra FF. Carmelitas . . . . » 669
XLIII. Solutio dubiorum circa iura competentia Parochis, vel non, in Confraternitates Laicorum . . » 671
XLIV. Explicatio decreti Bullae Clementinae-*Dudum, de Sepulturis,* quoad Parochorum praedicationem in missarum solemniis . . . » 673
XLV. Parochi docere debent christianam doctrinam . . . . . . » 676
XLVI. Catalogus puellorum, et puellarum interveniendum doctrinae ostendatur Ordinariis. Hortatio ad genitores, ut mittant filios suos ad doctrinam . . . . » 677
XLVII. Confirmatio decreti sacrae congregationis de confessione quoad Parochos . . . . » ibi
XLVIII. Assignatio portionum Vicariis parochialibus perpetuis . . . » 678

De Clericis.

I. Quis ordo sit tenendus a Clericis inter se . . . . » 679
II. Clerici induti cotta praecedant clericos cotta non indutos . . . » 680
III. Clerus saecularis praecedat regulares etiam in Ecclesiis monasteriorum . . . . » ibi
IV. Praecedentia assignatur clero saeculari in regno Mexicano . *pag* 681
V. Significat Pontifex Patriarchae Aquileiensi quid in clericos concubinarios, et simoniacos statuere Romana Synodus . . . . . » ibi
VI. Eadem significantur Archiepiscopo Coloniensi, probaturque Ecclesiam haec statuere potuisse . . . » 682
VII. Eadem exponuntur Archiepiscopo Magdeburgensi . . . . . . » ibi
VIII. Clericorum libidinosorum appellationes ne attendant Episcopi » 683
IX. In clericos peccantes contra naturam . . . . » ibi
X. Poena in clericos insectantes suos Episcopos . . . . » 684
XI. Poenae in clericos mentientes aetatem, vel litteras, ut ordinentur » ibi
XII. Confirmatio quorumdam decretorum observandorum a clericis Urbis, et Orbis . . . . » 685
Daniel Episcopus Ferentinus, etc. » ibi
XIII. Poenae in clericos non deferentes clericalem habitum . . » 686
XIV. Decreta de habitu, celebratione missae etc. . . . . . . » 687
XV. Confirmatio veterum, et additio novorum decretorum de honestate habitus clericalis . . . . . » 688
XVI. Iubentur Ordinarii punire clericos non incedentes habitu clericali . . . . » 689
XVII. Qui sint excepti a deferendo habitu talari . . . . » 690
XVIII. Clerici comoedias ne repraesentent . . . . » ibi
XIX. Ne advocationem suscipiant clerici » 691
XX. In clericos mercaturam exercentes . . . . » ibi
XXI. Eadem inhibitio mercaturae exercendae sit clericis . . . » 692
XXII. Ecclesiastici sine licentia Ordinarii ne accedant, ad monasteria monialium . . . . » 694
XXIII. Num deceat vetare, ne clerici saeculares in aliquo gradu constituti possint migrare ad ordines Regulares . . . . » ibi



